


37
28 B
4





# THEOLOGIA
## PATRUM
## SCHOLASTICO-DOGMATICA,
### TOMUS QUARTUS.


# THEOLOGIA
# PATRUM
## SCHOLASTICO-DOGMATICA,
## SED MAXIME POSITIVA,
*AUCTORE R. P.*
## ANTONIO BOUCAT
## BITURICO,

*Ordinis S. Francisci de Paulæ Religioso, Provinciæ Franciæ Professo atque Alumno, & veterano apud Parisios in sacra Theologia Professore.*

## TOMUS QUARTUS,
CONTINENS TRACTATUS



*De Virtutibus Theologicis.*
*De Regulis Fidei, scilicet de S. Scriptura,*
*De Traditione,*
*De Ecclesia.*



EDITIO PRIMA VENETA
accuratior & emendatior.



# SERIES DISSERTATIONUM,

## Articulorum, Sectionum, Paragraphorum, Conclusionum, & Argumentorum, quæ in hoc nono Tomo continentur.

DISSERTATIO PRIMA.

§. III.

## DISSERTATIO SECUNDA.



## DISSERTATIO TERTIA.



## DE REGULIS FIDEI. 67

Tractatus decimus.



## DISSERTATIO PRIMA.

Primum argumentum.



Secundum argumentum.



Tertium argumentum.



Quartum argumentum.



Quintum argumentum.

DISSERTATIO SECUNDA.



Propositio unica.

Pun-

Punctum I.



Punctum II.



DISSERTATIO TERTIA.



Pun-

Punctum I.



Punctum II.



Punctum IV.



DISSERTATIO UNICA.

DE ECCLESIA IN SPECIALI.



DISSERTATIO PRIMA.



DISSERTATIO SECUNDA.

*II. Ex*





# TRACTATUS NONUS
## DE
# VIRTUTIBUS
## THEOLOGICIS,
### *Et Prolegomenis ad Scripturam Sacram.*



RIBUS potiſſimum fundamentis innititur Eccleſia, videlicet fide, ſpe & charitate, unde ad earum cognitionem & amorem tota inhiat Theologia, quandoquidem, ſeclusis tantis virtutibus, inutilis reputabitur. Enimvero ad quid ſermones de Deo uno & Trino, ſi vel ipſe ignoretur? Quorſum ut ſummum bonum prædicaretur, ſi ſpes animam inescare deſinat? Sed quæ erit ſpei fiducia, ſi beatitudinem avido corde anhelatam charitas non attingat? Hæ ſunt virtutes quibus ad Deum manu ducitur Chriſtianus: fontes ad quos homo viator ſuſpirat. Columnæ quæ totum ſalutis ædificium ſuſtentant. Nec mirum: homo per fidem nedum ſe cognoſcit brutis animantibus ſuperiorem, ſed & ad æternam felicitatem locandum. Ad hanc vero per ſpem ſecure tendit, & ejuſdem ubertate per charitatem fruetur. . . Quid plura? Per fidem Chriſtus facit hominem diſcipulum ſuum: ſpe commilitonem, charitate vero filium & hęredem.

### DISSERTATIO PRIMA.

### *DE FIDE THEOLOGICA,*

*Cujus lumine Eccleſia incedit.*

FIDEM irrident Idololatræ, eamque prorſus inutilem prædicant. Sed contra quod dicit Apoſtolus Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.*

*Neceſſitas fidei ſex his probatur & explicatur argumentis.*

PRIMO: Fidei objectum eſt Deus, ut prima veritas.

*Secundo*: Objectum fidei eſt certum.

*Tertio*: Eſt credibile.

*Quarto*: Ultima fidei reſolutio de ejus objecto fit certo & infallibili modo ultimate in Eccleſiam.

*Quinto*: Actus internus fidei, ſecluſo gratiæ auxilio, non elicitur.

*Sexto*: Actus fidei etiam exterior eſt de præcepto.

## ARTICULUS PRIMUS.

*DE objecto fidei Religionis, & Ecclesiæ.*

DARI fidem probant ubique sacræ paginæ, dum ipsius necessitatem sine fine prædicant, ut illud Apost. Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*. Fides non solum ad cognoscendum Deum utilis est, sed & ad naturalia penetranda non inutilis apparet propter tria. I. Quia per eam homo venit ad multorum cognitionem, ad quam acquirendam tempus vitæ sæpius non sufficeret. II. Per eamdem cognitio rerum naturalium fit communis simplicibus & implicatis in negotiis sæculi. III. Homo per eam fit certior de rebus naturalibus quæ sunt præ oculis suis.

*Fides* multipliciter sumitur. Primo quidem pro conscientia bona, juxta illud Rom. cap. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est*. II. Pro fidelitate in promissis servandis; sic illam sumit Apostolus, cùm ait 1. Cor. 4. *Quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*; & in isto sensu Psal. 144. Deus dicitur, *fidelis Dominus in omnibus verbis suis*; tum quia semper promissa exequitur. Sumitur etiam pro bona œconomia & fideli dispensatione bonorum Dei. III. Pro veracitate & virtute inclinante ad dicendum verum, unde ab ea homo dicitur veridicus: Sic etiam Deus dicitur fidelis, est enim maxime verax & falsa propalare nequit. IV. Pro fiducia, qua quis optime sperans de aliquo, ejus voluntati se committit; de hac loquebatur Christus in isto sensu quum dixit Petro, qui mergi incipiebat: Matth. 14. *Modicæ fidei, quare dubitasti*. Hoc est, cur non totaliter te permisisti meæ voluntati & potentiæ? Et Marc. 11. *Habete fidem Dei... quicumque dixerit huic monti: Tollere & mittere in mare... quodcumque dixerit, fiat, fiet & se jactabit*. 50. Sumitur pro objecto suo & doctrina, ut quum S. Athanasius dicit in Symbolo: *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*. Denique pro cognitione obscura alicuius rei innixa testimonio Dei dicentis & revelantis; si enim testimonium esset humanum, faceret solum fidem humanam, sed cum sit divinum, divinam & infallibilem operatur. De illa in isto solum ultimo sensu impræsentiarum agimus.

*Prænotandum* est triplicem distingui veritatem a Philosophis; alteram in essendo, alteram in dicendo, alteram in cognoscendo. Prima est ipsa veritas transcendentalis, quæ est proprietas cujuscumque entis: ratione illius Deus dicitur verus, ideſt, habens veritatem seu esse ens reale infinite perfectum per quod distinguitur a falsis Diis qui nihil sunt a parte rei: Secunda inest nobis, & est virtus moralis nos inclinans ad dicendum verum; in Deo autem est inclinatio quam habet ad veritatem dicendam & neminem fallendum: Tertia, est ipsa conformitas objecti cum potentia cognoscente, & illud enunciante. His positis sit

### CONCLUSIO PRIMA.

*Objectum materiale fidei est omnis res revelata*. Ita D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 1.

*Probatur ratione*. Objectum materiale illud est circa quod versatur facultas: Sed fides respicit omne revelabile, quippe quæ respiciat id omne quod dicit Deus, ut prima veritas, cujus testimonio ipsa nititur & fundatur: Ergo &c.

### CONCLUSIO SECUNDA.

*Objectum formale quod fidei, est Deus sub ratione primæ veritatis in dicendo, adeoque sub ratione deitatis*.

PROBATUR ex D. Thoma, qui hic art. 1. dicit veritatem primam se habere ad fidem sicut sanabile ad medicinam: Atqui sanabile eatenus est objectum formale quod medicinæ, quatenus medicina omnia respicit per ordinem ad sanitatem, ita & fides omnia considerat per ordinem ad primam veritatem dicentem seu revelantem. Ergo &c.

CON-

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Objectum formale quod fidei, est Deus sub ratione primæ veritatis in dicendo, adeoque sub ratione deitatis.*

PROBATUR ex D. Thoma, qui hic art. 1. dicit veritatem primam se habere ad fidem sicut sanabile ad medicinam: Atqui sanabile eatenus est objectum formale quod medicinæ, quatenus medicina omnia respicit per ordinem ad sanitatem, ita & fides omnia considerat per ordinem ad primam veritatem dicentem seu revelantem. Ergo &c.

## CONCLUSIO TERTIA.

*Objectum formale sub quo fidei est prima veritas in dicendo connotans primam veritatem in cognoscendo.*

PROBATUR *prima pars*. Ex D. Thoma, qui quæst. 14. de veritate art. 8. ad 16. ait: " Testimonium primæ veritatis se " habere in fide, ut principium in scien- " tiis demonstrativis. „ Igitur sicut principium in scientia demonstrativa est objectum formale sub quo, ita erit & prima veritas in dicendo respectu fidei, quandoquidem omnia respicit sub ista formalitate, videlicet ut sunt à Deo revelata.

*Probatur secunda pars*. Objectum fidei tametsi obscurum, debet tamen esse certissimum: Igitur prima veritas in dicendo connotans primam veritatem in cognoscendo, est objectum formale sub quo adæquatum fidei: Enimvero non sufficit ut prima veritas aliquid dicat & revelet ad hoc ut sit certum, sed insuper debet ipsa omnia cognoscere quæ revelat; alias defectu cognitionis, posset ipsa falli, adeoque & alios, incerta pro certis enunciando, fallere.

### *Solvuntur objectiones.*

OBJICIES 1. Contra primam conclusionem: Peccata revelantur in Scripturis, & tamen non sunt objecta fidei, quia non ordinantur ad Deum. 2. Deus ipse ut prima veritas cadit sub revelationem; & tamen non est objectum materiale, sed formale fidei: Igitur omne revelatum non est objectum materiale fidei. Confirmatur: cuncta revelata non sunt æque credibilia sicut objecta charitatis non sunt æqualiter amabilia: Ergo &c.

*Respondeo* ad 1. distinguendo, peccata secundum se non sunt ad Deum ordinabilia, concedo: ut detestanda, vel ab iis qui illa commisere, vel ab aliis, nego.

*Ad* 2. distinguo Deus ut prima veritas in dicendo non est objectum materiale, sed formale, concedo: in essendo & ut est ens, nego. Fides enim docet Deum esse remuneratorem, & sic cadit sub revelationem.

*Ad* confirmationem nego ea quæ fides attingit, non esse æqualiter credibilia, quandoquidem subsunt eidem rationi formali, scilicet revelationi: unde fides est unicus & simplex habitus, quia cuncta considerat sub eadem ratione, & habet idem objectum formale, hinc Concilium Trident. damnavit Lutheranos, eo quod multiplicarent habitum fidei, volentes ut alia fide credantur historiæ utriusque Testamenti, alia vero dogmata & moralia, unde nego paritatem. Charitas enim supponit bonitatem in objecto a quo movetur ad amandum; & cum bonitas in Deo sit increata, in creaturis vero finita, magis amat Deum quam creaturas: Sed fides uno & eodem nititur testimonio Dei revelantis, adeoque omnia revelata sunt æqualiter credibilia, quandoquidem prima veritas est æqualiter in omnibus verax.

*Instabis*: Deus ipse ut prima veritas cadit sub revelationem, & tamen non est objectum materiale, sed formale: Igitur omne revelatum non est objectum materiale fidei, sed formale.

*Respondeo* distinguendo; Deus ut prima veritas in dicendo non est objectum materiale, sed formale, concedo: in essendo & ut est ens, nego. Fides enim Deum esse docet saltem rudes & plebeios qui, visis creatoris effectibus, demonstrationem de existentia Dei elicere non valent; sicque respectu eorum existentia Dei, inquit D. Thomas, cadit sub revelationem.

*Opponet*: Contra secundam conclusionem: Theologia respicit Deum ut primam veritatem loquentem, prophetia vero etiam

ipsum Deum immediate revelantem: Igitur prima veritas in dicendo non est objectum formale quod fidei, quia debet esse singulare, ut sit specificativum: Confirmatur. Ultima resolutio fidei non fit in Deum dicentem, sed in Deum ut sic: quærenti enim cur Incarnatio facta sit? Respondet Theologus quia prima veritas hoc revelavit. Quærenti rursus cur prima veritas hoc revelaverit, Respondet, quia hoc Deus dixit. Ergo &c.

*Respondeo* ad primum distinguendo; Theologus respicit primam veritatem ut loquentem, & utitur revelatione virtuali fundata in discursu, concedo: revelatione immediata sicut fides, nego.

*Ad* 2. similiter distinguo; Prophetia respicit etiam immediate Deum revelantem, & aliquid aliud, concedo: secus, nego. Fides nititur revelatione omnimode obscura: Prophetia vero sæpius habet evidentiam in attestante, cum Angeli in visionibus alloquerentur Prophetas, qui idcirco lib. 1. Reg. cap. 9. dicuntur videntes. Quid plura commemorem? Prophetia non respicit per se primo Deum in se sicut fides, sed bonum temporale creaturæ, unde objectum eius formale est diversum.

*Ad* confirmationem, dico ultimam fidei resolutionem fieri in Deum revelantem. Quando autem quæritur cur Deus revelaverit? Et respondet Theologus, quia Deus dixit, jam respondet ut sciens & Theologus qui discurrit, non vero ut fidelis, qui simpliciter credit: Cæterum prima veritas revelans est ipse Deus ut auctor gratiæ; per gratiam enim solum cognoscimus Deum vera dicere quando loquitur, sed non ratione pure naturali: nam possemus dubitare an Deus velit nobis revelare, vel abscondere sua mysteria.

*Instabis*: Si Deus ut Deus foret objectum formale fidei, sequeretur fidem ipsa charitate fore nobiliorem, quandoquidem deitas exprimit aliquid nobilius quam bonitas quæ est charitatis objectum: Sed falsum consequens, Ergo & Antecedens.

*Respondeo* negando sequelam, quandoquidem habitus nobilitas non petitur ex objecto nobiliori in ratione entis spectato, sed bene ex objecto formaliter & in ratione objecti considerato: Sic autem objectum fidei non est nobilius, quia charitatis objectum est, vel ipsa bonitas divina, ut est in se, objectum vero fidei est deitas prout in intellectu creato per revelationem obscuram recipitur & dignoscitur, hinc sub isto respectu, est aliquid ipsa bonitate minus.

*Objicies*: Contra tertiam conclusionem: objectum formale sub quo est intrinsecum: Sed revelatio est extrinseca fidei: Igitur non est objectum formale sub quo.

*Respondeo* distinguendo majorem; objectum scientiæ est quid intrinsecum, concedo: consistit enim in demonstratione, & in consensu conclusionis deductæ ex præmissis, hinc ratio sub qua, quæ est motivum assensus, est intrinseca: objectum fidei, subdistinguo, active sumptum & ex parte loquentis, concedo: est enim ipsum verbum Dei ut loquentis, Deo maxime intrinsecum: passive & extrinsece per ordinem ad eos ad quos fit sermo, nego. Quandoquidem est de ratione fidei, ut nitatur testimonio alieno, & sic distincta minore, nego consequentiam.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

I. *Objectum materiale fidei est omne revelatum*. II. *Formale quod*, *Deus sub ratione Deitatis*. III. *Sub quo*, *prima veritas in dicendo*.

PRIMUM patet, quandoquidem fides respicit omne revelatum.

*Secundum* utique; fides enim respicit Deum loquentem ut Deum.

*Tertium* etiam; objectum enim formale sub quo est ratio sub qua aliqua facultas suum objectum considerat: Sed fides cuncta spectat relative ad Deum ut prima veritas est, Ergo &c.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Fides respicit quidem peccata revelata, sed ut detestanda per pœnitentiam quæ peccatorem ad Deum ordinat & convertit.

*Secundo*: Tametsi Theologia simul & prophetia Deum, ut loquentem considerent,

rent, non tamen sub eodem respectu. Cum fides essentialiter sit obscura, prophetia vero non semel habeat evidentiam in attestante, ut quum Joannes ajebat discipulis ostendens Christum presentem, Joan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi:* Cęterum, est per se primo ad bonum alterius, hinc Deum primario non attingit propter se, sed propter proximum.

*Tertio:* Objectum formale sub quo scientiarum ipsis est intrinsecum, secus vero fidei, quippe quę innitatur testimonio alieno, scilicet Dei.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De certitudine objecti fidei.*

OBJECTUM fidei esse certum, & quidem certitudine qua major non possit haberi vel a natura, vel ab homine, omnes catholici conveniunt; nec ipsi diffitentur Calvinistę & Lutherani: Sed difficultas est a quibus oriatur principiis. Duo potissimum assignantur, nempe relatio facta Ecclesię de aliqua veritate incognita: alterum vero est ipse Deus loquens. Igitur duo potissimum quęruntur: Primo quidem qualis requiratur revelatio ad fidem? Secundo, an Deus ita veritatem loqui astringatur, ut nec errorem, nec ipsam equicationem possit loquendo, sive per se, sive per alios inducere? Unde fit

### SECTIO PRIMA.

*De revelatione prærequisita ad fidem.*

PRÆNOTANDUM est I. Duplicem esse revelationem, scilicet virtualem, & formalem: formalis est ejus quod revelatur in seipso: virtualis vero est ejus quod naturali sequela ex ipsa re revelata sequitur, seu est connexio cum revelata. Rursum plerique Theologi subdistinguunt formalem in implicitam & explicitam: explicita est ejus quod distincte revelatur, ut Christum esse hominem: implicita est ejus quod includitur in re revelata, v. g. Christum esse rationalem; subnotant hi Theologi non esse confundendam virtualem revelationem cum formali, nec formalem explicitam, cum implicita.

*Observandum* II. Illud quod revelatum est virtualiter educi solere expressius per discursum ex propositione revelata: unde præsens difficultas concipi solet sub illis terminis: utrum conclusio Theologica deducta ex una præmissa de fide, & altera quæ non est de fide, sit revelata? Ut in isto discursu: omnes Apostoli repleti sunt Spiritu sancto: Sed Matthæus fuit Apostolus: ergo fuit repletus Spiritu sancto. In illo syllogismo duæ præmissæ sunt de fide, in sequenti vero isto syllogismo: omnes peccaverunt in Adam: Petrus est homo: ergo peccavit in Adam. Una est tantum de fide, nempe major. Quibus prælibatis sit

### CONCLUSIO PRIMA.

Datur & existit divina revelatio.

*Probatur rationibus Theologicis.*

PRIMA, sic exponitur: Nomine divinæ revelationis intelligimus lumen desuper infusum quo Deus obstrusa & incognita hominibus aperit: Atqui datur hujusmodi lumen: Et probatur ex Lactantio qui lib. 1. cap. 1. ait: " Fieri non " potuit, ut homini per se ipsum ratio " divina innotesceret, non est passus hominem Deus lumen sapientiæ requirentem diutius oberrare, ac sine " ullo laboris affectu vagari per tenebras " inextricabiles. Aperuit oculos ejus aliquando, & notionem veritatis munus " suum fecit, ut & humanam sapientiam, nullam esse monstraret, & erranti ac vago viam consequendæ æternitatis ostenderet. "

*Secunda*: Multa sunt ad instituendos mores necessaria, quæ homo non potest proprio labore, & industria scire, cum vita sit brevis, & corpus deprimat sensum multa cogitantem. Igitur datur divina revelatio quæ suppleat his defectibus ne homines errent in via salutis indaganda. Ista ratio est D.Thom. 1.p.art. 1. ubi sic loquitur: " Dicendum, quod necessarium fuit ad humanam salutem esse " do-

" doctrinam quandam secundum revela-
" tionem divinam præter Philosophicas
" disciplinas, quæ ratione humana inve-
" stigantur. Primo quidem, quia homo
" ordinatur ad Deum, sicut ad quemdam
" finem, qui comprehensionem rationis
" excedit secundum illud Isaiæ: *oculus non*
" *vidit Deus absque te, quæ præparasti dili-*
" *gentibus te*. Finem autem oportet esse
" præcognitum hominibus, qui suas in-
" tentiones & actiones debent ordinare in
" finem. Unde necessarium fuit homini
" ad salutem, quod ei nota fierent quæ-
" dam per revelationem divinam, quæ
" rationem humanam excedunt.,,

*Tertia*: Necesse est Deum ipsum determinare modos quibus cultum sibi debitum vult exsolvi; tametsi enim vel ipse naturæ instinctus, & ratio erga Dominum inspirent reverentiam, non satis tamen hoc determinant; obsequia siquidem, quæ subditi exhibent Principi, non ex subditorum arbitrio, sed ex Monarchæ præscripto assignari debent: Sed hoc fit divina revelatione; hinc Apostolus ad Hebr. 1. ait: *Multifarie, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*. Igitur divina existit revelatio & necessaria est; hæc enim si semel desit, ut plurimum cæcutit, & hallucinatur humana ratio sibi permissa, tum in turpissimos errores & absurdissimas superstitiones sæpius impingit, sicut patet inspicienti varias gentium pro suo nutu religiones sibi confingentium opiniones.

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Revelatio implicita & virtualis ante Ecclesiæ explicationem non sufficit ad fidem Catholicam.*

PROBATUR *isto ratiocinio*: Illud rem de fide constituere non valet, quod neque omnibus apparere, neque eodem modo concipi potest, sed diverse a diversis explicatur modis: Atqui conclusio Theologica, v. g. ante Ecclesiæ definitionem neque omnibus sufficienter patet, neque eodem modo ob omnibus intelligitur, ut patet in Millenariis, qui in adulterinum detorquebant sensum, Apocal. locum, in quo Joannes asserit sanctos cum Agno mille annis regnaturos; quod quidem regnum intelligebant de Paradiso terrestri, antequam visione Dei donarentur justorum animæ, unde illud regnum ab illis ventilatum, explosum fuit & tanquam aliquid fidei contrarium a Concilio Florentino abjectum.

## CONCLUSIO TERTIA.

*Revelatio implicita & virtualis post Ecclesiæ definitionem sufficit ad fidei articulum fundandum.*

PROBATUR ista ratione: Illud fide divina credi necesse est, quod Verbo Dei loquente, immo & quasi proponente revelatur: Atqui talis est revelatio implicita. Ergo &c. Probatur minor. Revelatio implicita fundatur in propositione contenta vel in Scriptura, vel in Traditione, quandoque etiam in conclusione Theologica inclusa; non quod ipsa conclusio sit articulus fidei, est enim ejus tantum illatio, sed quia connotat aliquam præmissam, fidem in se referentem: jam vero etiam ipsa veritas suprema iterum per Ecclesiam loquitur, ut ejus organo proponat veritatem; inest autem omnibus præceptum audiendi Ecclesiam, ut fusius infra dicemus. Igitur revelatio formalis implicita sufficit ad fidem: maxime vero quia per Ecclesiæ definitionem, quod erat antea implicite, jam fit explicite cognitum.

## CONCLUSIO QUARTA.

*Revelatio generalis sufficit ad fidei articulum statuendum.*

PROBATUR I. Ex Scriptura, quæ ut plurimum revelationes tantum generales exhibet ad fidem astruendam, quales sunt revelationes factæ & Prophetis, & Apostolis, sic Marc. ult. habetur *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. Rursus Act. 1. Christus ad Apostolos sic loquens introducitur: *Eritis mihi testes in Judæa .... Et usque ad ultimum terræ*. Ergo &c.

*Probatur* II. ratione triplici. Prima quidem, quia Ecclesia in rebus fidei determi-

terminandis recurrit, saltem ordinarie loquendo, nonnisi ad revelationes generales, easque magnis Pastoribus pro bono publico & gloria Dei factas. Secunda, ad credendum fide divina aliquid duo potissimum sufficiunt, revelatio scilicet primæ veritatis, & ejus agnitio: quæ quidem ea duo haberi possunt absque privata revelatione. Primum quidem, nam revelatio publica procedit a prima veritate; secundum vero, quia quod publica firmatur revelatione atque se prodit, certius est eo quod particulari tantum dignoscitur. Tertia, revelatio publica veritati divinæ magis consona videtur, quandoquidem prima veritas est universalis & pro bono totius generis humani, unde quod est universalius, magis utique de prima veritate sapit & percipit. Ergo &c. Absit tamen procul facere revelationes privatas; licet enim sint solum pro bono alicujus particularis personæ, nihilominus fide divina tenendas esse propugnamus. Talis est revelatio filii futuri contra spem Abrahæ promissi; qui tametsi jam cum uxore senesceret, credidit tamen non esse impossibile apud Deum omne Verbum. Quam quidem fidem laudat Apostolus Rom. 4. his verbis: *Credidit Abraham & reputatum est illi ad justitiam*. Ratio cur revelatio privata etiam fide tenenda sit, in promptu est, quia nititur testimonio divino, cui subesse falsum non potest.

*Dices*: quod est revelatum, æque est credibile ante Ecclesiæ definitionem, quam post, quandoquidem Ecclesia non auget alicujus articuli revelati veritatem: Igitur revelatio formalis implicita sufficit secundum se ad fidem constituendam. Confirmatur. Fideles possunt seipsis elicere conclusiones & consequentias, saltem in multis quæ jamjam clare patent in Scripturis. Ergo &c.

*Respondeo*, in hoc esse commentum Calvinistarum, qui abjecta Ecclesiæ auctoritate, Scripturas secundum spiritum privatum in suos detorquere sensus delectantur, & complacent. Ad summum concludi potest, viros alias litteratos consequentias ex Scriptura perutiles deducere posse: sed contendimus ipsos eo usque non pervenisse, ut obligarent lectores absque Ecclesiæ determinatione ad aliquid sub pœna peccati tanquam de fide credendum, unde

*Respondeo* II. distinguendo: Quod est revelatum æque est de fide secundum se ante determinationem Ecclesiæ, quam post ejusdem definitionem, concedo: quoad nos, nego. Nullus imprudenter credere tenetur, & ideo Ecclesiam audire debet ut sciat quid de fide credendum, quid vero non: maxime vero quia Ecclesia est Spiritus sancti organum & fidei veritatum custos fidelis, adversus quam ex promissione Dei, portæ inferi & spiritus erroris nusquam prævalebunt: unde ad ipsam pertinet secernere veras a falsis Scripturas: veritates fidei ab humanis; nec ideo dicitur aut facere, aut augere aliquam fidei veritatem, sed eam proponere & ex jure suo determinare.

*Ad* confirmationem, distinguo, litterati possunt deducere conclusiones perutiles ex Scripturis, concedo: conclusiones quæ sint vel obligent de fide, subdistinguo: si veritates in conclusionibus vel contentæ, vel illatæ, jam sint de fide determinatæ, concedo: secus, nego. Sic v. g. Ecclesia de fide determinavit in Concilio Ephesino Christum esse Deum, unde Theologus hanc potest sic probare veritatem. Ille homo est Deus, cui Verbum est hypostatice unitum: Atqui ex Ephesino, Verbum est hypostatice unitum humanitati sanctæ: Igitur Christus est verus Deus. Profecto ista consequentia est de fide, quia deducitur à propositione revelata, & ab Ecclesia proposita; nempe: Atqui Verbum est hypostatice unitum humanitati sanctæ. Ergo &c.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*I. Datur divina revelatio. II. Revelatio virtualis post Ecclesiæ definitionem sufficit ad fundandum fidei articulum.*

PRIMUM verissimum est: mysteria quippe transcendunt mentis humanæ aciem, nec, seclusa revelatione, nobis innotescunt: immo nec alia multa etiam ordinis naturalis propter vitæ angustias & brevitatem absque illo lumine scire valemus.

*Secundum* etiam firmissime tenendum est: namque revelatio virtualis una aut altera præmissa de fide innititur. Ergo &c.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

INCASSUM Protestantes auctoritatem Ecclesiæ proponentis fidei articulum abjiciunt: cum enim homines litterati quamtumvis docti falli possint, non sufficit eorum scientia ad fundandum fidei articulum, secus vero Ecclesiæ, quippe quæ sit infallibilis; hinc columna veritatis recte dicitur: non igitur ad spiritum privatum spectat fidei articulos dirigere, & ordinare, sed ad solam Ecclesiam.

## SECTIO SECUNDA.

*Utrum Deus sit ita verax, ut nec falli, nec fallere possit, sive per se, sive per alios?*

MENTIRI est rem significare verbo aliter quam sit, non quidem in seipsa, sed in mente loquentis, unde mentiri idem est ac attestari quod falsum est, & negare quod verum putatur.

*Quidam* hæretici, teste Guidone, tenuerunt Deum aliquando, quod absit dicere, mentitum esse. Gabriel in 3. dist. 38. citans quosdam nominales pro opinione sequenti duplex mendacii genus distinguit. Primum inordinatum, quod quidem importat non solum mentiendi actum seu rei falsæ prolationem contra mentem, & adversante propria conscientia, verum etiam circumstantiam actus qui fit contra legem, aliud vero deordinatione carens quod solum falsitatem habet, non autem affectum malum injuste decipiendi. Primum vult omnino repugnare Deo, minime vero secundum, additque mendacium primi generis illud solum esse quod a Patribus & nominatur & habetur tanquam mendacium. Sed contra illos omnes sit

## CONCLUSIO PRIMA.

*Repugnat Deum omnimode falsa propalare & revelare.*

Probatur auctoritate, & ratione.

*Primo, ex Scriptura sacra.*

NUM. 23. habetur: *Non est Deus quasi homo ut mentiatur: nec ut Filius hominis, ut mutetur*. Et iterum Rom. 3. *Est autem Deus verax*. Et adhuc Hebr. 6. *Impossibile est mentiri Deum*. Ergo &c.

*Secundo, ex Patribus.*

S. AUGUSTINUS lib. 2. de civit. Dei cap. 25. sic loquitur: "Si velint invenire „ quid omnipotens non potest, ego di- „ cam, mentiri non potest." Idem dicit Ambrosius epist. 37. & alii ne uno quidem excepto. Hoc ipsum docet ex professo D. Thomas hic art. 3. his verbis: „ Sub veritate prima non potest stare fal- „ sum; sicut sub ente non ens; nec malum „ sub bonitate."

*Tertio, ratione eaque multiplici.*

PRIMA sic procedit: Mendacium est deviatio a prima veritate & defectus potentiæ; Deus vero est prima veritas & omnipotens: Igitur non potest annunciare falsa pro veris.

*Secunda* sic exponitur: Deus est id quo nihil melius aut perfectius excogitari potest, cui repugnat per se & intrinsece malum. Atqui mendacium est per se & intrinsece malum. Igitur impossibile est ut cadat in Deum etiam indirecte. Probatur minor. I. Ex conscientia cujuslibet, nullus etenim pati potest sibi aut imputari, aut exprobrari se esse mendacem. II. Mendacium opponitur veritati divinæ. III. Deus nos obligat ad credendum suo verbo malo, & hoc sub culpa mortali; atqui sic obligat suo verbo credere: Igitur mendacium non potest esse a Deo.

*Tertia*, deducitur ex Apostolo, Deus seipsum negare non potest: Atqui seipsum negaret, si falsa pro veris daret: nam negaret suam veritatem, cui essentialiter repu-

repugnat omnis error, atque falsitas. Ergo &c.

### CONCLUSIO SECUNDA.

*Deus etiam per alios falsa propalare nequit.*

PROBATUR, breviter hoc ratiocinio: Dictum est modo Deum non posse per seipsum falsa dicere: Igitur nec per alios. Probatur consequentia: si falsa diceret per Ministros, defectus in ipsum refunderetur; nam & causa formalis censeretur esse propositionis factæ a Ministro, qui loqueretur solum vel inspiratus, vel edoctus a Deo qui revelaret vel etiam dictaret ea quæ proferret homo, sed absurdum consequens. Ergo & antecedens.

*Solvuntur objectiones.*

OBJICIES. Contra 1. conclus. Multa Deus pronunciavit quæ non evenerunt, sic Genes. 4. Cum Cain dixisset: *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Respondit Deus: *Nequaquam fiet.* Et tamen interfectus est a Lamech. Secundo, Isaiæ 38. prædixit Propheta Ezechiæ Regi eum brevi moriturum, vixit tamen post adhuc 15. annis. Tertio, Jonæ 3. legitur: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Multa dicta sunt a Deo per comminationis Prophetiam, quæ aliter evenerunt, quia conditio de exitu ponendo neque purificata fuit, neque adimpleta, concedo; non evenerunt ut prædicta sunt, subdistinguo: quoad aliquid, concedo: quoad omnia, nego. Ad primum non dixit Deus absolute quod Cain non occideretur, sed quod nihil haberet timendum, & morte impune non afficeretur: timebat enim Cain ne nullus esset sibi quiescendi locus, & a quocumque promiscue occideretur: nam de facto Lamech, qui postea eum occidit, severe punitus est propter scelus. Ad secundum, Isaias locutus est Ezechiæ secundum causarum secundarum ordinationem: qua quidem deposita, mori debet, verum propter & orationem, & promissionem, aliter ex potentia extraordinaria providere voluit misericors Deus. Ad Jonam simili modo respondendum est, interitum nempe Ninivitarum Prophes tam prædixisse supposito quod in peccatis permanerent obstinati; quia vero pœnitentiam egere, ideo misericordiam invenire meruerunt.

*Instabis.* Deus videtur aliquem decepisse. Ergo &c. Enimvero Job. 12. legitur. *Deum punire malos Principes. Errare eos faciet quasi ebrios.* Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem, distinguo; Deus decipit permissive in pœnam peccati, concedo: sic permisit & Achab Regem Israel propter impietatem decipi a falsis Prophetis, concedo; formaliter & positive, nego. Nequit enim esse erroris causa.

*Urgebis*: Deus est causa formalis doloris: Igitur videtur posse esse & erroris: tum quia aliquis potest abuti miraculis ad probationem alicujus mali: tum quia etiam compertum habetur in Scripturis Barlaam & Caipham homines malos prophetasse. Ergo &c.

*Respondeo* negando paritatem: Deus enim utpote justus, est causa doloris & mali positivi ad puniendum & corrigendum malos, sed non peccati, quod habet solum causam deficientem. Aliæ probationes indicant solum peccatores posse abuti donis Dei, sed non ideo Deum esse mali auctorem, hinc de sceleratis hominibus vehementer conqueritur, dicens per Isa. 43. 24. Prophetam: *Servire me fecisti in peccatis tuis.* Unde si Minister Sacramentorum v. g. utatur caractere ad malum finem, tota culpa in ipsum refunditur, sicut quando custos Sigilli Principis abutitur principis annulo, ipse solus pœnis dignus est.

*Cæterum* Barlaam vere prophetavit & quidem in populi Israelitici gratiam: item & Caiphas, ipso testante Joanne, qui prænuntiavit mortem Christi omnibus hominibus profuturam.

*Dices*: Virtuti morali potest subesse falsum; Igitur & fidei seu Verbo Dei. Confirmatur. Abraham credidit Christum nasciturum, juxta illud Joan. 8. *Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.* Attamen Filius Dei poterat postea non incarnari, opus siquidem erat liberum & ad Dei placitum. II. Judæi ante Christum natum credebant Messiam venturum esse;

nato

nato vero Christo, multi nihilominus credunt adhuc eum esse venturum. Igitur Verbo Dei potest subesse falsum.

*Respondeo*, ad primum negando paritatem, virtus enim moralis, inquit D.Thomas hic art. 1. ad 3. subest voluntati quæ est versatilis inter bonum & malum: sed fides pertinet ad intellectum, qui, proposita veritate, non potest non assentiri.

*Ad* secundum respondeo distinguendo: Abraham credidit Christum nasciturum per revelationem fundatam in decreto Incarnationis, adeoque infallibilem, concedo: & poterat non evenire, subdistinguo: in sensu diviso, concedo: in sensu composito, & ut habet decretum annexum, sicut & Dei præscientiam, nego. Licet enim Deus possit aliquod patrare opus vel non, supposito tamen quod illud faciendum decernat, prævidet certo illud futurum esse, nec potest ejus falli præscientia. Solutio est D.Thomæ hic art. 3. ad 2.

*Ad* tertium distinguo: Et tunc temporis lex Evangelica & Messiæ fides non obligabat, saltem omnes, concedo: & obligabat, nego. Fides Messiæ revelata est explicite Synagogæ Proceribus, ut Prophetis; aliis vero implicite, ut poterat falli Judęus post incarnationem circa temporis Messiæ determinationem, hinc mulier Samaritana Joan. 4. Christo dicebat: *Scio quia Messias venit qui dicitur Christus. Cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia*. Secundo, Judæi adhuc expectant Messiam, sed eorum ignorantia culpabilis est, siquidem vinci potest, & miraculis, & Evangelii propagatione: sic docet D.Thomas hic art. 3. ad 1.

*Repones*: Christianus credit fide divina corpus Christi esse sub speciebus panis & vini, illudque non sub conditione, sed absolute adorat: sed non est certum utrum hostia sit consecrata, fieri enim potest ut non sit, nempe vel malitia Ministri, vel etiam defectu ejus ordinationis: Igitur fidei subesse potest falsum, ut si quis diceret: omnis homo peccavit in Adam: sed Christus est homo: ergo peccavit in Adam, quod est falsissimum.

*Respondeo* distinguo majorem: Christianus credit fide divina panem consecratum esse corpus Christi, concedo: panem ut sic, nego. Fides enim respicit solum panem reduplicative ut consecratum, quia tamen fidelis certitudinem habet moralem esse consecratum, & certitudo moralis sufficit ad fundandum judicium prudentiale; debet adorare sine restrictione hostiam quæ proponitur & ostenditur adoranda.

*Ad* secundum: Dico errorem se tenere ex parte credentis, non vero ex parte fidei; & ideo nullo modo subest illi falsum.

*Ad* tertium distinguo: Ex præmissa potest sequi conclusio falsa per accidens, & ex defectu illius qui male illam deducit, concedo: per se & ex defectu fidei, nego. In syllogismo allato sunt tres termini, nam homo in majori sumitur pro homine puro, & in minori pro homine Deo; hinc conclusio falsa sequitur ex inordinata terminorum dispositione.

*Oppones* contra 2. conclusionem: Deus videtur servis suis inspirasse mendacium. Ergo &c. Probatur antecedens. Gen. 20. Abraham dixit Sarę uxori suę dum esset in Ægypto: *Dic quod soror mea sis, ut benè sit mihi propter te*. Ambros. lib. de Abraham cap. 8. & August. lib. de mendacio art. 1. dicunt Abraham tunc locutum fuisse ex instinctu Spiritus sancti. 2. Ibid. cap. 22. Abraham immolaturus filium dixit servis suis: *Expectate hic & revertemur ad vos*. Attamen ad immolandum filium pergebat. 3. Ibidem cap. 27. Jacob dixit Patri suo: *Ego sum primogenitus tuus Esau*. 4. Ibidem cap. 42. Joseph ait fratribus: *Per salutem Pharaonis exploratores vos estis*: Tum cap. 44. iisdem dixit: *An ignoratis quod non sit similis mihi in augurandi scientia?* 5. Filii Israel Exod. 12. petierunt commodato ab Ægyptiis multa vasa cum intentione non reddendi. Ergo &c.

*Respondeo*, ibi multa referri ab Historicis quę tamen non approbantur; quia tamen ut plurimum in sententiis continentur mysteria, singula distinguenda & explananda sunt.

*Ad* primum distinguo: Et uxor Abrahę erat simul & ipsius soror, quia erat filia patris sui, forsan ex alia matre suscepta, concedo: secus, nego. Quod autem Abraham recte egerit ad servandam vitam, patet eo quod Deus flagellaverit domum Abimelech Regis Ægypti, qui Saram rapuerat sibi in uxorem.

*Ad* secundum distinguo: Tunc Abraham prophetavit quando dixit, revertemur ad vos, concedo: & non prophetavit, nego.

Licet

Licet enim in animo ipsi esset immolare filium Isaac, tanta tamen prępollebat fide ut crederet Deum sufficienter & bonum & potentem ad suscitandum Isaac; hinc fide loquens nullo modo mentitus est, volebat enim & immolare filium, & confidebat se reversurum ad servos cum filio redivivo. Solutio est D. Pauli qui ad Heb. 11. de Abraham, sic loquitur: *Abraham obtulit filium suum, arbitrans quod potens est Deus Filium a mortuis suscitare.*

*Ad* tertium etiam distinguo: Jacob erat major jure primogeniturę Esau, quia hanc a fratre emerat dignitatem, concedo: & nullo modo erat primogenitus, nego. Erat utique primogenitus in figura, teste S. Augustino, quandoquidem manus Esau expresserat pellibus caprinis, ut Christum prefiguraret, unde August. lib. contr. mend. cap. 10. ait falsum Jacob non fuisse locutum sed mysterium, quandoquidem erat primogenitus in Spiritu gratię & fidei sicut Joannes Baptista dicitur in Evangelio Elias in Spiritu. Ceterum inter homines invaluit consuetudo, ut qui pecunia numerata alicujus nobilis emit terram, terrę nomine & donetur & & insigniatur.

*Ad* quartum similiter distinguo, Joseph vocavit fratres suos exploratores, ut illos tentaret & probaret sicut solet judex imponere falsas culpas etiam innocentibus, ut detegat reos, concedo: vocavit exploratores aut calumnia, aut maledictione, nego.

*Ad* quintum adhuc, distinguo: & nomen auguris sumitur ibi pro Propheta, concedo: & ideo vera protulit Joseph, nam erat Propheta magnus ut patet ex eadem Scriptura: & nomen auguris sumitur pro divinatore, & arte dęmonum attente, nego.

*Ad* sextum, dico filios Israel non accepisse a Deo mandatum postulandi commodato vasa Ægyptiorum, sed simpliciter postulandi & petendi: soli quippe Ægyptii ea mutuo dederunt, sed Deus transtulit dominium ad Israelitas, ut mercedem laborum suorum injuste denegatam obtinerent.

*Dices:* Deus potest producere, v. g. odorem rosę absque eo quod rosa sit prę sens: Igitur posset esse, absque culpa, causa erroris.

*Respondeo* negando consequentiam & paritatem. Enimvero odor non dicit absolute pręsentiam rosę, hinc Deus eam supplere potest & producere odorem rosę absque rosa, unde non esset fallacia; quandoquidem prima causa se sola potest facere quidquid facit cum causa secunda, quum nullum est inconveniens, ut in exemplo.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Deus nec per se, nec per alios falsa pro veris potest pandere.*

PRIMO: quia ut habetur Num. 23. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.* Sic docent Patres; in primis S. Aug. lib. 2. de civit. cap. 25. S. Thomas hic art. 3.

*Secundo*: Non una ratio hanc probat veritatem; repugnat enim non ens cum ente essentiali, & supremam veritatem cum mendacio consociari.

*Tertio:* Deus, teste Apostolo 2. Tim. 2. *Seipsum negare non potest.* Sed si Deus falsa diceret, seipsum negaret, jam enim non foret veritas essentialis. Ergo &c.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non mirum videri debet, si quędam futura in Scriptura annuntiantur, quę tamen non evenerunt; hęc enim vel comminationis Prophetiam, vel etiam futura conditionata quorum conditio non purificata est, spectant.

*Secundo:* Neque putandum est, Deum esse mendacii, sicut potest esse doloris causam: flagellare enim v. g. peccatorem est quid justum & bonum cedens utilitati peccatoris: sed mendacium est malum privativum non habens causam efficientem, sed solum deficientem.

*Tertio:* Legitur Joan. 8. Christum dixisse Abraham dies ejus vidisse, sed de prę notione Spiritus, non visionis intuitivę Salvator sic locutus est, quocirca nihil a veritate alienum protulit.

## SECTIO TERTIA.

*Utrum repugnet Deum æquivoce loqui tum per se, tum per alios?*

Locutio equivoca est usus a verborum in sensu occultiori vero, relicto manifestiori falso ad proprium conceptum caute, aut etiam captiose occultandum. Porro equivocatio duplex distinguitur, altera scilicet verbalis & externa; & fit cum verba vel ex se, vel ex adjunctis circumstantiis externis duas possunt subire significationes; & sumuntur in sensu occultiori; ut si v. g. janitor in atrio domus existens respondeat Dominum suum non esse hic, intelligendo in atrio: equivocatio vero interna ea est cum per mentem alia significatio verbis tribuitur, quam ea que externe eis convenit sive per novi idiomatis confectionem, sive per verborum mentalium restrictionem, ut si Petrus interroganti an aliquid fecerit? Respondeat: non fecisse, subintelligendo, *ut tibi dicam*, jam sit

## CONCLUSIO.

*Impossibile est Deum sive per se, sive per alios loqui æquivoce.*

Probatur auctoritate & ratione. Primo quidem, Sap. 1. 5. habetur: *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum*. Atqui equivocatio est quid fictum: Igitur procul est a Deo. Ratione vero, & quidem quadruplici. Prima, quia Deus nequit justam habere causam equivoce loqui, nam universorum Dominus est, unde timor ad loquendum equivoce eum non compellit. Secunda, plenus est veritatis, unde sine tergiversione veritatem & loqui potest, & de facto loquitur. Tertia, equivocatio summe derogat auctoritati, siquidem equivocare, non imprimit tantam subjectis auctoritatem, quantam exigit Dominus. Quarta, in doctrina fidei adsunt multe cause avertentes ab equivocatione, in ea enim Deus se gerit ut dictamen mundi, & ut Doctor infallibilis; nec eum deceret viros sanctissimos decipere, immo suam purissimam doctrinam sub culpa gravi & pœna eterna, vult teneri, quod non posset facere, si foret equivocatio.

*Solvuntur objectiones.*

Oppones. Jeremias cap. 20. 7. ait a Deo ipso fuisse seductum, sic enim loquitur: *Seduxisti me Domine, & seductus sum*. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: seductus est a Deo Jeremias permissive, concedo: directe & positive, nego. Putabat Propheta se mitti solum ad gentes, juxta illa cap. 1. verba: *Constitui te hodie super gentes .... ut .... disperdas*. Sed Deus qui non tenebatur prima vice omnem missionem pandere, equum duxit etiam ad Judeos Prophetam dirigere, quibus multas, ipso inspirante, in peccatorum vindictam annuntiavit maledictiones, quas etiam citocitius suum sortiri effectum non credebat. Contrarium autem contigit, & a suo populo variis injuriis & opprobriis lacessitus contra spem, ingemuit, & pre amore alloquens Deum ut patrem à quo consolationem petebat, dixit: *Seduxisti me Domine*.

*Respondet* Rev. P. Graveson Dominicanus & Doctor Sorbonicus Tract. de script. S. Rome typis edit. ad hanc & similes difficultates, his verbis: " Hec „ Scripture sacre loca in objectione laudata non innuere homines fuisse a „ Deo mentiendo, & falsa revelando „ deceptos, (hoc enim impossibile est, „ utpote summe Dei sanctitati, atque „ veracitati omnino oppositum): sed „ tantum insinuare, Deum, auferendo lumen veritatis, permittere interdum in pœnam peccati, ut homines „ seducantur, & decipiantur; eodem „ plane sensu, quo Deus dicitur obdurare corda hominum, non impartiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam suam, & spargendo pœnales „ cecitates propter illicitas cupiditates. „ Sic igitur Ezechielis cap. 14. dicitur, „ quod Deus seducit Prophetam, quatenus ab eo aufert Spiritum veritatis, „ quo fit ut Propheta divino destitutus „ lumine respondeat juxta visiones cordis sui. Sic cap. 22. libri Job dicitur, „ quod Deus seducit principes, auferendo „ ab eis lumen prudentie, & efficiendo,

ut

" ut eorum consilia optato exitu careant.
" Sic epist. ad Rom. cap. 1. Deus dici-
" tur tradere homines in reprobum sen-
" sum, quia illos a se desertos propriæ
" cupiditatis, & dæmonum illusionibus
" permittit. Sic denique, dicitur Deus
" mittere operationem erroris, quatenus
" subtrahit discretionem spirituum, &
" sinit ut satanas suis artibus, ac præ-
" stigiis impios seducat, sicut ibidem a-
" perte se se explicat Apostolus. Verba
" autem Jeremiæ dicentis: *Seduxisti me
" Domine & seductus sum*. Non ita sunt
" intelligenda, quasi Deus à sancto illo
" Propheta spiritum veritatis subtraxerit,
" sed his verbis significare duntaxat vult
" Jeremias, se sperasse fore ut Judæi e-
" jus Prophetia illustrati, ad se ipsos re-
" verterentur, & a pravis suis moribus
" resipiscerent, quod tamen secus, &
" præterquam speraverat, contigit. Nam
" Judæi Prophetia Jeremiæ pejores, ei-
" que inimicitiores facti sunt. Unde Pro-
" pheta ægre ferens repulsam, quam a
" Judæis passus erat, ait, se ob hanc
" causam noluisse amplius prophetare,
" sed tamen vehementiori Dei afflatu
" victum ad iterum prophetandum tuisse
" impulsum, seque hoc pacto fuisse à
" Deo seductum amicissime conqueritur
" Propheta: *Seduxisti me, Domine, & se-
" ductus sum, fortior me fuisti, & præva-
" luisti: factus sum in derisionem, tota die
" omnes subsannaverunt me.....* Ratio est,
" quia in his Prophetiis comminatoriis
" quædam semper importatur conditio,
" quandoque expressa, quandoque sub-
" intellecta, sicque nunquam tendunt
" ad fallendum, sed potius ad bonum,
" seu emendationem hominum. Sic Deus
" cap. 20. lib. Genes. ait Regi Abimele-
" cho, qui Saram uxorem Abrahæ abstu-
" lerat: *En morieris propter mulierem, quam
" tulisti*. Sed Abimelecho paratum ad sa-
" tisfactionem animum demonstranti, i-
" terum dixit Deus: *Nunc ergo redde vi-
" ro suo uxorem, quia Propheta est, & o-
" rabit pro te, & vives; si autem nolueris
" reddere, scito quod morte morieris tu, &
" omnia quæ tua sunt*. Ubi liquet, quod
" Deus Regi Abimelecho prædixit, non
" fuisse absolute futurum, sed in eo es-
" se subintellectam conditionem, ac de-
" inde explicatam." Igitur luce post meridiana clarius apparet simulationem in Deum non posse cadere.

*Replicabis*: Videtur quod Christus non semel æquivocatione usus fit. Ergo &c. Probatur antecedens. I. Christus Matth. 20. dixit matri filiorum Zebedæi petenti pro filiis in regno suo, sedes eminentiores: *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis*. Cum tamen hujus officii & muneris foret Dominus. II. Joan. 2. ait: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Ibidem cap. 7. respondet notis suis illum invitantibus ad festum: *Ascendite vos ad festum hunc, ego autem non ascendam*. Posteà vero nihilominus ascendit. III. Luc. 24. occurrente obviam duobus discipulis Emmaus pergentibus, ut primum huc venit, finxit se longius ire velle, sic enim habetur: *Et appropinquaverunt castello quo ibant: & ipse se finxit longius ire*. IV. Quid plura adjiciam? Joan. 20. apparuit Mariæ Magdalenæ sub specie hortulani. V. Non omittendum quod Deus 3. Reg. 22. mittat spiritum qui decipiat Achab Regem Israel, ut percussus in bello pereat & moriatur. *Egredior*, ait dæmon, *& ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: decipies, & prævalebis: egredere*. Sed hæc & similia æquivocationem spirant. Ergo &c.

*Respondeo* I. distinguendo, & hæc omnia denotant solum æquivocationem materialem, concedo: formalem, nego. Materialis illa est quæ præfert ex se aliquam parabolam, ut sub figura veritas demonstretur; vel etiam quæ continet responsum ad interrogationem relativum; non enim loquens omnem semper tenetur pandere sensum, qui sub verbis latet, maxime vero cum interrogans scit respondentem non teneri sensum aperire adæquatum; formalis vero illa censetur, quæ directe & manifeste sensum exhibet contrarium, quæque fit cum mentali restrictione veritati immediate opposita. Prima quandoque apparet in Scripturarum sacrarum sententiis, quæ ut plurimum continent mysteria: Secus vero altera: quinimmo si Scripturarum oracula æqua lance ponderentur, ne quidem in iis apparebit aut amphibologia, aut æquivocatio.

*Respondeo* II. negando anteced. Ad pri-

nam probationem, distinguo: Christus respondit ad mentem interrogantis, concedo: secus, nego. Revera quidem mater filiorum Zebedæi ipsum considerabat tanquam Regem temporalem, qui tandem super solium David brevi sessurus erat, quod ipsa mulieris manifestat loquela: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram*. Igitur respondit ut homo, dicens, *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*: In quibus quidem verbis nulla est æquivocatio; nam Christus Jesus attendit ad prædestinationem electorum, quæ profecto procedit a Deo ut a causa principali: debuit igitur dicere: *Non est meum dare vobis*; id est, absolute & ut causa principalis, bene vero ad Deum, qui cum sit causa principalis gloriæ, utique censetur & appellatur Dominus Regni futuri, & ejusdem dispensator.

*Ad* 2. distinguo, & Christus loquitur de humanitate, quæ non semel in scripturis vocatur Templum Dei, dicente Paulo 1. Cor. 3. *Templum Dei estis*, concedo: secus, nego. Cæterum Salvator mysterium annunciabat de cujus ratione est obscuritas, quodque Judæis incredulis pandere non conveniebat, cum & ipsi Apostoli illud veluti scandalum haberent, juxta illud 1. Cor. 1. *Prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*. Igitur in sententia est obscuritas congrua: Sed non æquivocatio, quæ quidem duo maxime inter se discrepant: nam æquivocatio est contrà veritatem, mysterium vero e contra, est via ad veritatem gradatim insinuandam.

*Ad* 3. distinguo, Christus dixit, *non ascendam*, scilicet cum comitatu & pompa atque publice, qualiter exigebant noti; nam ipsi dicebant: *Manifesta teipsum Mundo*, concedo: non ascendam absolute, nego. Igitur Christus & ad humilitatis exemplum, & ad corrigendam notorum imperfectionem, voluit occulte tantum ascendere in templum in die festo: nequidem igitur æquivocationis adumbratio apparet in loquela Domini, cum directe respondeat & ad mentem pareutum: maxime si cuncta ponderentur verba. Non enim Christus ait, non ascendam, sed *non ascendo*, quod solum designat tempus præsens quo, cum pompa ascendere nolebat: hinc subdit, *Meum tempus nondum impletum est*. Hoc est tempus nondum pro isto momento congruit.

*Ad* 4. utique distinguo, & Christus sic se gessit urbanitatis causa, ut discipulorum probaret affectum, qui quidem usus communis est etiam inter homines, qui honesta alicujus beneficii recusatione tentant alios, ut iterata gratiæ oblatione comprobent an sint veri, vel fucati amici, concedo: secus nego.

*Ad* 5. etiam distinguo, Christus se præbuit sub specie hortulani videndum a Magdalena, ut accessum ad ipsum redderet illi faciliorem, occultando gloriam corporis, quam profecto sustinere haud valuisset; & etiam ut intelligeret, inquiunt Patres, hac figura Christum esse verum animarum cultorem, concedo: se præbuit sub specie hortulani videndum ad decipiendum, nego.

*Ad* locum ex lib. 3. Regum desumptum dico auctorem canonicum loqui ad captum humanum, & introducere dæmonem se offerentem ad decipiendum Achab, ut lectores intelligerent Deum permisisse in vindictam idololatriæ pessimi illius Regis, ut seductus a falsis Prophetis, bellum contra Regem Syriæ iniret, in quo sagitta percussus, interiret: Hæc igitur verba: *Egredere, fac ita*, non sunt verba imperantis, sed permitteutis.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Deus nec per se, nec per alios æquivoce loquitur.*

PRIMO: Sic habetur Sap. 1. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum*.

*Secundo*: Hoc repugnat primæ veritati, cum æquivocatio non nihil spiret mendacium.

*Tertio*: Neque vero potest Deo dari æquivocandi locus, cum nihil a creaturis timendum habeat, quippe qui sit omnium supremus Dominus.

§ V.

**SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.**

PRIMO: Jeremias asserit quidem se a Deo seductum, sed ibi sermo est de seductione improprie dicta: cum enim Deus cuncta eodem tempore non revelet Prophetis, putabat vir Dei maledictiones, ordinante Deo, Judæis a se annuntiatas, cito-citius ad effectum non perventuras, quorum tamen promptior exitus illum saturavit opprobriis, hinc seductio, si quę dicatur, non ex parte Dei, sed ex parte Jeremiæ se tenet.

*Secundo*: Incassum tribuerentur Christo æquivocationes; cum enim sit homo Deus, modo ut Deus quidem, modo etiam ut homo loquitur: sic quum dixit Joan. 2. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, loquitur de resurrectione humanitatis sanctæ: loquitur utique ut homo quum matri filiorum Zebedæi prælaturas pro filiis expostulanti, dixit, *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*: ut intelligeret rudis mulier dignitates non gratiæ & favori, sed laboribus & meritis esse distribuendas.

*Tertio*: Seductio Achab non fuit positiva, sed solum permissiva ex parte Dei, & hæc in peccatorum vindictam.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

*De credibilitate objecti fidei.*

CERTUM est res supernaturales, & maxime mysteria mentis humanæ aciem fugere: Igitur possumus tantum habere aliqua credibilitatis motiva, quibus commota & stimulata ratio credat cum submissione fidei articulos, qui de se obscuri sunt: obscuritas igitur est de ratione fidei, & est aliud punctum primo discutiendum, postea vero de credibilitate sermonem habebimus. Sit igitur

## SECTIO PRIMA.

*De obscuritate objecti fidei, seu de inevidentia.*

QUÆRES I. Utrum obscuritas requiratur ad objectum fidei.

*Ante* responsionem notandum est duplicem esse obscuritatem, alteram objectivam, alteram vero subjectivam: prima se tenet ex parte objecti formalis, quod, ut quum res non clare cognoscitur: & quo, quando medium v. g. lumen quo attingitur coloratum, est obscurum: altera se tenet ex parte potentiæ cognoscitivæ, quando scilicet potentia non nisi obscure perspicit objectum; puta si noctu inter tenebras apprehendatur objectum: His prælibatis,

*Respondeo* I. Utramque obscuritatem requiri ad fidem, iuxta illud Heb. 11. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Hinc D. Gregor. Homil. 2. dicit: " Quæ enim apparent, jam non habent fidem, sed agnitionem. „ Igitur utraque obscuritas requiritur ad fidem; alias non esset argumentum rerum non apparentium. Ratio est quia fides debet distingui a scientia & visione beatifica: Sed non aliter distinguitur nisi per obscuritatem: Enimvero scientia habet evidentiam in principiis & conclusionibus sicut & visio beatifica in suo objecto, tum formali quod, tum formali sub quo. Ergo &c.

*Respondeo* II. Obscuritatem esse solum conditionem sine qua non fidei, quia sicut everso temperamento dissolvitur animal, sic ablata obscuritate cessat fides: cæterum non est ipsius motivum; non enim credimus quia objectum est obscurum, sed quia prima veritas loquitur. Superest igitur, quod sit duntaxat objecti fidei mera conditio.

*Quæres* II. Num fides possit esse simul cum visione?

*Respondeo* fidem & visionem non posse compati in eodem intellectu de eodem objecto formali. Ita D. Thomas hic art. 3. quia visum & non visum opponuntur, fides autem se habet ut non visum; visio vero ut visum. Hanc veritatem insinuat Apostolus 1. Cor. 13. his verbis: *Vide-*

*Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ergo &c.

*Quæres* III. Utrum fides possit compati cum evidentia in attestante.

*Ante* responsionem observandum est evidentiam esse triplicem; alteram scilicet objectivam, quum objectum de se patet: alteram subjectivam; & est quando potentia illud clare videt: alteram vero quæ se tenet ex parte loquentis, ut cum videtur loquens & proponens veritatem. Porro evidentia objecti potest esse sine evidentia subjectiva; ista enim propositio, v. g. Deus est, est per se nota, quoad se, quandoquidem prædicatum est de essentia subjecti, non tamen quoad nos; non enim naturaliter & sine discursu cognoscimus existentiam in Deo esse idem cum sua natura. Item evidentia in attestante potest esse sine aliis duabus; sic v. g. Doctor proponens demonstrationem Theologicam rustico de existentia Dei, v. g. videt iste loquentem, sed non capit quod illi dicit: jam

*Respondeo* fidem posse compati cum evidentia in attestante.

*Probatur* I. auctoritate Scripturæ. Quando Exod. 3. Deus locutus est ad Moysen in rubo ardenti, iste nesciebat Deum illum alloqui; dixit enim ei, *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob* .... ait, *Moyses ad Deum, ecce ego vadam ad filios Israel, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: quod est nomen ejus? Quid dicam eis?* Item Isaias cap. 9. vidit Deum sedentem super thronum excelsum & elevatum; non ideo tamen Propheta comprehendebat mysterium sive Incarnationis, sive Trinitatis quæ illi revelabatur: Igitur habebat evidentiam in attestante, licet non haberet objectivam & subjectivam: ergo fides potest compati cum evidentia in attestante: tametsi enim videatur loquens, objectum tamen semper manet obscurum, immo & ratio qua cognoscitur; quia non cognoscitur per demonstrationem, sed solum per revelationem, & quia Deus loquitur. Ita D. Thomas exprese, hic q. 5. art. 2. sic loquitur; " Si aliquis Propheta prænunciaret in sermone Dei aliquid futurum & adhiberet signum, mortuum suscitando; ex hoc signo convinceretur ille intellectus videntis, ut cognosceret manifeste hoc dici a Deo qui non mentitur, licet illud futurum quod prædicitur, in se evidens non esset; unde per hoc ratio fidei non tolleretur.

## SYNOPSIS SECTIONIS.

PRIMO, Fides est essentialiter obscura, nam teste Apostolo Heb. 11. *Est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

*Secundo*: Fides non potest esse simul cum scientia & visione, quandoquidem istæ duæ sunt evidentes, fides vero essentialiter importat obscuritatem.

## SECTIO SECUNDA.

*Utrum objectum fidei sit credibile, id est, utrum mysteria nostræ fidei sint credibilia?*

CREDIBILITAS Duplex est, alia evidens, alia inevidens: Evidens ea est, quæ petitur ex testimoniis universalibus, & quæ non possunt rejici: inevidens vero petitur ex testimoniis quibusdam particularibus, quæ non sunt sufficientis famæ, ut apud omnes ponderent. Observandum est etiam credibilitatem a scibilitate distingui in eo quod petatur ex testimoniis extrinsecis, scibilitas vero a mediis intrinsecis, & necessario connexis cum re demonstrata. Jam sit

## CONCLUSIO.

*Mysteria fidei sunt evidenter credibilia.*

Probatur multis momentis.

*Probatio ex motivis credibilitatis.*

PRIMO: Hoc ipsum patet ex cognitione de existentia Dei, quam Metaphysici ratione demonstrant: cognoscendo enim Deum esse, etiam conjecturaliter, ratio comprehendit illum multa posse quæ superant captum nostrum; adeoque mysteria esse credibilia.

*Secundo*: Mysteria probantur evidenter credibilia ex antiquitate nostræ Religionis: Moyses enim, teste sancto Justino Marty-

Martyre in Parænetico, & Tertulliano in Apologetico, cap. 18. Scripsit ante Græcos, qui nonnisi longo tempore post captam Jerosolymam ab Assyriis, scripsere: immo emanaverat ab Adamo ad Moysen usque traditio de Mysteriis, quandoquidem Deus locutus fuerat Patriarchis: & teste divo Thoma, movebantur interius homines a Deo circa ea quæ sunt cultus divini. Ergo &c.

*Tertio*: Vel ipsa veritas in hoc seipsam prodit, quippe quę solum tendat ad cognitionem Dei, ejusque attributorum insinuandam, tum & ad mores justis legibus componendos, passionesque virtute crucis refrænandas.

*Quarto*: Sanctitas nostræ Religionis, reddit fidei objectum maxime credibile, non enim, ut Mahumetica indulget sensibus & carni, sed totum dat Spiritui. Hoc ipsum claret in Martyribus, hoc in Confessoribus, hoc in Virginibus, aliisque justis & sanctis, qui non ambulant secundum carnem, sed gratiæ spiritum: hoc annuntiat morum sanctitas; hoc lex pura & immaculata, hoc demum Christianorum charitas quam sæpe mirati sunt Ethnici: unde Paulus ad Philip. II. affirmat Christianos inter Gentiles sicut luminaria lucere: de sancto Luciano Martyre refert Metaphrastes, Ethnicos solo eius conspectu ad fidem Christi fuisse adductos: vel ipse universus orbis Angelicam Magni Antonii vitam demirabatur.

*Quinto*: Efficacia nostræ Religionis, non levius est credibilitati argumentum. Piscatores pauci non armorum vi, non opum, non voluptatum honorumve promissione per omnem terram fidem disseminaverunt, verum potius ait Augustinus lib. de corr. & gr. cap. 12. terrente diabolo, sæviente mundo, plebeios & nobiles, immo & doctos, ut Dionysium Areopagitam, Clementem Alex. Irenæum, Justinum, Arnobium, Aristidem, Athenagoram, Lactantium, & alios permultos, Christo pepererunt: Sed quod prorsus stupendum, cruciatus non minuebant, sed augebant fidem, ita ut, inquit Tertullianus in sub finem Apologetico, sanguis martyrum esset semen Christianorum; unde ibidem sub finem Apol. ait: " Hoc „ agite, boni Præsides, cruciate, tor„ quete, atterite nos, plures efficimur „ quoties metimur a vobis. „ Zonaras scribit Diocletianum in Occidente regnantem, Maximinum vero in Oriente: alterum dum Mediolani degeret; alterum dum Nicomediæ sponte abdicasset imperium, eo quod Christianos exterminare nedum possent, sed quotidie crescere intuerentur. In relationibus Japoniæ refertur quemdam Imperatorem dixisse de Christianis, se frustra in eos sævire, e quorum cineribus plures de die in diem resurgerent.

*Sexto*: Ex innumeris testibus videlicet gentibus, Turcis, & Judæis claret fidei credibilitas. Cæsar Augustus, ut referunt Suidas, Cedrenus, Nicephorus & alii, ædificavit Aram primogenito Dei; scilicet Christo. Alexander Severus imaginem Christi habebat, quam singulis diebus colebat. Plinius Junior scribens ad Trajanum Imperatorem de Christianis, dicit eos esse solitos statuto die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo canere; nec furta, nec adulteria committere; immo inimicis condonare. Tum postea Trajanus a persequendis fidelibus abstinuit. In calce Apologiæ S. Justini Martyris tres sunt Romanorum Imperatorum Epistolæ in gratiam Christianorum. Item Sibyllæ multa præclare de nostra religione dixerunt. Celeberrimum est oraculum Delphicum, seu Apollo Delphicus, qui ut scribunt Suidas, Suetonius in Octavio, Nicephorus lib. 1. cap. 17. respondit Cæsari Augusto exigenti responsionem, sibi impositum fuisse silentium a puero Hebræo, qui Deus existens cuncta suo degebat arbitrio. Nec Mahumetus etsi falsus Propheta in Alcorano silet Christum, quem Dei sapientiam, tum animam, spiritum, & verbum afflatu quodam divino ex Maria Virgine perpetua & illibata natum asserit. Unde ex Mahumetanis, qui Christi sepulchrum nondum inviserunt, perfecte purificati non censentur; qui vero Christi nomen & Mariæ contumeliose commemorant, severissime puniuntur; sed testis inter Turcas maior est, Talismanus Mahumetanus sectę Sacerdos; Cum enim a multis annis Alcoranum jam jam explicasset, factum est ut coram Bajazet, eumdem legens derepente mutatus, exclamavit religionem Mahumetanam esse falsam, & solam Christianam veram, propter quod statim martyrio coronatus est: Hanc Historiam re- fert

fert Duverderius Historicus Gallus, neque etiam ex parte Judæorum, tametsi religioni Christianæ offensis desunt pro eodem momento testimonia. Insigne est illud Josephi qui in libro antiquitatum Jud. vocat Christum Deum: concinit Philo inter Judæos doctissimus. Hic teste S. Hieronymo, composuit librum de sanctitate primorum Christianorum, qui Alexandriæ vivebant. Ergo &c.

*Probatio, ex SS. Patribus.*

S. AUGUSTINUS lib. 7. Confessionum, cap. 10. sic loquitur: " Facilius dubitarem vivere me, quam esse vera quæ audivi. " Rursus lib. contra Epistola Fundamenti, cap. 4. " Multa sunt, *ait*, quæ in Ecclesia me justissime tenent, consensio populorum agentium, auctoritas miraculis inchoata, spe aucta, charitate firmata, & vetustate nutrita. " Richardus a S. Victore lib. 1. de Trin. cap. 2. sic exclamat loquens de fide: " Domine si est error *quod credimus*, a te decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis, & prodigiis confirmata sunt, & talibus quæ non nisi per te fieri possunt. " Denique Picus Mirandulanus, Epist. 1. sic ait: " Magna insania est, Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, dæmones confitentur. " Concludamus igitur cum Propheta Regio, Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. De hujusmodi credibilitatis motivis suso calamo jam scripsimus ubi de existentia Dei in tract. de Attributis: Et iterum sermo jucundus redibit tract. de Incar.

*Probatio, ex ratione.*

VEL ipsa ratio suffragatur conclusioni, itaque multiplex, sed quæ unico & brevi comprehenditur argumento. Illa religio & fides credibilis est, quæ supremum Numen absque ulla superstitione adorat, ad quem omnia refert, & a quo omnes homines beatitudinem expectant; quæ comprimit & linguam mendacem atque effrænatam, & carnem libidinibus ebullientem; quæ compescit iras & jurgia componit; quæ omnem gloriatur & studet adimplere justitiam, reddendo unicuique quod suum est, quæ terrena non sapit, sed ad cælestia sine fine alumnos deducit, quæ præcipit parcere inimicis, immo & diligere, atque ipsis benefacere præcipit: Atqui talis est religio Christiana, etiam testantibus Paganis, qui non semel tot & tanta demirati, vel conversi sunt ad fidem, ve. si intra Paganismum visi sunt adhuc sistentes, eam tamen multi fecerunt, atque celebrarunt encomiis, ut ex dictis patet. Ergo &c.

*Solvuntur objectiones Paganorum.*

OBJICIUNT I. Mysteria religionis Christianæ non sunt evidenter credibilla: Ergo &c. Probatur Ant. I. Non sunt sufficienter credibilia ex parte Magnatorum, qui politica & voluptate ut plurimum ducuntur in religione amplectenda: sic omnes ferme Orientis Imperatores hac de causa Mahumetanam sequuntur sectam. II. Ex parte populorum, qui cæco impetu & ad phantasiam aliquam amplectuntur religionem, ut videre est in Germaniæ populis, qui Principis vulgo adoptant sectam. III. Ex parte miraculorum, Magi enim Pharaonis, ut legitur Exod. 7. 8. multa patravere miracula coram Moyse. IV. Etiam ex parte universitatis; enim vero omnes fere orbis terrarum populi, exceptis paucis Europæ regnis, adhærent Mahumeto. Ergo &c.

*Respondeo* negando Ant. Ad primum distinguo, Magnates sequuntur religionem sensibus blandientem quando audiunt passiones & cedunt carni, concedo: quum ad rationem & vocem interiorem attendunt, nego. Multi enim ad fidem conversi sunt, ut Magnus Constantinus: alii saltem confessi sunt religionem Christi esse optimam, ut Reges Japoniæ apud quos sermonem habuit sanctus Xaverius. Jam vero qui Christianos insectati sunt, miserande perierunt, ut legitur de Juliano Apostata & aliis: immo pessimus homo, qualis fuit & Caiphas, Deo sic ordinante & volente, in gratiam & gloriam religionis Christi prophetavit.

*Ad* secundum eadem est solutio, sed quod mirabile est, supplicia cessere etiam teneris Virginibus, ut B. Agneti & aliis quæ fidem

fidem in martyrio, Christo servaverunt. De hoc stupens & demirans hæc eloquitur S. Cyprianus lib. 2. epist. 6." Quibus „ ego vos laudibus prædicem fortissimi „ Martyres ... Tolerastis usque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem: nec cessistis suppliciis, sed „ vobis potius supplicia cesserunt .... „ Vidit admirans præsentium multitudo „ cæleste certamen .... Steterunt torti „ torquentibus fortiores: Et pulsantes „ ungulas, pulsata ac laniata membra „ vicerunt. „

*Ad* tertium distinguo, Magi, Pharaonis falsa miracula ope dæmonum operati sunt, concedo: secus, nego. Hoc ipsum patet ex eo, quod serpens a Moyse productus omnes Magorum serpentes devoraverit, & ipse solus manserit vivus. Cæterum Magi non potuerunt restituere elementa transmutata in pristinum statum sicut Moyses, qui aquis sanguineis pristinum & colorem & saporem reddidit.

*Ad* quartum dico sufficere ad universalitatem religionis nostræ, ut omnes linguæ, populi & nationes hanc tenuerint & adhuc teneant: Christiani enim ubique, reperiuntur; immo ante falsum Prophetam Mahumetum totus Oriens & ultimæ terræ nationes doctrinæ Apostolorum & eorum in Pastorali officio successorum adhærebant.

*Opponunt* II. Mysteria non apparent rationi possibilia: Igitur nec credibilia. Probatur consequentia: Actus credibilitatis a nullo elici potest: non quidem a fide, cum non illam habeat Gentilis: neque etiam a ratione, quandoquidem eam in immensum transcendunt mysteria: & hoc supponitur. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo Ant. Mysteria non apparent possibilia demonstrative, concedo: conjecturaliter, ponderatis miraculis, aliisque testimoniis, nego.

*Ad* probationem dico actum credibilitatis esse solum objective & extrinsece actum fidei, in quantum terminatur ad objectum fidei: Sed non intrinsece, tum quia non procedit a fide & a motivo intrinsece supernaturali; unde manet procedere a Metaphysica, quæ discurrit demonstrative de existentia Dei, & conjecturaliter de aliis mysteriis: nullus enim est qui audiens & videns motiva credibilitatis, qui non faciat aliquem discursum quo conjecturaliter cognoscat mysteria nostra esse evidenter credibilia.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Mysteria fidei sunt evidenter credibilia.*

PRIMO: Hoc ipsum annuntiat religionis nostræ antiquitas celebrata a Justino in Parænetico, tum a Tertulliano Apol. cap. 18. & lib. de præscript. cap. 37. Hoc ejus efficacia, & fortitudo quæ mundum vicit: Hoc puritas & sanctitas; hinc belle ait Lactantius lib. 3. cap. 25. „ Dei præcepta, quia & simplicia & „ vera sunt, quantum valeant in ani„ mis hominum, quotidiana experimen„ ta demonstrant. Da mihi virum qui „ sit iracundus, maledicus, effrænatus; „ paucissimis Dei verbis tam placidum „ quam ovem reddam. „

*Secundo*: Non levius indicant religionis Christianæ evidentem credibilitatem ejus pauperrimi Præcones, qui terrente mundo, & sæviente diabolo eam per orbem terrarum disseminaverunt.

*Tertio*: Prophetæ vel ipsæ Sibyllæ eam prænuntiaverunt: & prædictionum veritatem felices probavere exitus. Plura credibilitatis argumenta referre supersedeo. Tertullianus in Apol. Justinus in utraque pro Christianis Apologia, Augustinus lib. de util. cred. sub finem: lib. contr. epist. Fund. Tum lib. 1. de civ. a cap. 21. & 22. Arnobius lib. 8. contra Gentes, & alii mira de hoc momento scripserunt.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametsi Magnates cedant passionibus blandientibus, mercatores avida manu & usuris divitias colligant, populi proprio pondere terrena inhient, non inde sequitur religionem Christianam non esse credibilem, immo potius concludendum est maxime credibilem, quippe quæ cuncta debellet vitia.

*Secundo*: Esto quod mysteria humanam transcendant rationem, inde solum sequitur non esse per media intrinseca & demonstrative credibilia, sed non extrin-

fece per testimonia quibus Metaphysicus concludere potest, ea esse fide digna.

*Tertio*: Magi Pharaonis non vera, sed falsa & commentitia ope dæmonum prodigia patrarunt, quæ quidem non erant miracula, hinc isto momento ex comparatione facta cum miraculis Christi & Apostolorum nihil ab evidenti credibilitate fidei detrahitur.

---

## ARTICULUS QUARTUS.

*De resolutione fidei & credendorum.*

DUo veniunt examinanda in hoc articulo; alterum de credendis: alterum vero de Judice supremo circa controversias credendorum. Unde sit

### SECTIO PRIMA.

*De credendis & Symbolis.*

NOTANDM est I. credibilia esse per certos articulos distinguenda, ita D. Thomas hic art. 6. articulus enim est coaptatio multorum quæ habent connexionem ad invicem, quæ subsunt eidem rationi formali & ordinem ad unum dicunt: Sic omnia mysteria fidei subsunt revelationi Dominicæ immediate, v. g. Christum fuisse passum, mortuum, sepultum, & resurrexisse respiciunt unum & idem, scilicet humanitatem Christi: cum igitur objectum fidei sit non visum, & non visa speciales complectuntur difficultates quæ pertinent ad divinitatem Christi, & speciales quæ spectant humanitatem, convenienter credenda; distinguenda sunt secundum diversos articulos ne pariatur confusio in intellectu nostro qui propter in materia immersionem, apprehendit indivisa quasi divise, & simplicia quasi per modum compositionis.

*Prænotandum* est II. articulos fidei non crevisse secundum successionem temporum quoad substantiam; sic docet D. Thomas, hic art. 1.

*Quia* illa solum sunt de fide quæ sunt in Scriptura sacra revelata, vel talia sunt per traditionem divinam; quæ autem continentur in Scriptura, semper sunt eadem; nec licitum fuit aliquid addere Scripturæ: quæ vero emanaverunt vel ab ore Dei & Christi, & quæ cognoscuntur per traditionem sicut Paulus enarrat de institutione Eucharistiæ, 1. Corinth. 11. his verbis: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur &c.* Sunt etiam eadem, nec licet in eis quidquam addendo innovare: Igitur articuli fidei non creverunt quoad substantiam.

*Observandum* etiam articulos fidei crevisse quoad explicationem, tum quia, *inquit D. Thomas*, omnia in figuris contingebant in veteri Testamento, quod erat, teste Apostolo, umbra futurorum. Unde Mysterium Trinitatis, v. g. & Incarnationis solum adumbratum, debuit explicite in novo Testamento proponi; tum quia propter hæreses etiam vel in ipso novo Testamento opus fuit explicare fidem, ne fideles incaute impingerent in errorem; unde consubstantialitas Verbi, v. g. explicata est in Concilio Nicæno contra Arianos: Ergo &c.

*Notandum* est IV. esse 14. articulos fidei in Symbolo contentos: ita D. Thomas hic art. 8. qui sic ratiocinatur. Ea quæ pertinent ad fidem vel nos Beatos reddunt, & sunt occulta divinitatis: vel nos ad finem beatum conducunt, & est mysterium Incarnationis: Porro circa majestatem divinam tria nobis credenda proponuntur. Primo quidem unitas divinitatis, & ad hoc pertinet primus articulus: Secundo Trinitas personarum, & ad hoc sunt tres articuli secundum tres personas: Tertio vero proponuntur nobis opera divinitati propria, quorum primus pertinet ad esse naturæ, & sic nobis proponitur articulus creationis; secundum vero spectat gratiam; & sic proponuntur nobis sub uno articulo, omnia pertinentia ad nostram sanctificationem: Tertium pertinet ad esse gloriæ, & sic proponitur nobis alius articulus de resurrectione carnis; & de vita æterna, & sic sunt septem articuli divinitatem spectantes. Similiter circa humanitatem Christi ponuntur utique septem articuli. quorum primus est de Incarnatione, seu de Conceptione Christi operatione Spiritus sancti in utero Beatæ Mariæ Virginis: Secundus de Nativitate ejus ex eadem: Tertius de Passione ejusdem, Morte & Sepultura: Quartus de descensu ad inferos; Quintus de Re-

surre-

surrectione: Sextus de Ascensione: Septimus de adventu ad judicium. Alii sunt etiam articuli fidei, sed reducuntur ad istos. Sic v. g. articulus Eucharistiæ ut est Sacramentum sanctificans, reducitur ad alios effectus Incarnationis & gratiæ sanctificantis; & ut est miraculosa, ad omnipotentiam Dominicam. Ita D. Thomas hic art. 8. ad sextum.

*Caterum* articuli implicite propositi, tunc credebantur solum implicite; ut primum vero Ecclesia eos explicavit, & explicata proposuit, quilibet fidelis tenetur ea credere explicite, alias esset Hæreticus. Sic ante definitionem Stephani I. qui tenebat Baptisma ab Hæreticis collatum verbis Christi non valere, errabant quidem, sed non erant Hæretici; secus vero qui hoc dixerunt post Ecclesiæ statutum, decisio non est quidem articuli alicujus innovatio, sed explicatio, sed expositio, & determinatio.

*Subnotare* iterum juvat Symbolum esse credendorum summam, in brevem & facilem methodum ad instructionem & rudium & simplicium. Divus Thomas hic art. 8.dicit pertinere solum ad Concilium generale legitimum & ad summum Pontificem condere Symbolum; Enimvero eo solum scopo condita sunt Symbola, ut fideles facilius retineant credenda, & habeant fidei regulam, ne astutia hominum circumferantur omni vento doctrinæ: Sed ad Concilium generale & ad summum Pontificem duntaxat pertinet condere ejusmodi fidei regulam, siquidem soli sunt supremi controversiarum fidei judices: Ergo &c. His præmissis sit

§. I.
De Symbolo Apostolorum.

CONCLUSIO.

Symbolum, quod Apostolicum vocatur, ab Apostolis emanavit.

*Probatio, ex Traditione.*

PROBATUR conclusio isto brevi sed efficaci argumento. Quod traditione habetur, firmiter tenendum est: Atqui ex inconcussa traditione habemus Symbolum quod nomine Apostolorum circumfertur ab eis promanasse, & probatur discurrendo per sæcula.

*Ex primo sæculo*: Scimus Apostolos a Christo in omnem terram missos ut gentes erudirent in fide, juxta illud Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes*: Sed ad hoc necesse erat eis summam fidei tradere: quod non una evincit ratio. I. Quia rudes erant populi, immo & nobiles carnales plurimum, hinc clare & cum methodo articuli fidei exponere opus erat, ne falsa aut humana pro divinis haberent. II. Brevi tempore uno commorabantur loco Apostoli, quocirca synopsim credendorum præbere debebant, ne credenda proposita, & prædicata de repente obliviscerentur auditores. III. Pseudo Prophetæ & Pseudo-Apostoli sicut prædixerat S. Paulus venturi erant, quamobrem summam credendorum præ oculis habere debebant novi Christiani, ne omni vento doctrinæ moverentur: Ergo &c.

*Ex secundo sæculo*. Irenæus lib. 1. adversus hær. cap. 2. sic loquitur: " Ecclesia „ enim per universum orbem usque ad fines „ terræ seminata, & ab Apostolis & a di„ scipulis eorum, accepit eam fidem, quæ „ est in unum Deum Patrem omnipo„ tentem. „

*Ex tertio sæculo*: Tertullianus lib. de velandis virginibus idem expresse cum Irenæo scribit. Tum lib.de præscr. cap. 37. ait: " In ea regula incedimus, quam Ec„ clesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, „ Christus a Deo tradidit. „

*Ex quarto sæc.* Non leviora dicit Lucifer Calaritanus lib. adversus Constant. Imper. Symbolum appellat: " Formam discipli„ næ, & regulam fidei per Apostolos

„ traditam ... videamus Apostolos credi-„ disse in unum Deum Patrem omnipo-„ tentem .... & in unicum Filium ejus „ Jesum Christum. „

*Ex quarto sæc.* Clarius Ambrosius de hoc momento loquitur lib. 1. epist. 7. his verbis : " Credatur Symbolo Apostolo-„ rum, quod Ecclesia Romana inteme-„ ratum semper custodit. "

*Ex quinto sæc.* Habemus Cœlestinum I. Papam qui epist. ad Nestorium Symbolum istud vocat, *Symbolum ab Apostolis traditum*.

*Concinit* S.Leo epist. 13. ad Pulcheriam Augustam : " Si quidem, *ait*, ipsius „ Catholici Symboli brevis & perfecta „ confessio, quæ duodecim Apostolorum „ totidem est signata sententiis, tam in-„ structa sit in munitione cælesti, ut om-„ nes Hæreticorum opiniones solo ipsius „ possint gladio detruncari. „

*Non* omittendus Rufinus in præfat. „ Symboli ad Laurentium : " Discessuri „ itaque ab invicem *post ascensionem Apo-„ stoli*, normam sibi prius futuræ prædi-„ cationis in commune constituunt, ne „ forte alii alio adducti, diversum ali-„ quid his, qui ad fidem Christi invita-„ bantur, exponerent. Omnes igitur in „ uno positi, & Spiritu sancto repleti, „ breve istud futuræ sibi, ut diximus, „ prædicationis indicium in unum con-„ ferendo, quod sentiebat unusquisque „ componunt, atque hanc credentibus „ dandam esse regulam statuunt. „

*His* accedit Cassianus lib. 6. de Incarn. cap. 3. & 4. Suffragantur subsequentium sæculorum Patres: in primis Isidorus Hispal. lib. 2. de Eccles. officiis cap. 22. S. Maximus homil. de traditione Symboli. &c.

*Probatur rationibus Theologicis.*

PRIMA: Quod usus Ecclesiæ perpetuus obtinet, citra temeritatem non est abnegandum : Atqui usus ille de Symbolo Apostolis attributo talis ab omni ævo fuit. Igitur illud Symbolum ab Apostolis emanavit.

*Secunda* : Quoties agitur de fide, Ecclesia in Conciliis adunata falsa rejicit. Et sola omni exceptione majora suscepit: Sic in Synodo generali Ephesina Symbolum Theodori Mopsuesteni rescidit, nulquam vero Apostolicum nuncupatum : Ergo &c.

*Tertia*: Ecclesia non proponit dubia pro regulis fidei : Sed singulis fidelibus proponit Symbolum Apostolorum nomine celebratum ut fidei regulam tenendam, & ipsam in officio divino recitari vult: Ergo &c.

*Fit satis objectionibus.*

OBJICIES : Si Symbolum de quo movetur quæstio, foret Apostolorum fœtus, illius meminissent in suis Epistolis vel ipsi Apostoli, nec Evangelistæ illud omisissent: Atqui tamen altum est de eo silentium in istis monumentis. Igitur non claret illud ab Apostolis fuisse concinnatum. Confirmatur : Si res sic se se haberet, jam illud Symbolum inter Scripturas Canonicas recenseretur : quod tamen nemo admiserit. Ergo &c. Rursus : Non erat necessarium, cum tempore Apostolorum nondum essent exortæ hæreses : Ergo &c.

*Respondeo* non opus fuisse Apostolos in suis vicissim epist. illud commemorasse Symbolum, tum quia multa alia omissa sunt, juxta illud Joan. 21. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus : quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libri*. Quia vero Apostoli illud Symbolum non scripto tradiderunt, neque ab Evangelistis inter scribendum commemoratur, neque inter Scripturas Canonicas locum habet. Solutio colligitur ex S. Hieron. qui epist. 61. ad Pammachium ubi ait Symbolum de quo loquimur, non scriptum, sed solum memoriæ Fidelium fuisse commissum : Symbolum, *inquit*, „ fidei & spei nostræ quod ab Apostolis „ traditum, non scribitur in charta aut „ atramento ; sed in tabulis cordis car-„ nalibus. „ Hinc non mirum, si in canone Scripturæ sacræ non contineatur. Ad ulteriorem confirmationem, negamus tempore Apostolorum nondum fuisse hæreses; siquidem Simon Magus, Cerinthus, Ebion, seductores & falsi Prophetæ, jam in Ecclesia movebant tragœdias, ut legitur de Simone Mago Act. 8. Adde Apostolos debuisse fidei & Ecclesiæ in futurum consulere.

*Dices*:

*Dices*: Si Symbolum quale habemus conditum fuisset ab Apostolis, non diversimode in diversis Ecclesiis legeretur: Atqui tamen illud verum est: Et probatur. In vulgari solum hæc leguntur: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, *Creatorem cœli & terræ*, Symbolum Orientale habet *unum*: in Aquilejensi atque Romano, *Creatorem cœli & terræ*, omittuntur, nam post *omnipotentem*, additur, *invisibilem & impassibilem*.

*In* tertio Symboli capite legimus: *Qui conceptus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine*. Aquilejense dicit: *Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine*. Jerosolymitanum hæc sola retinet verba: *Incarnatum, & hominem factum*.

*In* quarto capite habetur: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos*. Aquilejense passionem & mortem prætermittit.

*In* nono capite hæc lectio talis est: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem*: Aquilejense omittit vocem *Catholicam*: Adde tempore Apostolorum Ecclesiam nondum dici Catholicam, & in Aquilejensi nihil de communione Sanctorum legi.

*In* undecimo profitemur resurrectionem carnis, addit Aquilejense *hujus carnis*: & in Romano, & in isto non est articulus de vita æterna. Idem habet S. Hieronymus epist. 6. ubi affirmat Symbolum terminari ad articulum de resurrectione.

*Respondeo* distinguendo minorem, & illa diversitas contigit ex eo quod Ecclesiæ Symbolum integrum nondum habebant, concedo: ex eo quod non sit ab Apostolis emanatum, nego. Nec mirum, quod ex Traditione habetur, non cito, sed solum successione temporum habetur; maxime ubi de multis articulis agitur. Porro in sola Ecclesia Romana habetur eo ordine, iis sententiis, & iisdem plane verbis, quibus est ab Apostolis traditum: Rationem reddit Rufinus in expositione Symboli, quia, *inquit*, nullæ hæreses e Roma eruperunt, & ideo majori explicatione non indiguit: " Illud „ non importune commonendum puto, „ quod in diversis Ecclesiis aliqua in his „ verbis inveniuntur adjecta, in Ecclesia „ tamen urbis Romæ hoc non deprehen„ ditur factum, quod ego propterea esse „ arbitror, quod neque hæresis ulla illic „ sumpsit exordium. „

*Ad* primum ergo dico ex eo quod dicatur: *Credo in Deum*, cito colligi esse unum, nam pluralitas deorum arguit nullitatem.

*Ad* secundum in voce *omnipotenti*, continetur articulus creationis cœli & terræ: Per verba *invisibilem & impassibilem*, Ecclesia Aquilejensis retundit hæresim Patripatianorum. Vox, *natus*, sumitur proprie & idem sonat ac *conceptus*: vocabula, *incarnatum & hominem factum*, quæ leguntur in Symbolo Jerosolymitano implicite *conceptum ex Spiritu sancto*, importtant. Voces *crucifixus*, & *sepultus*, passionem sufficienter explicant, cum hæc ad mortem consequantur, immo & descensus ad inferos intelligitur, quia ut ratiocinatur Rufinus, si corpus fuit in sepulchro, debuit anima descendere ad locum spirituum ut eos liberaret a pœnis. Sic loquitur in expositione Symb. " Sciendum sane est quod in Ecclesiæ Romanæ Symbolo non habetur additum, „ *Descendit ad inferna*: Sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo: vis „ tamen verbi eadem videtur esse in eo „ quod sepultus dicitur. „

*Apostoli* in prænotione Spiritus dixerunt Ecclesiam Catholicam, hoc est, quæ talis erat futura, vel etiam ex eo quod doctrina quam prædicabant, omnia credenda continebat.

*Communio* Sanctorum sequitur ex universalitate Ecclesiæ, ut scribit Catechismus Concilii Trid. part. 1. de nono Symb. artic. num. 24. " In primis igi„ tur, *inquit*, fideles docendi sunt hunc „ articulum esse illis, qui de una sancta „ Ecclesia Catholica positus est, veluti „ explicationem quamdam. Unitas enim „ Spiritus a quo illa regitur, efficit ut „ quicquid in ea collectum est, commu„ ne sit. " Demum, vita æterna ad resurrectionem consequitur.

*Instabis*: Tertullianus multos omisit articulos in Symbolo quod repræsentat: Et vero silet descensum ad inferos; nihil de Spiritu sancto, de Ecclesia, de Sanctorum communione, de remissione peccatorum, de vita æterna: Ergo &c.

*Respondeo* Tertullianum non descripsisse Symbolum prout ab Apostolis traditum

est, sed solum repræsentare præcipua Symboli capita, quibus errores tunc temporis grassantes confutabantur, scilicet Praxeæ, Valentini, Marcionis & Apellis: Cæterum illum fuisse Montanistam nemo non novit, qui quidem pro Spiritu sancto Montanum stultissime agnoscebat; hinc de industria omisit Symboli articulos qui Spiritum sanctum Deum spectabant.

## §. II.

*De Symbolo Constantinopolitano.*

SYMBOLUM illud est ipsum Nicænum: quia vero isti addidit contra Macedonium & suos: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur:* ideo etiam Constantinopolitanum dictum est. Quæritur igitur utrum Symbolum Nicænum quod & Constantinopolitanum, fuerit ab Ecclesia receptum? Pro cujus resolutione sit

### CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

*Probatur multis momentis.*

PRIMO: Ex ipsa fidei definitione Concilii Constantinopolitani his verbis expressa: *Communi judicio dogmata expellentes erroris inenarrabilem Patrum renovavimus fidem, Symbolum trecentorum decem & octo omnibus prædicantes, & eos qui hanc veluti tesseram pietatis acceperunt, ut proprios Patres etiam adscribimus; eos nimirum, qui postea in magna Constantinopoli congregati sunt, centum quinquaginta; & eamdem fidem confirmaverunt.*

*Secundo*: Ex subsequentibus Conciliis œcumenicis quæ illud contra insurgentes hæreses laudarunt: Ephesinum eo utitur ad debellandos Nestorianos; Calchedonense contra Eutychianos. Quintum generale ait: *Suscipio sanctas quatuor Synodos, & quæ ab ipsis de una eademque fide definita sunt.* In Concilio Forojuliensi sub Carolo Magno totum recensetur, similiter & in Tridentino cum particula pro processione Spiritus sancti a Patre & Filio: *Qui a Patre, Filioque procedit.*

*Tertio*: His accessit omnium Ecclesiarum usus. Igitur illud Symbolum ab Ecclesia receptum est.

*Dices*: In decreto Synodi Sardicensis sancitur nihil ulterius de fide scribendum esse, fidem Nicænam sufficere, neque aliud Symbolum esse edendum. Præterea in Concilio Calched. sess. 1. clamabant Ægyptii: " Nemo suscipit adjectionem, „ nemo diminutionem. Quæ in Nicæna „ Synodo constituta sunt, teneant, Ca„ tholicus Imperator hoc jussit. „ Tum in epistola quorumdam Episcoporum Ægyptii ad Leonem Augustum hæc habent ordine 24. post Concilium Calchedonense: " Suggerimus, nos 318. SS. Pa„ trum, qui in Nicæna civitate collecti „ sunt Symbolum atque fidem tenere; „ & neque augmentum aliquod, nec di„ minutionem recipere. „ Sed in Symbolo CP. multa Nicæno addita sunt: Igitur non est recipiendum.

*Respondeo* distinguendo minorem, in Symbolo CP. quædam ad explicationem adduntur Nicæno, concedo: quoad fidei substantiam, nego. Concilium Sardicense prohibuit quidem ne novum & alterum Symbolum a Symbolo Nicæno conderetur: ut novam explicationem ubi occurreret necessitas, dare non vetuit; hinc retentis Nicænis capitulis, contra hæreses Macedonii divinitatem Spiritus sancti debellantis, addidere Patres CP. Symbolo pro astruenda consubstantialitate Spiritus sancti cum Patre & Filio: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur*: Non absimili modo Patres Florentini adversus Græcos obstrepentes, & ejusdem spiritus processionem a Filio inficiantes; posuerunt in eodem Symbolo: *Qui a Patre, Filioque procedit.*

Ad secundum dico illos Ægypti Episcopos nullius esse auctoritatis, stabant enim pro Eutychete & Dioscoro, qui retenta fide Nicæna, quæ Incarnationis Dominicæ non satis expresse explanarat Sacramentum, rejiciebant Synodum CP. verum ipsi Patres Calchedonenses eam multi facientes, nedum susceperunt, sed & laudaverunt, ac suo munierunt calculo.

*Dices* II. auctor libri Pontificalis scribit de Hilario Summo Pontifice, ipsum tres confirmasse Synodos, scilicet Nicænam, Ephesinam & Calchedonensem; sed omittit Constantinopolitanam: Ergo &c.

*Respondeo* I. Hilarium id fecisse, quia illa Synodus quoad Canones nondum erat recepta. II. Confirmando fidem Nicænam

eam censetur confirmasse fidem Constantinopolitanam; ab illa enim non differt nisi penes majorem explicationem. III. Damasus Papa non nisi primum canonem ad fidem spectantem recepit.

*Inferes* I. Symbolum Constantinopolitanum addidisse Nicæno: *Visibilium & invisibilium factorem*, nec non verba, *cæli & terræ*. contra Marcionistas, qui duo admittebant principia. II. *Ante omnia sæcula*; contra Photinum, qui negabat Verbum esse ab æterno. III. *De Spiritu sancto ex Maria Virgine*, contra Apollinarem. IV. *Crucifixus pro nobis sub Pontio Pilato, & sepultus*: item, *sedet ad dexteram Patris, venturus cum gloria, cujus regni non erit finis*: & hoc contra Millenarios. V. *Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur*: *Qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam*, & reliqua Symboli.

### §. III.

*De Symbolo D. Athanasii.*

### CONCLUSIO.

*Illud Symbolum juste attribuitur divo Athanasio.*

PROBATUR multipliciter contra impugnantes. I. Ex Gregorio Nazianzeno, qui in oratione ad laudem D. Athanasii dicit scripsisse egregiam fidei professionem, quam Ecclesia Orientalis & Occidentalis veneratur. II. Ex Concilio Florentino; Eugenius enim IV. in decreto unionis cum Armenis cap. 6. hanc fidei professionem proponit ut regulam fidei. Ex ab hoc tempore propter Ecclesiæ universalis consensum ad quam solum pertinet & ad summos Pontifices condere Symbola, vocata est Symbolum Athanasii, sed non antea, eo quod ortum haberet ab Episcopo particulari. Ita D. Thomas his q. 1. art. 10. ad 3. his verbis: " Dicendum, „ quod Athanasius non composuit manifestationem fidei per modum Symboli, „ sed magis per modum cujusdam doctrinæ, ut ex ipso modo loquendi apparet. „ Sed quia integram fidei veritatem ejus „ doctrina breviter continebat, auctoritate Summi Pontificis est recepta, ut „ quasi fidei regula habeatur. „ Idem probat Genebrardus, lib. 3. de Trinit. Quid plura? Ecclesia illud tradit recitandum sub nomine D. Athanasii: Ergo &c.

*Sunt* aliæ fidei professiones a multis Conciliis emanatæ, ut a Concil. I. Antiocheno, a Carthaginensi VI. a Toletano XI. & a Tridentino: sed quia specialiter sunt ad confutandos Hæreticorum errores particulares, sicut & ad majorem articulorum fidei expressionem, inter Symbola non annumerantur.

*Finis* Symbolorum triplex assignatur, nempe instructio Fidelium, deinde hæresum profligatio: Tertio loco ponitur major fidei explicatio. Symbolum Apostolorum ex Chrysostomo & Augustino, fuit ad instructionem Fidelium: Nicænum ad proscriptionem hæresis Arianæ, Athanasii vero ad fidei explicationem, ne totus orbis Ariana hæresi exagitatus, succumberet; licet autem quædam sint in uno & non in altero, quodlibet tamen ad suum sufficit finem. Cæterum Ecclesia alia nos edocet quæ non sunt explicite in Symbolis. v. g. doctrinam Sacramentorum Confirmationis, Ordinis & Matrimonii: item perpetuam & illibatam beatissimæ Mariæ virginitatem. Porro Symbolum non est scriptura canonica, Spiritus enim sanctus non dictavit litteram, sed solum inspiravit sensum. Quæ tamen continet, sunt de fide, quia est doctrina de divinitate & incarnatione Dominica, viva voce tradita a Christo Apostolis, & ab Apostolis ad Fideles transmissa.

### SYNOPSIS ARTICULI.

PRIMO: Symbolum Apost. ab Apostolis emanavit; sic propugnat Irenæus lib. 2. advers. hær. cap. 2. Tertullianus lib. de veland. virg. Lucifer Calaritanus lib. 2. advers. Const. Imper. Ambrosius lib. 1. epist. 7. usus Ecclesiæ hoc ipsum confirmat.

*Secundo*: Constantinopolitanum habetur ab Ecclesia ut regula fidei: laudatur in Concilio Ephesino & Calchedonensi, a quinto generali ut Evangelium recipitur. A Florentino celebratur contra Græcos pro processione Spiritus sancti.

Ter-

*Tertiò*: Symbolum quod nomine S. Athanasii circumfertur, illi jure merito tribuitur. Sic censet Ecclesia quæ illud ut S. Præsulis fœtum proclamat & decantandum proponit; Sic etiam propugnat S. Thomas hic 2. 2. q. 1. art. 10. ad 3.

## SECTIO SECUNDA.

*Utrum ad solam Ecclesiam pertineat proponere & definire credenda in Scripturis & Traditione contenta?*

LUTHERANI & Calvinistæ contendunt ultimam fidei resolutionem quoad propositionem credendorum fieri in Scripturam sacram, & in Spiritus sancti afflatum cuilibet datum ad intelligendam Scripturam, quæ quidem opinio est hæretica. Unde sit

## CONCLUSIO.

*Ad solam spectat Ecclesiam explicare Scripturam, & proponere credenda.*

Probatur auctoritate & ratione.

*Primo, ex veteri Testamento.*

CUM Exodi 18. populus cœpisset rempublicam quandam componere, circa legis dubia Mosen consulebant; ipse autem erat summus Pontifex supra Aaron, juxta illud Psal. 78. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus*. Nam & Sacerdotis magni munia exercuit, tum consecrando vestes, tum ipsum Aaron & Levitas, ut habetur Exod. 28. & 29. sed & controversiarum fidei & legis Judex constitutus est. Sic enim habetur loco primum citato. *Altera autem die sedit Moyses ut judicaret populum .... quod cum vidisset cognatus ejus omnia scilicet quæ faciebat in populo, ait: Quid est hoc quod facis in plebe? Cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane usque ad vesperam, cui respondit Moyses: Venit ad me populus quærens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me ut judicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & legis ejus*. Item 2. Paralip. cap. 19. legitur: *Omnem causam quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum .... Ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus; ostendite eis ut non peccent in Dominum ..... Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Porro Zabadias .... Super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent*. Igitur ad summum Pontificem & Ecclesiam pertinet solvere controversias fidei.

*Secundo, ex novo Testamento.*

ECCLESIA dicitur columna & fundamentum veritatis; unde Matth. 18. Christus ait: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Rursus Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite*. Et Joan. ult. Petro idem Christus ait: *Pasce agnos meos .... Pasce oves meas*. Tum ad Galat. 2. Paulus sic loquitur: *Ascendi Jerosolymam cum Barnaba .... & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus*. Quinam autem sunt cum quibus contulit Evangelium, fuerunt Petrus, Jacobus, & Joannes. Rursus cap. 1. Joan. 4. *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudo-Prophetæ exierunt in mundum*. Igitur ex his omnibus liquet controversiarum fidei judicium pertinere ad Ecclesiam.

*Tertio, ex Patribus.*

S. CYRILLUS Alex. in thesauro sic habet: " Debemus nos Capiti nostro Romano Pontifici adhærere, ad omnes pertinet ab eo quid credendum ac tenendum sit, accipere. " Tum Cyrillus Jerosol. catecheseos, parte 5. dicit fidem a sola Ecclesia tradi, & omni Scriptura muniri.

*S. Cyprianus* ante utrumque Cyrillum eandem confirmavit veritatem, l. 1. epist. 3. in qua sic loquitur: " Nec enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur. " Quam quidem sententiam confirmat Augustinus lib. 2. contra Cresconium, cap. 33. aureis istis verbis: " Quisquis falli metuit, hujus obscuritate quæstionis Ec-

„ Ecclesiam de illa consulat. „ Tum lib. contra epist. Fund. c. 5. " Ego vero E„ vangelio non crederem, nisi me Catho„ licæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.... „ qua infirmata, jam nec Evangelio cre„ dere potero . „ Unde ibidem addit Evangelium Nazaræorum non admittere , quia illud non admittit Ecclesia: Igitur ad summum Pontificem & Ecclesiam spectat explicare , & proponere credenda.

*Quarto, ex edictis Imperatorum.*

PRIMO: Constantinus Magnus post definitionem Concilii Nicæni edictum edidit , quo Donatistas adversus Ecclesiæ decreta dogmatica obstrepentes, Basilicis, tum bonis & hæreditatibus spoliavit, ac tandem exularunt. Sic refert D.de Fleury Hist. Eccl. tom. 3. lib. 10. pag. 58. Idem Imperator ann. circiter 321. leges similiter pœnales contra Novatianos, Valentinianos, Marcionistas, Paulianistas, & Montanistas promulgavit. Fleury lib. 11. pag. 208. & 209.

*Secundo*: Nestorius in hæresi pertinax manens jussu Imperatoris in exilium missus, ibi omnibus exosus, a cunctis abiectus, miseriis & ærumnis confectus obiit. Act. Conc. Ephes.

*Tertio*: Imperator Marcianus edicto exilii insectatus est Eutychianos.

*Quarto*: Non absimile Honorius Imperator anno 418. contra Pelagianos protulit.

*Quinto*: Multo plura eadem de causa lata sileo : unum solummodo addam ; Reges nostros Christianissimos non semel variis edictis exagitasse Novatores , in primis Ludovicus XIV. vere religione aliisque præclaris dotibus magnus , cujus vestigiis insistens Ludovicus XV. variis quoque edictis recentiorum Heterodoxorum fregit audaciam : Ergo &c.

*Quinto, rationibus Theologicis.*

PRIMA: Requiritur infallibilitas & revelatio certa ad definitionem alicujus fidei articuli, sin minus vel ipsa fides fluctuaret : Atqui præclaras istas dotes habet Ecclesia : Igitur ad illam spectat explicare & proponere credenda . Minor patet ut suo loco fusius dicemus. Major in qua posset aliqua reperiri difficultas probatur. Primo quidem ex illo Christi oraculo Matth. 16. quo fidei confessionis a Petro factæ respondit : *Caro & sanguis non revelavit tibi , sed Pater meus qui in cœlis est* . Et Paulus ad Gal. 1. de seipso dicit : *neque enim ego ab homine accepi illud Evangelium, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi* . Ergo &c.

*Secunda*: Scriptura se sola non sufficit neque traditio, sed insuper requiritur regula vivens . Igitur ad Ecclesiam spectat explicare & proponere credenda . Probatur antecedens . Scriptura varios subit sensus, quorum multi sunt admodum obscuri; juxta illud 2. Petr. 3. *Charissimus frater noster Paulus secundum datam sapientiam scripsit vobis , sicut & in omnibus epistolis , loquens in eis de his ; in quibus sunt quædam difficilia intellectu* . Idem dicendum de traditione , cum Patrum sæpius non una sit de aliquo religionis puncto sententia, ut liquet de Millenariorum placitis, quibus incaute multi primorum sæculorum Patres adhærebant: Igitur exigitur ut Ecclesia omnibus superior figat sensum Spiritus sancti , & illum declaret .

*Tertia*: Usus & possessio quæ rationem habet legis pro asservanda & declaranda veritate invaluit . Ergo &c. Probatur antecedens . Variis temporibus varii insurrexerunt pseudo-Prophetæ , qui adulterantes verbum Dei Scripturas & Patres in suos erroneos detorquebant sensus: de hujus furfuris falsis Doctoribus meminit sanctus Paulus epist. 1. ad Tim. cap. 4. S. Petrus epist. 2. cap. 2. Igitur opus est supremo controversiarum judice quæ est Ecclesia , quæque modo per summos Pontifices, modo per Concilia loquatur. Hoc judicandi modo ad metam perduxit in Concilio Jerosolymitano controversiam motam de legalibus ; in Concilio Palæstino alteram de celebratione Paschatis . In Nicæno eam quæ Verbi consubstantialitatem spectabat ; & sic de cæteris usque ad Tridentinum inclusive. Quod utique summi Pontifices in suis epistolis & decretis ab Ecclesia susceptis , deficiente Conciliorum adunandorum opportunitate , sæpissime fecerunt . Ergo &c.

*Quarta*: Particulares etiam Sancti non valent,

valent, saltem infallibiliter & semper attingere sensum Scripturæ: Ergo &c. Probatur Ant. Sæpius ignorant an loquantur inspirati a Deo, immo sæpius etiam eventus, quem prænuntiant, eorum fugit cognitionem: Sic Nathan prædixit ædificationem templi faciendam per domum David, putans quod ipse David & inciperet, & consummaret opus, quod tamen solum legitur factum tempore Salomonis. Lib. 4. Reg. cap. 4. Elisæus videns mulierem animi mœrore confectam, confessus est illi, & non negavit, Deum ipsi occultasse tantum mœstitiæ effectum: Denique David impetu spiritus Dei raptus multa effatur in Psalmis mirabilia, quæ tamen sæpius quoad personas & alias circumstantias ipsum latebant: Unum prænoscebat, se superiori virtute ductum hæc loqui: Ergo &c.

*Quinta:* Teste Apostolo est una fides: Atqui si quilibet sensum Scripturæ haberet secundum suam explicationem, tot essent Religiones & fides quot capita, ut ostendit illustrissimus Episcopus Meldensis Bossuetius in libro variationum Protestantium. Calvinus v. g. & Minister Molinus tenent Eucharistiam in figura esse articulum fidei essentialem ad salutem, Minister vero Montresar, qui præfuit Synodo Nationali Protestantium Charotensi, anno circiter 1638. declaravit realitatem corporis Christi in Eucharistia nullum habere venenum, & cum tota Synodo recepit ad suam unionem Lutheranos confessionis Augustę VVindelicorum absque abjuratione articuli realitatis quam ipsi Lutherani tenebant, & ad præsentem usque diem propugnant. Eosdem ad unionem suam recepere multi alii, ut Minister Crecut-Montili-Adamaris in sua Apologia; tum & Minister Dallæus in epist. ad Dominum de Monglac, ex quo duo sequuntur. Primo quidem, nostræ fidei regulæ vivæ necessitas. Secundo, summum Pontificem & Ecclesiam supremos esse controversiarum religionis Judices: nec ullam esse apud hæreticos fidem, quandoquidem ad Spiritus erroris attendentes perpetuo laborant & æquivocatione & contradictione.

*Observandum* est tamen ultimam fidei resolutionem quoad assensum fieri in primam veritatem tantum, unde fit

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Prima veritas loquens se sola est motivum assensus fidei.*

Probatur I. Ex illo Marc. 11. oraculo: *Habete fidem Dei.* Fides autem ideo vocatur Dei fides, quia assensus fidei solo Dei nititur testimonio, hinc Joan. 4. Samaritani oculis suis videntes mira quæ Christus patrabat, dixerunt mulieri cui Dominus suas misericordias evangelizaverat: *Jam non propter tuam loquelam credimus, Ipsi enim audivimus & scimus, quia hic est Salvator mundi.*

*Probatur* II. Ex D. Thoma qui hic 2. 2. quæst. 1. art. 1. sic loquitur: " Si consideremus formalem rationem objecti " *fidei*, nihil est aliud quam veritas prima."

*Probatur* III. ratione Theologica: Fides essentialiter innititur testimonio Dei tanquam motivo ad credendum, alias non esset virtus Theologica, sed fides humana: Igitur sola prima veritas est motivum assensus nostri: tum quia Ecclesia est solum regula proponens fidem, & applicans intellectum ad veritates credendas, hinc se habet velut apprehensio objecti, quæ ipsum præsentat tanquam veritati consonum, ut mens moveatur ad ejus assequutionem: Igitur sicut apprehensio objecti, non est ipsa causa formalis motiva voluntatis, sed bonitas objecti, ita pariter prima veritas objecti fidei non est Ecclesia, sed prima veritas.

*Solvuntur objectiones Heterodoxorum contra primam conclusionem.*

Objiciunt: Isa. 54. 13. habetur: *Dabo universos filios tuos doctos à Domino.* Igitur, quilibet spiritu proprio sacram potest interpretari Scripturam.

*Respondeo* distinguendo antecedens: Et Isaias loquitur de doctrina Evangelii, quam Christus Dominus prædicare debebat & de facto docuit: vel etiam de inspiratione Spiritus sancti & gratiæ ejus qua homo impellitur suaviter ad credendum ut faciat quod audit per concionem, concedo: & loquitur de Spiritu privato revelante, vel proponente credenda, ne-

go.

go. In eodem ſenſu explicandus eſt S. Joannes quum cap. 6. dicit. *Eſt ſcriptum in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei, omnis qui audit a Patre & didicit, venit ad me*. In eo etiam ſenſu ſolvitur, illud ad Theſſalonic. cap. 4. *De charitate fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis; ipſi enim a Deo didiciſtis ut diligatis invicem*.

*Inſtant*: Jerem. 31. habetur: *Dabo legem meam in cordibus eorum, & non docebit ultra vir proximum ſuum dicens: cognoſce Dominum, omnes enim ſcient me a minimo eorum uſque ad maximum*. Ergo &c.

*Reſpondeo* diſtinguendo, cum S. Auguſtino lib. de ſpirit. & litt. cap. 4. & Propheta his verbis ſignificat gratiam Novi Teſtamenti, id eſt, fidem per charitatem operantem quam Deus diffundit in cordibus noſtris, ut non ſolum faciamus, ſed etiam impleamus divina mandata, concedo: ſecus, nego. Illis autem verbis: *Et non docebit ultra*, ſignificatur, teſte Auguſtino, præmium fidei, id eſt, beatitudo in qua omnes electi videbunt Deum facie ad faciem. Si quis vero contendat Jeremiam loqui de præſenti tempore, ſenſus eſt quod fideles in novo Teſtamento omnia explicite cogrituri ſint myſteria.

*Replicant* I. Si Eccleſia judicet de Scripturis, ſequitur illam eſſe ſupra Scripturam, & ſenſum Scripturæ abſque illa non eſſe authenticum. II. Verbum Dei accipere firmitatem & robur a verbo hominum: ſed utrumque eſt abſurdum. Ergo &c.

*Reſpondeo* negando utramque ſequelam: Primam quidem, quia Eccleſia non facit, ſed ſolum proponit credenda, & judicium ipſius cadit duntaxat ſuper genuitatem Scripturarum, unde non eſt ſupra Scripturam, ſed ipſa inſervit Scripturæ, ſecernendo veras a falſis Scripturis: ſecundam vero, quia Verbum Dei nihil accipit in ſe pro veritate quod continet, ſed fideles tantum quos alloquitur Eccleſia, & quibus credenda proponit.

*Urgent*: Si ex judicio Eccleſiæ pendet Scripturarum ſenſus, jam fides a verbo hominum pendebit: ſed hoc ſtare non poteſt, quandoquidem Scriptura facta eſt Spiritu Dei: Igitur Spiritu divino, & non Eccleſiæ intelligenda eſt.

*Reſpondeo* diſtinguendo, Scriptura pendebit ab Eccleſia quoad expoſitionem & explicationem, concedo: quoad ſe & veritatem quam præcontinet, nego. Unde Spiritu Dei intelligenda eſt, ſeu ex propoſitione Eccleſiæ, quæ eodem firmata Spiritu habet judicare recte & infallibiliter de Scripturarum ſenſibus, juxta illud Act. 15. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*; & illud Chriſti Luc. 22. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Scilicet proponendo credenda.

*Reponunt* I. Joannes 5. 34. Chriſtus ait: *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio*. Atqui Eccleſia conſtat ex hominibus. Ergo &c. II. Superior non dependet ab inferiore: ſed Verbum Dei eſt ſupra Eccleſiam. Ergo &c. III. In lege naturæ quilibet juſtus movebatur a Spiritu ſancto, ex D. Thoma, ad judicandum de Verbo Dei: Igitur inſpiratio alicujus particularis apprime judicat de Scripturis ſacris.

*Reſpondeo* ad primum diſtinguendo, Chriſtus non accipit teſtimonium ab homine in ſe relicto, concedo: inſpirato, nego. Nam ipſe Chriſtus ab hoc mundo diſcedens, ut legitur Act. 1. ſic ſuos alloquutus eſt Apoſtolos. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*.

*Ad* ſecundum pariter, diſtinguo: Superior non dependet ab inferiore quoad auctoritatem & poteſtatem, concedo: quoad textum Verbum Dei continentem, ſubdiſtinguo, ſi Spiritus ſanctus non præſit, concedo: ſecus, nego. Vel aliter: non dependet quoad ſe, concedo: quoad propoſitionem ſuorum dictorum, nego. Verum hæc dependentia non ſe tenet ex parte ſuperioris loquentis, cum hoc potius ſuam denotet & majeſtatem & independentiam, dum loquitur per Miniſtros, ſed tantum ex parte eorum qui recipiunt ſuperioris mandata.

*Ad* tertium, diſtinguo: & in lege naturæ nondum erant Scripturæ, concedo: & erant, nego. Jam vero ſi non eſſent tunc Scripturæ, profecto ſufficiebat traditio, ſicut nunc quoque ſufficeret, ſi nobis deeſſent Libri ſacri.

*Repones*: Joan. 2. legitur: *Unctio docet vos*. Cap. 4. *Si quis voluerit voluntatem*

*ejus*

*ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit* Cap. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt*. 1. Joan. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*. 1. Cor. 2. *Spiritualis judicat omnia, ipse autem a nemine judicatur*. Tum cap. 4. *Si quis videtur esse Propheta & spiritualis cognoscet, quia scribo vobis, quia Domini sunt mandata*. Igitur gratia & unctio interior sufficiunt ad distinguendos Libros sacros a prophanis.

*Respondeo* distinguendo consequens: Gratia sufficit supposita propositione Librorum sacrorum ab Ecclesia facta, concedo: secus, nego. Duplex est librorum Scripturæ sacræ cognitio, alia exterior, interior altera: prima fit ab Ecclesia, Deo protegente, illuminante, & inspirante: altera vero quæ est actus fidei & humani intellectus cum humili obedientia ad credendum Scripturis, & fit a gratia interiori, sed supposita Ecclesiæ propositione: quomodo enim, inquit Apostolus: *Quomodo credent sine prædicante?* Id est, sine proponente: sed ad hoc ultro requiritur Spiritus sancti gratia quæ aperiat cor ad credendum, ut legitur, Act. 16. 14. *Mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo*. Ergo &c.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Ad solam Ecclesiam spectat proponere & explicare credenda: ita tamen ut ultima fidei resolutio fiat, in primam veritatem.*

PRIMO: Sic habetur in veteri Testamento Exod. 18. ubi Moyses constituitur supremus controversiarum religionis Judex: sic & in novo Matth. 18. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*.

*Secundo*: Hoc ipsum docent una voce Patres, Cyprianus lib. 1. epist. 3. Augustinus lib. contr. epist Fund. c. 5. hoc & Tridentinum quod sub finem declarat ad summum Pontificem pertinere explicare dubia circa fidem & religionem occurrentia.

*Tertio*: Usus & possessio Ecclesiæ obtinuit, quotiescumque enim subortæ sunt hæreses, adunata sunt Concilia, in quantum fieri potuit, ad fidem explicandam & definiendam.

*Cæterum*, ultima fidei resolutio fit in Deum in primam veritatem, quandoquidem solum Verbum Dei est assensus quem fidei exhibemus, motivum.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Protestantes multa objiciunt ex Scriptura, sed unum solummodo probant, videlicet, privatos homines non semel a Deo illuminari; verum non excluditur propositio Ecclesiæ probantis an Spiritus ex Deo sint.

*Secundo*: Tametsi Ecclesia judicet de credendis, non inde sequitur eam esse Scripturis præpollentiorem, sed tantum hominibus, qui ab eo accipiunt genuinum textus Canonici sensum.

*Tertio*: Neque vero etiam inde sequitur Scripturam ab hominibus pendere, non enim Deus aliquid ab hominibus accipit, sed eis ut ministris ad gloriam suam propagandam utitur, juxta illud Christi Act. 1. ad Apostolos: *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa & Samaria & usque ad ultimum terræ*.

## ARTICULUS QUINTUS.

### De interno actu fidei.

*Utrum requiratur ad illum eliciendum pia voluntatis motio?*

Duo sunt in fide distinguenda: Actus scilicet & habitus. Prior est motus in Deum quo aliquis in ipsum tendit ut primam veritatem & cui revelanti credit: posterior vero est virtus inclinans intellectum humanum ad credendum his omnibus quæ revelata sunt: sicut actus sic & habitus potest esse informis vel etiam vivus; informis quidem si sit a charitate divulsus, vivus vero si charitate animetur & in hoc sensu dicitur in Scriptura Rom. 1. 17. *Justus autem ex fide vivit*. Hoc est fide per charitatem formata.

*Prænotandum* est actum fidei posse in aliquo inveniri absque ipso fidei habitu: talis fuit actus fidei Cornelii ante Baptismi susceptionem, ejusdem prorsus naturæ est actus fidei a Catechumeno elicitus.

*Observandum* est iterum intellectum posse determinari a voluntate ad actum fidei duplici modo, nempe quoad specificationem actus, ita ut illa compellente respiciat potius verum superioris ordinis quam mere naturale: deinde vero quoad exercitium actus, ut scilicet hic & nunc credat & fidei assentiat.

*Supponimus* intellectum, secluso Dei auxilio, non posse in actum fidei prorumpere: sed difficultas est de actu fidei in tota sua latitudine sumpto, & quæritur utrum pia motio voluntatis requiratur sive in Catechumeno, sive in Baptizato ut intellectus credat.

*Supponimus* adhuc ad eandem spectare fidem ea omnia credere quæ in divinis revelata sunt scripturis sive spectent mysteria, sive historiam & miracula, sive etiam Dei promissiones. Ita de fide definivit sacra Synodus Tridentina adversus Protestantes. Qui perperam posuerunt alium esse fidei habitum quo historiæ, alium quo miracula; & alium, quo promissiones creduntur. Ratio ea est: fides innititur Verbo Dei: sed in Deo eadem est & indivisibilis veritas idem & indivisibile Verbum: Igitur una & eadem atque indivisibilis fides. Hoc ipsum probatur ex Apostolo qui Hebr. 11. prælaudata eidem fidei tribuit.

*Primo quidem*, ait fidem cuncta attingere mysteria, his verbis: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium .... Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei*. II. Eidem fidei tribuit assensum historiis veteris Testamenti, sic enim pergit: *Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo*. III. Per eandem fidem nos credere miraculis asserit Doctor gentium, & ait: *Fide muri Jericho corruerunt circuitu dierum septem*. IV. Denique eandem fidem spectare promissiones, habemus ex subsequentibus verbis: *Per fidem, Sancti, vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*. His prælibatis sit

### CONCLUSIO.

Requiritur pia voluntatis motio ut determinetur intellectus ad actum fidei tum quoad specificationem, tum quoad exercitium.

*Probatur rationibus Theologicis*.

PRIMA sic se habet: Ille actus est a pia voluntatis affectione, qui illam habet ut causam determinantem: Atqui actus fidei tametsi formaliter ab intellectu procedat, adjunctam tamen habet voluntatem quæ intellectum determinat ad hunc potius assensum quam ad alterum, & ad credendum actu: Igitur intellectus determinatur a voluntate & quoad objectum credendum, & ut de facto actu credat. Probatur minor multis momentis.

*Primo, ex Scriptura*, Luc. 24. habetur: *O stulti & tardi corde ad credendum*. Act. 16. dicitur de Lydia purpuraria: *Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo*. Audis actum fidei etiam ad cor seu voluntatem pertinere, quatenus determinat intellectum ut mysteria contempletur tanquam suæ cognitionis objecta: quod autem etiam illum determinet quoad exercitium, ibidem cap. 17. legitur: *Cum audissent*, inquit S. Lucas, loquens

loquens de B. Paulo Areopagi perorante: *Resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: audiemus te de hoc iterum .... Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt. Adhærentes ei*: Ecce voluntatis affectus ad fidem prærequisitus: *crediderunt*, ecce ipse fidei assensus. Ergo &c.

*Secundo*: Hoc ipsum subindigitat Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. his verbis in gratiam eorum qui justificantur prolatis: " Disponuntur autem ad ipsam justitiam dum excitati divina gratia fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum credentes, vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt. " His in locis duplicem rationem affert Concilium cur actus fidei etiam habeat adjunctam voluntatem, primam quidem ex eo quod sit liber & meritorius, deinde vero quia ab intellectu non procedit nisi prius a voluntate moto tum & excitato. Hoc ipsum jam jam Concilium Arausicanum Canone 5. determinaverat, definiendo adversus Pelagianam perfidiam initium salutis esse, ab effectu credulitatis, & inspirationem Spiritus sancti corrigere voluntatem nostram ab Infidelitate ad fidem. Hoc est, movere ad credendum.

*Tertio*: Succinit S. Augustinus Tract. 86. in Joannem: " Intrare, *ait*, quisquis in Ecclesiam nolens, accedere ad altare potest nolens, sed credere non potest nisi volens. "

*Altera* conclusionis ratio ea est, quod donum Dei habeat affectionem cordis ut causam sui adjunctam: sed fides est donum Dei. Ergo &c. Probatur minor. Et vero tametsi non sit ipsa gratia, est tamen a gratia movente cor ad credendum, & in hoc sensu est quid supernaturale & Dei donum, vocaturque gratia fidei, juxta illud Christi effatum Matth. 16. *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est*. Concinunt alia innumera Scripturæ loca quibus probant Theologi initium fidei esse a gratia: omnis autem actus supernaturalis in eo sensu etiam dicitur gratia, quatenus ab ipsa procedit. Hoc ipsum passim innuunt Patres ut Ambrosius in expositione istorum verborum Luc. 1. *visum est & mihi*, ait: " Ideo qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus respondere, visum est & mihi, quod cum dicit, non negat Deo visum; a Deo enim præparatur voluntas hominum, ut enim Deus honorificetur a sancto, Dei gratia est. " Similia loquitur Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 11. in primis Tridentinum sess. 6. Can. 3. his verbis: *Si quis dixerit sine præveniente Dei gratia atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.*

*Ex* his liquet gratiam prævenire semper fidei actum eo prope modo quo causa suum antecedit effectum. Igitur non dicendum est fidem, ut pro actu vel habitu sumitur, esse primam gratiam, ut nonnulli falso autumant, cum gratia hæc omnia præcedat: quasi vero Cornelius, Paulus, Augustinus & alii innumeri antequam essent Christiani & sacrum susciperent lavacrum nullam habuerint gratiam: immo multiplicem habuere quæ gratia fidei eatenus dici potest, quatenus a Christo Mediatore promanabat & ad credendum in ipsum movebat.

*Tertia* ratio eaque a priori illa censetur: intellectus seipsum non potest movere quoad specificationem, seu quoad objecti contemplationem per modum determinationis, nisi objectum sit de se evidens, vel in principio, ut in ista propositione, totum est majus sua parte, vel in conclusione quæ deducitur ex præmissis rite ordinatis, tunc enim necessario assentitur consequentię: Sed objectum a fide propositum manet semper in se obscurum & altum. Igitur ut assentiat, indiget pia voluntatis affectione, quę suppleat objecti evidentiam. Nec mirum actus fidei est liber tam quoad specificationem, quam quoad exercitium: quoad specificationem quidem ut patet Actuum 17. de illis: *Cum audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant*. Igitur illorum intellectus illud objectum abnuebat: quoad exercitium vero, ut patet ex aliis: *Quidam vero*, inquit S. Lucas *dixerunt, audiemus te de hoc iterum*. Ecce quomodo actu nec credebant, nec determinabantur ad resurrectionem mortuorum ut fidei objectum credendam. Demum,

mum, hæc est, discrepantia inter determinationem intellectus circa actum naturalem eliciendum & determinationem circa actum supernaturalem, quod se ipsum determinet circa objecti naturalis cognitionem, quippe quod sit illi proportionatum, sed specialiter movetur inquit D. Thomas per gratiam, quando objectum innatas ejus excedit vires.

*S. Doctor*, hic 2. 2. quæst. 1. art. 4. sic loquitur: " Fides importat assensum in„ tellectus ad id quod creditur, assentit „ autem intellectus alicui dupliciter: uno „ modo quia ad hoc movetur ab ipso ob„ jecto, quod est vel per seipsum cogni„ tum, sicut patet in principiis primis „ quorum est intellectus; vel est per aliud „ cognitum, sicut patet de conclusioni„ bus, quarum est scientia: alio modo „ intellectus assentit alicui, non quia „ sufficienter moveatur ab objecto pro„ prio, sed per quamdam electionem vo„ luntarie declinans in unam partem, „ magis quam in aliam. Et siquidem hæc „ sit cum dubitatione & formidine alte„ rius partis, erit opinio: si autem sit „ cum certitudine, & absque talis formi„ dine, erit fides. „

*Solvuntur objectiones.*

OBJICIES: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed illuminatio supernaturalis est gratia sufficiens ad eliciendum fidei actum: Igitur inutilis est pia voluntatis motio. Confirmatur. Adam innocens cum sola illuminationis gratia eliciebat suam in Deum fidem & alios similes actus. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo minorem: gratia illuminationis sufficit ad objectum fidei apprehendendum, concedo: ad illi assentiendum, nego. Duplex est in intellectu humano ad fidem impedimentum: alterum ex superioritate ordinis, alterum ex parte depravationis cordis promanans: primum tollit gratia illuminans, qua quidem elevatus intellectus attingit objectum supernaturale mentis humanæ aciem in se relictam superans, quod quidem peragitur in intellectu tum illius qui accedit ad fidem, tum etiam illius qui jam habet fidei habitum, quandoquidem habitus fidei solum inclinat mentem ad objectum contemplandum; ad actum vero eliciendum habitus supernaturales non sunt principia nisi radicalia, hinc gratia actualis veluti principium immediatum necessaria est, cum illa de se sit activa. Hoc ipsum colligitur ex omnibus ferme Canonibus Concilii secundi Arausicani. Alterum vero impedimentum per gratiam volitionis seu affectus alternata vice superatur: nec mirum assensus fidei est liber, hinc gratia fide sicut illuminativa sic & affectiva esse debet, cum libertas sit vis electiva, adeoque in voluntate residens.

*Solutio*, ex D. Thoma colligitur qui hic quæst. 2. art. 9. ad 3. sic loquitur: " In „ scientia duo possunt considerari: scilicet „ ipse assensus scientis in rem scitam, & „ consideratio rei scitæ; assensus autem „ scientiæ non subjicitur libero arbitrio, „ quia sciens cogitur ad assentiendum per „ efficaciam demonstrationis: & ideo „ assensus scientiæ non est meritorius. „ Sed consideratio actualis rei scitæ sub„ jacet libero arbitrio .... Sed in fide „ utrumque subjacet libero arbitrio, & „ ideo quantum ad utrumque, actus fidei „ potest esse meritorius. „

*Ad* confirmationem, nego Adamum cum sola intellectus gratia potuisse elicere, & de facto plures actus eliciusse supernaturales, gratia enim per modum motionis quæ illum determinaret & applicaret ad actum, illi erat necessaria ratione dependentiæ a Creatore, nobis vero est & ratione dependentiæ & ratione infirmitatis, non enim solum requiritur ut voluntas nostra determinetur ad bonum, sed ut sanetur; ita expressis verbis S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 2.

*Instabis*: Si requireretur ad actum fidei motio voluntatis, maxime ratione inevidentiæ objecti: Sed hæc ratio nulla est. Et probatur multis momentis. Primo quidem, Prophetæ tametsi in fide ambulantes, habebant tamen evidentiam in attestante, cum viderent Angelos in persona Dei mysteria illis adaperientes. II. Mysteria sunt evidenter credibilia, & propter signa, fides vel in ipsis dæmonibus agnoscitur. III. Fides humana non aliam exigit evidentiam quam in attestante, hinc absque negotio ultro credimus ea quæ ab oculatis testibus nobis referuntur. IV. Demum motio voluntatis, utpote alterius ordinis ab intellectu evidentiam, quæ ex illumina-

tione objecti procedit, supplere non potest; sic auditus quantumvis perfectus supplere non valet ea quæ ad lumen oculi sive ad ipsum spectant oculum.

*Respondeo* negando minorem. Ad primam probationem, distinguo: Prophetæ habebant evidentiam in attestante, sed remanebat in objecto obscuritas, concedo: & non remanebat, nego. Hinc Greg. Magnus hom. 26. illa Christi ad S. Thomam verba Joan. 20. *Beati qui non viderunt & crediderunt*, ait, Apostolum palpando vulnera aliquid vidisse, scilicet humanitatem, & aliquid credidisse nimirum divinitatem: ecce evidentia in attestante cum objecti obscuritate: Igitur requiritur gratia motionis ut determinetur intellectus quoad specificationem.

*Ad* secundam probationem, utique distinguo: Mysteria sunt evidenter credibilia adeoque solum evidentia extrinsece, concedo: intrinsece, nego. Sunt enim secundum se abscondita, ut ex probationibus liquet: quocirca fides supernaturalis, non est in dæmonibus, sed solum quædam conjecturalis ex evidentia signorum promanans. Ratio D. Thomæ est quod vera fides tendat in Deum per affectum & ut in ultimum finem quod cæteri Theologi vocant credere in Deum.

*Non* injucundum erit hic texere verba S. Doctoris qui 2. 2. quæst. 5. art. 2. ait: " Quod autem voluntas moveat in„ tellectum ad assentiendum, potest con„ tingere ex duobus: uno modo ex or„ dine voluntatis ad bonum, & sic crede„ re est actus laudabilis: alio modo quia „ intellectus convincitur ad hoc, quod „ judicet esse credendum his quæ dicun„ tur: quod licet non convincatur per „ evidentiam rei. „ Tum concludit: " In „ fidelibus Christi laudatur fides secun„ dum primum modum: & secundum „ hoc non est in dæmonibus, sed solum „ secundo modo. „

*Ad* tertiam probationem, nego paritatem: Ratio discriminis ea est, quod fides humana non fit nisi de objecto naturali & sibi proportionato, hinc modo adsit testis oculatus optimis instructus moribus objectum manet sufficienter evidens, sed non sic de mysterio abscondito res se habet, quippe quod etiam sub lumine fidei & attestantis evidentia abstrusum remaneat, quocirca nisi accedat voluntatis affectio non superatur difficultas.

*Ad* ulteriorem & ultimam probationem, distinguo antecedens, voluntatis motio seu affectio non reddit objectum evidens evidentia formali, concedo: experimentali, nego. Duplex evidentia distinguenda est, altera formalis, experimentalis altera. Prior procedit ab objecto cognito vel in se & immediate, vel in principiis seu etiam in conclusione demonstrativa & scientifica; posterior vero ex quadam objecti possessione, gustu & experientia: sic mel degustatum absque eo quod ab oculis videatur, optime dignoscitur: non absimili modo mysteria animæ patent, modo scilicet fidei illuminatione sed tunc obscure, modo vero per divinorum experientiam. Hinc Christus ait ad Discipulos, 1. Joan. 2. *Unctio ejus docet vos*. Igitur gustus divinorum reddit objectum de se absconditum experimentaliter evidens, & sic voluntas per quamdam animi complacentiam movet intellectum ad assentiendum mysteriis, tametsi in se obscuris.

*Repones*: Ex S. Thoma 1. 2. quæst. 9. art. 1. voluntas solum movet omnes animæ potentias, quoad exercitium, eas ad actum tum determinando, tum applicando, intellectus vero easdem quoad specificationem immo & ipsam voluntatem objectum proponendo movet, hoc est, ad amandum potius unum quam alterum objectum. Igitur extra voluntatis sphæram est movere intellectum quoad specificationem, nimirum ad assentiendum vel dissentiendum objecto revelato.

*Respondeo* distinguendo: & S. Doctor loquitur de ordine naturali ubi objectum est proportionatum & evidens eo modo quo mox delineavimus, concedo, de ordine supernaturali, nego. Nisi enim objectum per visionem beatificam clarescat, manet semper in se obscurum, hinc seclusa voluntatis motione, seu affectione, semper erit indifferens ad assentiendum vel dissentiendum juxta illud Actuum 17. de Senatoribus Areopagi Paulum de Mysteriis disserentem audientibus: *Cum audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt audiemus te de hoc iterum.*

*Observes* velim habitum fidei non esse absolute necessarium ad eliciendum fidei actum,

actum, nisi sit sermo de actu fidei perfecto. Primum patet, cum Cornelius ante Baptismi susceptionem fidei actus non semel eliceret: Secundum, affirmat sanctus Thomas hic quæst. 4. art. 2. his verbis: " Oportet, quod tam in voluntate sit aliquis habitus, quam in intellectu, si debeat actus fidei esse perfectus." Ratio est quia hujusmodi actus est perfecta ad Deum conversio: Sed ista profluit a charitate, ad quam omnes virtutum supernaturalium habitus consequuntur. Ergo &c.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Requiritur pia motio in voluntate ad credendum.*

PRIMO: Sic habetur Act. 16. ubi dicitur quod Dominus aperuerit cor Lydiæ ut intenderet iis quæ dicebantur a S. Paulo. Ibidem cap. 17. solus Dionysius & quidam cum illo, aliis irridentibus, crediderunt.

*Secundo*: Sic expresse docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 4. & 6. sic S. Augustinus Tract. 36. in Joan. sic D. Thomas ex professo hic quæst. 1. art. 4.

*Tertio*: Ratio suffragatur: Fides mysteria proponit mentis aciem transcendentia: nisi igitur voluntas moveatur a gratia, & mota inclinet intellectum ad assentiendum fidei, nihil credet. Ergo &c.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM. ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Gratia solum illuminans non sufficit ad fidei actum, sed requiritur & movens voluntatem, ut sic mota determinet intellectum ab objectum supernaturale credendum, juxta illud Rom. 10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.*

*Secundo*: Tametsi possit dari evidentia in attestante, objectum fidei manet semper in se obscurum: Prophetæ quidem quandoque videbant Angelum in forma hominis illos alloquentes, sed proponentes mysteria quæ non capiebant. Igitur sine motione voluntatis non assentiet intellectus fidei.

*Tertio*: Ultro concedimus intellectum movere ipsam voluntatem in ordine naturali quoad specificationem, sed in ordine supernaturali ipse movetur & applicatur ab ea per gratiam elevata ad objecta supernaturalia credenda.

---

## ARTICULUS SEXTUS.

*Utrum actus internus fidei sit necessarius ad salutem.*

PRÆMITTENDUM est aliquid esse necessarium duplici modo, videlicet necessitate medii, & necessitate præcepti. Priori modo id omne dicitur necessarium, cum illo secluso, absolute finis obtineri non potest; sic peccator absque pœnitentia criminum veniam habere nequit; posteriori vero, cum aliquid est necessarium non quidem ex natura rei, sed solum ex institutione alicujus causæ dominantis, quæ statuit ut unum sine altero non comparetur: eo modo audire Missam diebus Dominicis ex præcepto Ecclesiæ ad salutem necessarium est: sed hæc est inter utrumque necessarium discrepantia, quod circa ea quæ sunt necessaria necessitate medii non detur dispensatio, bene vero circa cætera.

*Non* abs re erit etiam hic subnotare fidem esse duplicem, unam scilicet explicitam, alteram vero implicitam: Prior quidem illa dicitur qua aliquis immediate & determinate aliquid credit. V. g. Verbum esse Incarnatum: posterior vero quando credendo unum articulum expresse, implicite mediate, & consequenter alia cum isto puncto necessario connexa creditur: ut sic plebejus credens Christum passum, implicite credit fuisse flagellis cæsum &c. De utroque momento nunc agendum incumbit.

*SECTIO PRIMA.*

De necessitate actus fidei in genere.

*CONCLUSIO.*

Actus fidei est necessarius necessitate medii, tum ad justificationem, tum ad salutem consequendam.

*Probatur ratione, eaque multiplici.*

PRIMA: Illud est necessarium necessitate medii, sine quo aliquid haberi non potest: Atqui seclusa fide in Deum, nec justificatio, nec salus haberi potest. Ergo &c. Probatur minor multis auctoritatibus.

*Primo, ex Scriptura*. Joan. 14. legitur: *Creditis in Deum*. Rursus cap. 17. *Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum*. Et iterum Hebr. 11. *Sine fide autem impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Ergo &c.

*Secundo, concinunt Patres*. Instar omnium sit S. Augustinus qui serm. 38. de tempore, sic loquitur: " Fides est humanæ salutis initium, sine hoc nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire: quia sine ipsa, nec in hoc sæculo quisquam justificationis consequitur gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternam. " Ergo &c.

*Tertio*: Ita definivit sacra Synodus Tridentina session. 6. cap. 7. his verbis: " Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli umquam contigit justificatio. " Pergit cap. 8. " Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis. " Tum Can. 3. sic pronuntiat: *Si quis dixerit sine prævenienti Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut & justificationis gratia conferatur; anathema sit*:

*Altera ratio* sic se habet: In his quæ superant humanæ mentis aciem homo debet ab ipso Deo edoceri vel per fidem, vel per visionem beatificam: Sed in præsenti statu, teste Apostolo, cuncta videmus in ænigmate scilicet per fidem. Ergo &c. Sic docet S. Thomas hic 2. 2. quæst. 2. art. 3. his verbis: " Ultima beatitudo consistit in quadam supernaturali Dei visione, ad quam quidem visionem homo pertingere non potest, nisi per modum ediscentis a Deo Doctore, secundum illud Joan. 6. omnis qui audit a Patre, & didicit; venit ad me, hujus autem disciplinæ fit homo particeps non statim, sed successive secundum modum suæ naturæ. Omnis autem talis addiscens oportet quod credat ad hoc, quod ad perfectam scientiam perveniat, sicut etiam Philosophus dicit quod oportet addiscentem credere. Unde ad hoc, quod homo perveniat ad perfectam visionem beatitudinis, præexigitur quod credat Deo tanquam Discipulus Magistro docenti. "

*Tertia*: Nullus aut justificari, aut de facto salvari potest sine ad Deum ut remuneratorem conversione per contritionem, & amorem: Sed amor non habetur sine fidei ope, juxta illud tritum adagium: *Nihil amatum quin præcognitum*. Ergo &c.

*Fit satis objectionibus.*

OBJICIES: Ad salutem assequendam sufficit adimplere præcepta, juxta illud Christi Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Sed mandata, seclusa fide, servari possunt. Et probatur multis momentis. Primo quidem, ex illo Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt*. Secundo, ex Justino qui Apolog. cap. 28. ait Socratem salvum esse immo & fuisse martyrem. Rursus oratione ad Antoninum appellat Philosophos ac cæteros qui ante Christum cum ratione vixerunt, Christianos.

III. S. Chrysostomus hom. 4. de Providentia non absimilia loquitur, dicendo veteres Philosophos agnovisse Deum præmia bonis, malis vero supplicia post mortem præparasse. Quarto, multi in lege naturæ salvati sunt absque eo quod legem Mosaicam amplexi sint, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 98. art. 5. ad 3. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo maiorem, sufficit ad salutem servare mandata, & unum ex illis est credere in Deum, juxta illud Christi Joan. 14. *Credite in Deum & in me credite*. Con-

Concedo: secus, nego. Hoc ipsum patet ex illo altero Scripturæ testimonio Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum*. Eo quippe loci Apostolus loquitur de fide in Deum ut auctorem gratiæ & gloriæ, subdit enim: *Juxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes*. Et distinguo minorem: absque fide servantur mandata aliqua naturalia, hoc est, aliquis etiam Paganus potest facere aliquod bonum opus ordinis naturalis, concedo: mandata quæ respiciunt vitam æternam, nego. In priori sensu intelliguntur verba Apostoli: S. Augustinus lib. de spiritu & littera cap. 27. ait particulam *naturaliter* non excludere cognitionem Dei supernaturalem, quæ habetur per fidem & gratiam, sed tantum legem Mosaicam: sic Melchisedech, Job, & Abraham possunt in hoc sensu dici bona opera naturaliter egisse, hoc est, in lege naturæ, quæ quidem sic nominatur, non per exclusionem fidei & gratiæ, sed tantum legis scriptæ.

*Ad* 1. probationem ex Justino desumptam, distinguo: Philosophi habuerunt cognitionem Dei ut auctoris naturæ absque fide, concedo: & in hoc sensu vocantur Christiani quatenus, teste D. Thoma, hæc cognitio est quoddam ad fidem præambulum: In eodem prorsus sensu loquitur Tertullianus Apol. cap. 17. his verbis: *O testimonium animæ naturaliter Christianæ*. Quia vero ratio est verbi & sermonis Dei participatio, Justinus etiam propter hoc eos omnes qui ante Christum juxta rationem vixere, appellat Christianos: Et ille Pater intellexit fuisse in rigore Christianos, & seclusa fide Salvatoris, nego. Ita Baronius initio Annalium. Justinus Apol. 1. est sui ipsius interpres: Primo quidem ait: " Quicumque „ cum ratione, ac verbo vixere, Christia- „ ni sunt quamvis Athei habiti sint, quales „ inter Grecos fuere Socrates, Heraclitus, „ atque iis similes. „ Tum infra hæc subdit: " Quia autem non omnia, quæ ra- „ tionis sunt, & verbi, id quippe Christus „ est, perviderunt & promulgarunt, di- „ versa a se ipsis, & contraria persæpe „ dixerunt. „ Audis Justinum non habuisse Philosophos, nisi adumbrative Christianos. Revera quidem Socrates ebrietati & iracundiæ addictus fuit; Plato vero qui ab Augustino in libris de civit. Dei passim dicitur divinus, eo quod egregia de Deo scripserit, favit tamen idololatriæ & fæminarum usum promiscue permisit; quocirca a S. Hieronymo epist. ad Eliodorum Stultus appellatur: Tum vero Bernardus Tractatu de erroribus Abaillardi lib. 4. sic loquitur ille: " Dum multum „ sudat, quomodo Platonem faciat Chri- „ stianum, se probat Ethnicum: „ Quid plura adjiciam? Justinus ideo Socratem appellat Martyrem, quia ab Atheniensibus injuste fuit ad mortem damnatus, eo quod unicum Deum, & non plures passim suis prædicaret discipulis.

*Ad Chrysostomum* distinguo: vult solum Philosophos multa de præmiis & suppliciis scripsisse sicut legerant in *Libris Moysis*, & Prophetarum, concedo: fide instructos, nego. Si tamen ad Deum conversi sint, jam non sola ducti ratione de supernaturalibus loquebantur. Cæterum fuso calamo in superioribus tractatibus genuinam istorum Patrum mentem explanavimus.

*Ad* 3. Prob. distinguo, multi absque lege Mosaica in lege naturæ, sed non absque fidei auxilio salvati sunt, concedo: seclusa fide, nego. Solutio patet ex supra dictis: quod enim vel ipsi Philosophi absque fide defuncti, non fuerint de civitate Dei, colligitur ex Apostolo qui Rom. 9. de eis loquens, ait: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt .... ideo .... tradidit eos in reprobum sensum*.

*Repones*: sicut Heb. 11. dicitur: *sine fide impossibile est placere Deo*; Sic Joan. 3. habetur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Atqui tamen cum solo Baptismi voto adultus salvari potest: Igitur & a simili absque fidei actu.

*Respondeo* I. Argumentum exuberare, & ad summum probare fidem explicitam non semper esse ad salutem necessariam.

*Respondeo* I. Concessa majori, & minori, negando paritatem: ratio discriminis est susceptionem realem Baptismi suppleri posse voto, quippe quæ in eo virtualiter contineatur; at vero actus fidei nullo modo præcontinetur in cognitione naturali: idcirco secundum se est necessarius necessitate medii ad salutem.

*Urgebis*: Ex S. Thoma q. 14. de veritate art. 11. ad 1. Educatus in sylvis nihil de mysteriis sciens, salvari tamen potest si sequatur, inquit, ductum rationis in appetitu boni & fuga mali: Igitur ex S. Doctore actus fidei non est necessarius necessitate medii ad salutem.

*Respondeo* distinguendo Antecedens, & S. Doctor eo loco subdit hominem in hypothesi a Deo illuminari de credendis, vel interius per Angelos, vel exterius per prædicatorem quem illi mitteret, concedo: sic enim misit Philippum ad Eunuchum Reginæ Candacis Actuum 8. Petrum ad Cornelium, Actuum 10. Paulum ad Macedones, Actuum 16. Dionysius cap. 9. de cœlesti Hierarchia scribit multos Gentiles ministerio Angelorum de mysteriis edoctos, deinde vero salutem fuisse assecutos. Et propugnat S. Doctor illum hominem seclusa fide posse salvari, nego.

*Persistes*: Non debent proponi homini quæ ejus superant captum: Sed fides hujusmodi talia proponit: Ergo &c. Probatur major. Periculose homo assentiret illis, in quibus non posset judicare: sed non potest judicare de credendis. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo majorem, non debent proponi homini quæ ejus mentis aciem excedunt, si sit sermo de fine naturali, concedo: si de fine supernaturali ad quem misericorditer elevatur, nego. Et concessa minori, distinguendum est pariter consequens. Porro nulla fit in hoc homini injuria, quod ex duobus potissimum capitibus liquet. Primo quidem ex eo quod elevetur ad nobilissimum finem, eu[...]e sibi indebitum: Secundo, quia fides & gratia, quibus hunc assequi potest finem, gratuito illi conceduntur. Sic respondet S. Thomas ad argumentum hic quæst. 2. art. 3. ad primum his verbis: " Dicendum, quod quia natu„ra hominis dependeat a superiori natu„ra: ad ejus perfectionem non sufficit „ cognitio naturalis, sed requiritur „ quædam supernaturalis. „

*Ad* confirm. distinguo, seclusa fide, homo periculose assentiret iis quæ ejus superant captum, concedo: adjutus a fide, nego. Et sic distincta minori, nego consequentiam. Solutio est ejusdem S. Doctoris ibidem ad 2. & hac data, sic concludit: " Et ideo nihil periculi, vel „ damnationis inest his, qui sunt in Chri„ sto Jesu, ab ipso illuminati per fidem. „

## SYNOPSIS SECTIONIS.

*Fidei actus est absolute necessarius ad salutem.*

PRIMO: Scriptura sacra passim id annuntiat, maxime Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*. Et istud Marc. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*.

*Secundo*: Sic definit Synodus Trid. sess. 6. cap. 8. " Fides est humanæ saluti ini„ tium, fundamentum & radix omnis „ justificationis. „ Demum can. 3. hoc de fide definit.

*Tertio*: Sine amore Dei non est salus: Sed sine fide non est amor, juxta illud Adagium: *Nihil amatum, quin præcognitum*, Ergo &c.

## SYNOPSIS ARGUMENTORUM, IN CONTRARIUM.

PRIMO: Ultro concedimus sufficere ad salutem servare mandata: Sed unum inter cætera palmare est credere in Deum, scriptum est enim Heb. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*, &c.

*Secundo*: Nec quemquam movere debet, quod quidam Patres loquantur de Philosophis tanquam de justis, hoc enim non nisi lato modo intelligendum est, quatenus quædam Dei mirabilia ex lectione librorum Moysis didicerint, & scripserint, nusquam vero stricte & in sensu proprio, cum Apostolus Rom. 9. asserat, illos in reprobum sensum datos, eo quod Deum esse intelligentes non sicut Deum glorificaverint.

*Tertio*: Non eodem modo Scriptura dicit Joan. 5. *Nisi quis renatus fuerit denuo &c.* Heb. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum*: Ista quippe verba ad litteram intelligere necesse est, secus alia, cum detur votum Baptismi pro salute, minime vero fide; quippe quæ sit omnium bonorum operum initium.

SE-

## SECTIO SECUNDA.

*Utrum fides explicita, tum de Incarnatione, tum de SS. Trinitate sit necessaria necessitate medii ad salutem, posita Evangelii prædicatione.*

S. *Thomas* hic q. 2. art. 7. Docet Adamum innocentem habuisse fidem explicitam de Incarnatione, & de mysterio ejus gloriam consummaturo, & consequenter de Trinitate: post peccatum vero eumdem & majores videlicet Patriarchas, legis tam naturæ, quam veteris & Prophetas eam ipsam fidem explicitam habuisse non solum de Trinitate, & de Incarnatione secundum se spectata, sed etiam in individuo & de circumstantiis, tum passionis, tum mortis Christi, quippe qui fuerint circa ista momenta a Deo illuminati, plebem vero, utpote rudiorem non nisi implicitam fidem de his mysteriis habuisse. Caput igitur præsentis controversiæ est: utrum fides explicita Mediatoris, & SS. Trinitatis sit necessaria necessitate medii in eo quo vivimus statu, ad salutem. Pro cujus resolutione sit

### CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

*Probatur argumentis Theologicis.*

### PRIMUM ARGUMENTUM.

*Ex Scriptura deducitur.*

ILLA Fides est necessaria, quæ præcipitur explicite in novo Testamento modo ut quid ad salutem necessarium, modo ut annexam habens vitam æternam, modo etiam ut medium; quo secluso, nemo absolute salvari potest: Atqui fides Dominicæ Incarnationis & SS. Trinitatis talis est: Igitur utriusque mysterii explicita fides requiritur ad salutem: Probatur minor variis scripturæ testimoniis.

*Primo quidem* insigne est illud quod habetur Marci ultimo his verbis; *Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Neminem autem latet Christum præcepisse omnes baptizandos esse in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. S. Bernardus epistola 77. explicans verba laudata subdit: "Caute igitur & vigilanter, non repetivit: qui vero baptizatus non fuerit, sed tantum, qui vero non crediderit, condemnabitur; innuens solam interdum sufficere fidem ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil."

*Secundo*: Eandem fidem ad nostram conducere salutem non una probat scripturæ auctoritas Joan. 6. Christus ait: *Qui credit in me, habet vitam æternam*. Rursus Rom. 3. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio, omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Jesu quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ .... justificans eum qui est ex fide Jesu Christi*. Et iterum Actuum 15. *Testimonium perhibuit Deus illis* gentibus *Spiritum sanctum sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos & illos fide purificans corda illorum*. Demum Joan. 3. *Qui non credit in eum, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*. Rursus ibidem cap. 14. *Creditis in Deum & in me credite*. Ergo &c.

*Tertio*: Nullum quoque sine illa fide posse salvari ex Scriptura jam supra laudata colligitur, & alia etiam suffragantur loca Joan. enim I. legitur: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Rursus ad Timoth. II. *Unus est enim Deus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*. Et Actuum 4. *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. In his & similibus mentio fit maxime de Incarnatione, ut de expresso fidei nostræ objecto; Sed non tacetur Pater, nec Spiritus sanctus: Igitur fides explicita Incarnationis, tum & SS. Trinitatis est absolute ad salutem necessaria.

### SECUNDUM ARGUMENTUM.

*Ex SS. Doctoribus.*

SENSUM Scripturarum ex SS. Patribus habemus; Sed eamdem fidem prædicant, ut medium ad salutem consequendam absolute necessarium. Ergo &c. probatur minor.

*S. Ignatius* epist. ad Philadelphos sermonem de Prophetis instituens, ait: " Hi „ Evangelium annuntiaverunt, in Christum speraverunt; in quem cum credidissent, salvati sunt in unitate Jesu „ Christi, & annumerati in communis „ spei Evangelio. „

*Irenæus* lib. 4. cap. 5." Non enim, *ait*, „ prohibebat eos credere in filium Dei, „ sed hortabatur dicens, non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, „ nisi credant in eum qui secundum multitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra. „ Idem repetit cap. 45.

*S. Hieronymus* suum addit calculum in cap. 1. ad Ephes. " Non ante filii esse possemus, quam filii ejus Jesu Christi fidem „ & intelligentiam recipiamus. „ Tum in cap. III. " Fiduciæ atque accessus ad „ Deum principium & origo, fides in „ Christum est. „

*Suffragatur* S. Augustinus lib. de spir. & litt. cap. 29. his verbis: " Fide Jesu Christi impetramus salutem, & quantum „ nobis inchoatur in re, & quantum perficienda expectatur in spe. „ Expressius lib. de corr. & gr. cap. 7. „ A damnatione se non liberabunt, qui dicere poterunt, se non audivisse Evangelium .... „ Quicumque ab hac generali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti „ sunt, non est dubium, quod & procuratur Evangelium audiendum, & „ cum audiunt, credunt. „

*Doctor* Angelicus idem ex professo docet 2. 2. q. 2. art. 6. ubi probat auctoritate Gregorii Magni, majores & minores, scilicet plebeios teneri ad fidem explicitam capitalium mysteriorum credere: Pa„ ri ratione, *ait*, explicatio fidei, oportet „ quod perveniat ad inferiores homines per majores. „ Sicut Angeli inferiores, inquit, illuminantur per superiores. Art. 7. propugnat omnes, ne uno quidem excepto debere explicite credere incarnationem. Idem exigit pro fide SS. Trinitatis art. 8. & sic loquitur: " Dicendum, quod mysterium Incarnationis Christi explicite „ credi non potest sine fide Trinitatis: quia „ & in mysterio Incarnationis Christi hoc „ continetur, quod Filius Dei carnem „ assumpserit, quod per gratiam Spiritus sancti mundum renovaverit: Et „ iterum quod de Spiritu sancto conceptus fuerit .... & ideo etiam post „ tempus gratiæ divinæ tenentur omnes „ ad explicite credendum mysterium Trinitatis: & omnes qui renascuntur in „ Christo, hoc adipiscuntur per invocationem Trinitatis secundum illud Matth. ultim. Euntes docete omnes Gentes &c., Ergo &c.

## TERTIUM ARGUMENTUM.

*Ex Symbolis & Conciliis procedit.*

SYMBOLUM est summa credendorum quæ explicite tenere debemus: Sed cuncta Symbola inter fidei articulos nobis credendos proponunt eos, qui Trinitatem & dominicam Incarnationem spectant, sic enim habetur in symbolo Apostolorum: *Credo in Deum Patrem, Creatorem cœli & terræ, & in Jesum Christum Filium ejus unigenitum &c.* Sic in Niceno: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem .... Et in unum Dominum Jesum Christum .... Et Homo factus est: Et in Spiritum sanctum Dominum &c.* Sic in alio quod Divo tribuitur Athanasio, explicatis enim adamussim quæ SS. Trinitatem & Incarnationem spectant, sic concludit: *Hæc est fides Catholica quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

*Concinit*: Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. his verbis: " Declarat, ipsius ju„ stificationis exordium in adultis a Dei „ per Jesum Christum præveniente gratia „ sumendum esse. „ Rursus cap. 6. „ „ Disponuntur autem, *adulti*, ad ipsam justitiam dum excitati divina gratia & „ adjuti, fidem ex auditu concipientes „ libere moventur in Deum credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud in primis, a Deo „ justificari impium per gratiam ejus, per „ Redemptionem quæ est in Christo Jesu. „ Et iterum cap. 8. " Tum vero Apostolus dicit justificari hominem per fidem & „ gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Ca„ tholicæ consensus tenuit & expressit, & „ scilicet per fidem ideo justificari, quia „ est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine „ qua impossibile est placere Deo. „

QU-

## QUARTUM ARGUMENTUM.

*Ex rationibus Theologicis deducitur.*

PRIMA: Debemus explicite credere primarium fidei objectum: Sed illud est SS. Trinitas & Incarnatio, quod enim v. g. Abraham duos habuerit filios & similia non tenentur omnes explicite credere, cum hoc per se primo non conducat ad salutem, ut SS. Trinitas & Incarnatio: Ergo &c. Hæc ratio est D. Thomæ hic q. 2. art. 5. " Quantum ergo ad prima cre„ dibilia, *inquit*, quæ sunt articuli fidei, „ tenetur homo explicite credere sicut & „ tenetur habere fidem. Quantum autem „ ad alia credibilia non tenetur homo „ explicite credere, sed solum implicite, „ vel in præparatione animi, in quantum „ paratus est credere quidquid Scriptura „ divina continet. „

*Altera* ratio hæc est: Veniente veritate, cessat figura: Sed inter veterem & novam legem discrimen est, quod in illa cuncta contingerent in figuris, ut dicit Apostolus, in ista vero Mysteria abscondita prædicatione Evangelii manifestata sint. Igitur debemus nunc habere fidem explicitam de principalibus Mysteriis. Ita D. Thomas. Ibid. art. his verbis: " Post „ tempus autem gratiæ revelatæ, tam „ majores, quam minores tenentur ha„ bere fidem explicitam de Mysteriis „ Christi, præcipue quantum ad ea quæ „ communiter in Ecclesia solemnizan„ tur. „

*Tertia*: Fides charitate & amore formata habet summum meritum, juxta illud ad Heb. 11. Sancti *per fidem .... adepti sunt repromissiones*: Sed ad hoc requiritur fides explicita, ut ferventior sit amor, nihil enim amatum quin bene præcognitum: Ergo &c. Hæc ratio est D. Thom. ibid. art. 9. " Actus nostri sunt meritorii, in „ quantum procedunt ex libero arbitrio „ moto Deo per gratiam .... unde a„ ctus fidei potest esse meritorius. „ Quia, *inquit*: " Ipsum credere est „ actus intellectus assentientis veritati di„ vinæ ex imperio voluntatis a Deo mo„ tæ per gratiam. „

## FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES Apostolus Heb. 11. Nullam facit mentionem de Christo, ubi de credendis loquitur: Ergo &c. Probatur Ant. sic loquitur: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens, quandoquidem tota ad Hebræos epistola est de Christo, unde tametsi sileat cap. 11. Christum, capite sequenti, scilicet 12. illum Hebræis proponit ut mirum patientiæ in adversis exemplum. Tum capite primo sic intonat: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens in Prophetis novissime diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula*.

*Respondeo* II. aliter distinguendo: & hoc probat fidem Incarnationis explicitam ante adventum Christi omnibus non fuisse necessariam, concedo: post adventum, nego. Solutio est D. Thomæ hic q. 2. art. 8. ad 1. " Dicendum quod illa duo ex„ plicite credere de Deo omni tempore „ & quoad omnes necessarium fuit: *Vide„ licet quod Deus existat & sit remunerator*. „ Non tamen est sufficiens omni tempo„ re, & quoad omnes.

*Urgebis*: S. Joannes Baptista erat Christo coævus, & tamen videtur quod Christum explicite non cognosceret, quippe qui Matth. 11. illi diceret: *Tu es qui venturus est, an alium expectamus?* II. Dionysius cap. 9. cœl. Hier. scribit multos Gentiles ministerio Angelorum assecutos fuisse salutem, idem dicit fieri posse in homine qui in sylvis educatus sequeretur ductum rationis in appetitu boni, & fuga mali: Atqui tamen nec Gentiles laudati habuerunt fidem explicitam de Deo Trino & Incarnato: Neque hoc exigit S. Thomas in homine sylvestri, sed solum quod sequatur ductum rationis &c.

*Respondeo* ad I. negando S. Joannem Baptistam explicite non cognovisse Christum, cum ipse præparaverit vias ejus, & digito discipulis illum monstraverit dicens: Joan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Unde ad confirmationem distinguo, quærebat a Christo Joannes quis esset, ut sui discipuli ab ipso

Do-

Domino de ejus adventu docerentur, concedo: quærebat dubitando, vel etiam eum ignorando, nego. Sic solvit argumentum D. Thomas hic q. 2. art. 7. ad 2. auctoritate S. Chrysostomi suffultus, his verbis: " Potest dici, sicut Chrys. dicit, „ quod non inquisivit, quia ipse ignoraret, sed ut per Christum satisfaceret suis discipulis: unde & Christus ad discipulorum instructionem respondit, „ signa operum ostendens. „

*Ad* exemplum Gentilium dico de credendis fuisse edoctos ab ipsis Angelis, cum speciali eorum ministerio fuerint salvati. Doctor Angelicus ibidem ad 3. sic respondet: " Dicendum, quod multis „ Gentilium facta fuit revelatio de Christo: ut patet per ea, quæ prædixerunt. Nam Job. 19. dicitur. Scio quod „ Redemptor meus vivit. Sibylla etiam „ prænuntiavit quædam de Christo. Ut „ Aug. dicit. Invenitur etiam in historiis „ Romanorum, quod tempore Constantini Augusti, & Irenæ matris ejus inventum fuit quoddam sepulchrum, in „ quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat, Christus nascetur ex Virgine, & „ ego credo in eum. O Sol! sub Irenæ, „ & Constantini temporibus iterum me „ videbis. „

*Ad* 3. solutio se ipsam prodit in verbis D. Thomæ, cum dicat, in hypothesi quod homo in Sylvis enutritus sequatur ductum rationis, ut declinet a malo & faciat bonum, illuminandum esse de credendis, vel interius per revelationem, vel exterius per Angelos. Ex quo sequitur fidem explicitam de SS. Trinitate, & Dominica Incarnatione ad salutem exigi. Ecce verba D. Thomæ q. 14. de verit. art. 11. ad 1. " Si aliquis nutritus in sylvis, vel inter bruta animalia ductum „ rationis naturalis sequeretur, in appetitu boni & fuga mali, certissime est „ credendum quod ei Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea quæ „ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium. „

*Repones*: ab actu ad posse valet consequentia: Sed multi de facto justificati sunt seclusa fide explicita in Christum & probatur I. Exemplo Cornelii de quo loquens S. Thomas 3. parte q. 69. art. 4. ad 2. ait, " Cornelius & alii similes, consequuntur gratiam & virtutes „ per fidem Christi, & desiderium Baptismi implicite, vel explicite: postmodum tamen in Baptismo majorem copiam gratiæ & virtutum consequuntur. „ II. Exemplo pueri ad auroram rationis pervenientis. S. Thomas propugnat teneri sub peccato mortali se se ad Deum per fidem & amorem convertere; porro non talis est conditionis & instructionis ut SS. Trinitatis & Incarnationis Dominicæ explicitam fidem habeat: sufficit igitur ut actum fidei implicitæ eliciat. III. Demum ulteriori Catechumeni exemplo; non enim semel evenit per solum Baptismi votum & ante realem ejus susceptionem per summum erga Deum amorem justificari. Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem. Ad primum exemplum dico Cornelium paulo ante Baptismi susceptionem habuisse fidem explicitam principalium mysteriorum, cum fuerit a beato Petro prævia instructione baptizatus; quocirca tametsi adhuc Gentilis fidem implicitam & gratiam habuerit, non tamen planam donec baptizatus sit: hoc ipsum subindigitat S. Doctor his postremis verbis: " Postmodum tamen in „ Baptismo majorem copiam gratiæ & virtutum consequuntur. „

*Eadem* est responsio ad 2. & 3. exemplum, maxime cum instans rationis non sit indivisibile, sed morale, & longe antecedat instructio: sicut & præcedit in Cathecumenis priusquam suscipiant Baptismum. Igitur illi & isti per fidem explicitam ad Deum Trinum & Incarnatum convertuntur.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Fides explicita sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis absolute ad salutem necessaria est.*

PRIMO: Vel ipse Christus sic statuit, dicens Marc. ultimo: *Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Porro Evangelii præcipua capita sunt SS. Trinitas & Dominica Incarnatio.

*Secun-*

*Secundo*: Sic docent SS. Patres: In primis Ignatius Epist. ad Philad. Irenæus lib. 4. adv. hær. cap. 5. Hieronymus in cap. 1. Epist. ad Eph. Augustinus lib. de spir. & litt. cap. 29.

*Tertio*: Hanc fidem tenendam omnia annuntiant symbola. Sic docet S. Thomas hic q. 2. art. 5. & 7. quia hoc gratiæ tempore omnia revelata sunt mysteria, unde veniente veritate, quod in figuris tenebatur, nunc mente & ore manifestandum est.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: In vanum opponitur, Apostolum Heb. 11. ubi loquitur de credendis, non commemorare Christum, cum tota epistola sit de eo, & cap. sequenti, scilicet 12. adhortetur fideles ut Christum præ oculis semper habeant tanquam mirum patientiæ & cæterarum virtutum exemplum.

*Secundo*: Neque plus virium haberet objectio qua diceretur Joannem Baptistam Christo coævum non habuisse fidem explicitam de eo; quippe qui illum ostenderit discipulis dicendo Joan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: Unde si quando ab eo sciscitatus est, num esset qui venturus est, de industria hoc loquendi modo Christo usus est, ut ejus auditores & discipuli de ipso ab ejus Incarnatione edocerentur.

*Tertio*: Homo enutritus in sylvis declinans a malo & faciens bonum, salvari potest, quia tunc ait D. Thomas, interius per lumen gratiæ, vel exterius per prædicatorem de credendis eum illuminabit Deus.

---

## ARTICULUS SEPTIMUS.

### De actu fidei externo.

*Utrum fideles teneantur profiteri fidem.*

DE Actu fidei externo impræsentiarum agitur quem a fide elici constat, cum sit ejusdem speciei & lingua extrinsecus exequatur quod mente concipitur. Ita S. Th. hic q. 8. art. 1. &c.

De hoc momento tria potissimum quæruntur: Primo quidem, utrum sit ad salutem necessarium profiteri fidem? II. In hypothesi quod hoc sit necessarium, quando nam præceptum urgeat? Demum num licitum sit, vel ad vitam servandam, vel ad aliquod aliud grave incommodum vitandum negare fidem saltem extrinsecus. Pro quorum resolutione sit

## CONCLUSIO PRIMA.

### Actus fidei exterior necessarius est ad salutem.

*Probatur rationibus Theologicis.*

PRIMA: Illud est ad salutem simpliciter necessarium quod est conditio ad vitam æternam possidendam: Atqui talis est actus fidei exterior, juxta illud Christi Matt. 10. *Omnis ergo qui confitebitur me, coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Ergo &c. Sic docet ex professo S. Tho. hic q. 3. art. 2. ut legenti patebit.

*Altera* ratio sic proponitur: Quod ex se habet necessariam connexionem cum salute, citra dubium ad illam assequendam necessarium est: Atqui talis est actus exterior fidei, quatenus eo tendimus ad finem ultimum & exequimur in terris, quod in perpetuum laudando Deum in cælis peragere debemus: Et probatur ex illo Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Ergo &c.

*Suffragatur* Augustinus lib. de fide & symbolo cap. 1. his verbis: " Oportet nos esse & justitiæ memores & salutis: quandoquidem in sempiterna justitia regnatur, a præsenti sæculo maligno salvi fieri non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem quam corde gestamus. Ergo &c.

*Tertia*: Tenentur adulti suo munire calculo fidem quam eorum nomine publico ritu confessi sunt baptismate patrini: Sed hoc non fit nisi actu fidei extrinseco & publico: Ergo &c.

CON-

CONCLUSIO SECUNDA.

ADULTI tenentur profiteri fidem in multis casibus. Primo quidem, quando omissio cederet in Dei injuriam. II. Cum nomen militiæ Christianæ dant: III. In Sacramentorum usu. IV. Quando hoc ipsum exigit necessitas proximi. V. Demum in articulo mortis.

*Probatur* I. In genere ex D. Thoma qui hic q. 3. art. 2. sic habet: „ Præcepta „ autem affirmativa non obligant ad semper, etsi semper obligant: obligant autem „ pro loco, & tempore secundum alias „ circumstantias debitas, secundum quas „ oportet actum humanum limitari ad „ hoc, quod sit actus virtutis. Sic ergo „ confiteri fidem, non semper, neque in „ quolibet loco est de necessitate salutis: „ Sed in aliquo loco, & tempore, quando scilicet, per dimissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus „ Deo, & etiam utilitas proximis impendenda: puta, si aliquis interrogatus de „ fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel „ quod non haberet fidem, vel quod fides „ non esset vera, vel alii per eius taciturnitatem averterentur a fide. „

*Probatur* II. ab enumeratione partium. Quisque tenetur suam profiteri fidem, primo quidem quando omissio iniuriam Deo irrogaret, tunc enim foret peccatum, & transgressio præcepti affirmativi, quod dubio-procul tunc urget cum teneamur Deo famulari & ejus gloriam cum tempus opportunum adest, celebrare. Deinde vero cum aliquis baptizatur: sicut enim solemne est apud homines sese publice declarare in gratiam Regis cui famulari volunt, a fortiori cum adultus, spretis falsis religionibus, soli Catholicæ adhærere statuit. Urget quoque fidei confessio in Sacramentorum frequentatione, quippe quæ sint veræ religionis ritus solemnes; sed non minus quando exigit proximi utilitas, tunc enim præceptum charitatis erga proximum non levius obligat, cum in periculum fidei malorum hominum instigatione veniat. Sed & in articulo mortis tum ad propellendas rugientis inimici immissiones, tum ut digne se sistat moribundus ante Christi judicantis tribunal; namque cum omnium virtutum apparatu hoc fieri debet, in quantum humana potest sustinere fragilitas, Ergo &c.

CONCLUSIO TERTIA.

*Nusquam licitum est negare fidem.*

PROBATUR, unico sed irrefragabili argumento. Præcepta negativa obligant pro semper, quale est istud, *declina a malo*: Maxime cum sit intrinsece peccatum aliquid adversus ea committere: sed non negare fidem eatenus ad præceptum negativum pertinet, quatenus negare sit horribilis religionis proditio & malum, quod pœnam æternam inducit, juxta illud Christi Matth. 10. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.*

*Ex* ista conclusione inferes nemini licitum esse simulare religionem, sicut faciunt, qui mente versipelli subscribunt formulario contrarium intus credentes. Hoc ipsum patet exemplo senioris Eleazari qui lib. 2. Machab. cap. 6. noluit simulare veri Dei religionem ut coram furente Antiocho propriæ consuleret vitæ. Hinc Cyprianus sermone de lapsis post medium perstringit libellaticos, qui cum falsis numinibus sacrificare nollent, a judicibus tamen numerata pecunia libellum quo eos sacrificasse constaret, ad vitandam mortem impetrabant. Metaphrastes in vita S. Sabæ scribit S. illum videntem carnes idolis non immolatas a nonnullis Christianis obtrudi, ut eos satisfecisse edicto Imperatoris, quo omnes immolatis vesci jubebat, appareret, exclamasse: *Qui hos cibos comederit, Christianus esse non potest.*

*Ratio* etiam suffragatur, quia ut ait D. Thomas q. 111. art. 2. omnis simulatio peccatum est, & a mendacio solum distinguitur, quia mentiens verbis significat quod non est; simulans vero hoc idem factis, vel rebus designat.

*Solvuntur objectiones contra primam conclusionem.*

OBJICIES: Ad salutem sufficit conjunctio animæ cum Deo: Sed hoc fieri potest actu fidei interno. Igitur non opus est externo.

*Respondeo* distinguendo majorem, sufficit con-

conjunctio animæ cum Deo per amorem & Dei & proximi manifestatum, concedo: secus, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam: Constamus corpore & anima, hinc sicut interius sic & exterius fidem charitate formatam prodere tenemur, maxime cum de hoc sit præceptum. Solutio est Divi Thomæ hic quæst. 3. art. 2. ad 1. " Finis fidei, *ait*, & aliarum virtutum, referri debet ad finem charitatis, qui est amor Dei & proximi, & ideo quando honor Dei, vel utilitas proximi hoc exposcit .... debet fidem exterius confiteri. "

*Instabis*: Soli Pastores quibus ex officio incumbit instruere, tenentur fidem exterius profiteri. Igitur non omnes ad hoc obligantur: Tum quia sæpius ad hoc rixæ & turbationes sequerentur.

*Respondet*: S. Thomas ibidem ad 2. " Dicendum, quod in casu necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem: Sed aliis temporibus instruere homines de fide, non pertinet ad omnes fideles. "

*Ibidem* ad 3. ad confirmationem, ait: " Dicendum, quod si turbatio infidelium oriatur de confessione fidei manifesta absque aliqua utilitate fidei, vel fidelium, non est laudabile in tali casu fidem publice confiteri, unde Dominus dicit Matt. 7. Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargere ante porcos, ne conversi dirumpant vos: Sed si utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas adsit, contempta perturbatione infidelium, debet homo publice fidem confiteri. Unde Mat. 15. Dicitur, quod cum discipuli dixissent Domino, quod Pharisæi, audito ejus verbo, scandalizati sunt, Dominus respondit: sinite illos, scilicet turbari: cæci sunt & duces cæcorum. "

*Oppones*: Contra tertiam conclusionem: licitum est sancte tempore persecutionis, juxta illud Christi Matt. 10. *Cum autem persequentur vos in civitate illa, fugite in aliam*. II. Hæreticorum templa adire eosque concionantes audire. III. Vesci carnibus diebus ab Ecclesia prohibitis in parte infidelium & hæreticorum ad vitanda vitæ pericula. IV. Eadem ratione deferre Turcarum turbantem, seu cidarim: Sed hæc tamen advertantur fidei confessioni: Igitur & licitum est quandoque, negare fidem extrinsecus, modo interius retineatur.

*Respondeo* negando minorem quoad omnes partes. Et vero fugere tempore persecutionis secundum se non est malum, sed potius quædam fidei professio, cum ideo confessor fugiat, ne periculo fidei amittendæ sese committat, si excipias casus in secunda conclusione laudatos. Neque vero est negare fidem, si non curiositate, sed potius ad debellandos hæreticos aliquis ex missione eosdem perorantes audiat. Non idem dicendum de ignaris, nullus enim periculo perversionis se exponere debet. Cæterum solum jus Ecclesiasticum diebus veneris, quadragesimæ, vigiliarum & quatuor temporum prohibet abstinere a carnibus, contra quod prævalet jus naturale de servanda vita: Tum quia Ecclesia non intendit præceptum Ecclesiasticum in his & similibus circumstantiis obligare. Ad ultimam partem dico non esse malum uti vestibus in aliqua regione usitatis, juxta illud axioma. *Cum fueris Romæ, Romano vivito more*. Nisi vestes per se primo sint idololatriæ professiones, quales sunt quæ præseferunt idola depicta.

SYNO-

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Fidelis tenetur profiteri fidem publice, quando sacramenta frequentat, tempore persecutionum. Et cum fides proximi in periculum venit.*

PRIMO: Ipse Christus hoc edocet Matth. 10. dicens: *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Sic docet Ecclesia; quæ ad hoc instituit festivitates.

*Secundo*: Confessio fidei necessariam habet cum salute connexionem: sic enim habetur Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

*Tertio*: Sic propugnant SS. Doctores. Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 1. D. Thomas hic q. 3. art. 2. ubi & determinat tempus quo fidelis tenetur fidem profiteri: videlicet quando defectu confessionis subtraheretur honor Dei, & utilitas proximi.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Non negamus ad salutem sufficere conjunctionem animæ cum Deo; sed contendimus faciendam esse modo a Deo præscripto: cum igitur Christus exigat ut illum coram hominibus confiteamur, necesse est ad salutem publice fidem profiteri.

*Secundo*: Neque vero curandum est, quod infirmi in fide de hoc perturbentur, & Hæretici scandalum inde patiantur: scandalum enim tale acceptum, & non datum est; quocirca tametsi Pharisæi adversus Christum mores depravatos insectantem obstreperent, ipse tamen nihilominus contra eorum infidelitatis vitia prædicare non cessabat.

*Tertio*: Fugere tempore persecutionis non est contra fidem, sed potius quædam fidei professio; per hoc enim dignoscuntur fideles, qui ut fidem servent, ne cedant sævientibus, iuxta Christi præceptum fugiunt, sicque uga Paganis suam manifestant fidem.

## ARTICULUS OCTAVUS.

*De habitu fidei, ejus subjecto, & vitiis illi oppositis.*

### §. I.

*De habitu.*

QUÆRES Utrum fidei habitus sit semper virtus & qualis?

*Respondeo* I. habitum fidei esse duplicem, unum informem, formatum alterum. Prior a charitate divulsus est, & in peccatoribus remanet, quandoquidem semper credunt Deo revelanti; posterior charitate elevatur: uterque tamen est virtus Theologica, iuxta illud D. Thomæ q. 14. de veritate art. 3. ad 9. „ Fides „ neque est virtus intellectualis, neque „ moralis, sed est virtus Theologica. „ Non quidem intellectualis, nam ejus actus etiam ex pia voluntatis affectione procedit: neque etiam moralis, ista quippe bonum honestum respicit, fides vero verum revelatum: non est quoque scientia, quippe quæ non sit evidens & discursiva; superest igitur ut sit virtus Theologica, quæ residet partim in voluntate, partim in intellectu, in voluntate quidem propter affectum a quo movetur, in intellectu propter veritatem quam respicit, quæque est proprium mentis objectum.

### §. II.

*De his in quibus fides reperitur.*

FIDES & in justo viatore, & in fideli gratia sanctificante privato remanet: in illo quidem, cum ad gratiam sanctificantem sequatur; in isto vero, quatenus credit Deo revelanti, & Ecclesiæ proponenti: hoc ipsum subindigitat Apostolus 1. Corint. 13. his verbis: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Igitur seclusa charitate, remanet teste Apostolo fides in peccatore, tametsi non meritorie. Revera quidem peccatores multa bona opera motu fidei & religionis faciunt, sic fide adjuti eliciunt attritionis actum, qui cum sacramen-

mento Pœnitentiæ ad justificationem sufficit.

*Fides* non invenitur in hæreticis, non in reprobis, non in dæmonibus : in prioribus quidem, quia non credunt Verbo Dei, tametsi enim quosdam articulos se tenere profiteantur, eo tamen ipso quo aliquem discredunt, circa cæteros amittunt fidem; Verbum enim divinum tam est infallibile in uno quam in omnibus revelatis : qui igitur illi non credunt pro aliquo, nec pro aliis capitibus credere existimantur : hinc fides una dicitur, eo quod sit unicum fidei motivum, scilicet veritas divina in loquendo; maxime cum vel ipsi hæretici non credant Ecclesiæ proponenti, & ista ulteriori ratione constat hæreticos non habere fidem divinam : In eis adimpletur istud Jacob. 2. oraculum : *Offendat autem in uno, factus est omnium reus*. Hinc S. Cyprianus lib. 1. Epist. 3. ait : " Nulla societas fidei cum „ perfidia esse potest. „ Sed neque in reprobis seu damnatis fides supernaturalis remanet, quippe qui non credant ex pia in Deum affectione : quocirca ipsi dæmones nonnisi quamdam fidem conjecturalem propter evidentiam signorum de Christo habebant.

*Fides* igitur hæresi amittitur, quatenus hæresis immediate illi opponitur : amittitur reprobatione, eo quod peccatum impœnitentiæ finalis firmet personam in malo, omni gratia illam exuat, adeoque & omni pio in Deum affectu, quem absolute actus fidei annexum habet.

*Demum* fides fuit in Angelis viatoribus & primis parentibus, non tamen remanet in Beatis : primum patet, neque enim Angeli viatores & Protoparentes tendere in Deum ut remuneratorem, & illum uti talem agnoscere, secluso fidei auxilio, poterant. Igitur erat eis necessaria & ut Deo cultum debitum redderent, & ut bonis operibus vitam æternam consequerentur. Jam vero quod non remaneat in Beatis, ratio in promptu est, quia non in specie & ænigmate, sed facie ad faciem Deum, teste Apostolo 1. Cor. 13. intuentur. Suffragatur Augustinus lib. 13. de civit. Dei cap. 4. " Tunc est fides, „ *inquit*, quando spectatur in spe, quod „ in re nondum videtur. „

## §. III.

*De vitiis fidei oppositis : & primum de infidelitate.*

I. NOMINE infidelitatis intelligunt Theologi omnem fidei carentiam, quo sensu nedum gentiles, sed & Judæi atque hæretici, immo & a fide Apostatæ dicuntur infideles. Stricto tamen modo sumpta dicitur carentia fidei in illis solum qui fidem Christi nunquam suscepere. Porro illa infidelitas duplex distinguitur, una scilicet negativa, & positiva altera ; Prior est carentia fidei in his qui nihil de Christo audierunt, immo nec, omni adhibita diligentia, audire potuerunt, qualis sunt potissimum ii qui in sylvis & nascuntur, & nutriuntur : posterior vero est carentia fidei in iis quibus annuntiatum est Evangelium, fidem tamen suscipere noluerunt.

II. *Infidelitas* negativa non est peccatum ; e contra vero positiva. Prima pars probatur ex illo Christi Joan. 15. *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent* : Igitur qui nihil audivit de Christo, nec potuit audire peccato infidelitatis reus non est, quod & innuit Apostolus ad Romanos 10. his verbis : *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei quem non audierunt; quomodo autem audient sine prædicante?* Sic docet S. Augustinus tractatu 89. in Joan. ubi explanans verba Joan. 15. ait : " Respondeo habere illos excusatio„ nem non de omni peccato suo, sed de hoc „ peccato quo in Christum non crediderunt, „ ad quos non venit, & quibus non est „ locutus. „ Rursus epist. 194.

*Concinit* S. Thomas hic 2. 2. q. 10. art. 1. eo loci docet infidelitatem negativam non habere rationem peccati, sed potius pœnæ. Ratio est quia Deus impossibilia non jubet, nec quis punitur pro eo quod vitare non potuit, ut passim asserit S. Augustinus : Sed infideles negativi non possunt credere, nam ex Apostolo : *Quomodo credent ei quem non audierunt?* Ergo &c.

*Dices* : Apostolus ibidem subdit : *Sed dico numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* : Igitur ex Aposto-

postolo non datur infidelitas negativa, cum omnes audierint, hinc Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 3. ait, de infidelibus sermonem instituens: " Nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem. Aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse .... Sed & illa ignorantia quæ non est eorum quæ scire nolunt, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet; sed fortasse ut mitius ardeat. " Audis ex S. Augustino infidelitatem etiam eorum qui non audierunt esse peccatum, cum ex eodem propter illam Pagani in inferno puniantur. Ergo &c.

*Respondeo* I. difficultatem manere solutam in tract. de gr. ubi ex professo eam tractavimus.

*Respondeo* II. distinguendo: & ex verbis posterioribus Apostoli solummodo denotatur, fidem jam ad multas mundi plagas pervenisse, concedo: ad omnes & singulas, nego. Alias sibi contradiceret B. Paulus, cum infideles negative excusatos habeat: *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient, sine prædicante?* Sic explicat verba Apostoli S. Augustinus lib. de natura & gratia cap. 2.

*Ad* auctoritatem S. Præsulis distinguo, infideles punientur in inferno propter alia peccata ab infidelitate distincta, concedo: præcise propter infidelitatem, nego. Quia vero, seclusa fide Christi, nemo potest intrare in regnum cælorum, Gentiles damnantur propter peccatum originale & actuale, sed non sicut illi qui audierunt & credere noluerunt. Quod subindigitat S. Doctor dicendo neminem sic excusari propter infidelitatem negativam, hoc est à cæteris peccatis, ut non ardeat, sed ut mitius ardeat: Infideles quippe positivi prorsus inexcusabiles sunt, hinc & propter infidelitatem & propter alia peccata, quæ ex cognitione Christi & regis graviora evaserunt, graviores quoque luunt criminum pœnas, ita S. Thomas in loco mox laudato, ubi sic loquitur: " Infidelitas dupliciter accipi potest. Uno modo secundum puram negationem: ut dicatur infidelis ex hoc, quod non habet fidem. Alio modo potest intelligi infidelitas secundum contrarietatem ad fidem: qua scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam, secundum illud Isai. 53. quis credidit auditui nostro? Et in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis, & secundum hoc infidelitas est peccatum, si autem accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ. "

*Cæterum* tametsi præceptum fidei omnes & singulos obliget, hoc intelligendum est, supposita legis Evangelicæ promulgatione: neque plus virium habet instantia illorum qui dicunt infidelitatem esse pœnam peccati: Sed esto sit pœna peccati originalis, hoc ultro fatemur, sed non est peccatum, cum non sit voluntaria.

III. *Licitum* est communicare cum infidelibus in iis quæ ad religionem non pertinent, juxta illud 1. Corint. 10. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire*: hoc est vocat vos ad cœnam & prandium; *Omne quod vobis apponitur, manducate; nihil interrogantes propter conscientiam*. Idem dicendum est de hæreticis, modo non sint denuntiati per sententiam judicis. Non idem dicendum, si ex frequentatione orietur scandalum: hinc subdit Apostolus: *Si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam*. Immo cap. 8. ait se non manducaturum carnem in æternum, si hoc fratrem scandalizet: a fortiori in his quæ pravam religionem spectant suppeditando, v. g. res ad cultum superstitiosum inservientes: puta vendendo lignum ad fabricandum idolum, vel thus ei adolendum. Hoc ipsum innuit Apostolus 2. Corint. 6. *Nolite*, inquit, *jugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio justitiæ cum infidelibus, quæ societas luci ad tenebras? .... Propter quod exite de medio eorum & separamini, aicit Dominus, & immundum ne tetigeritis*. Subscribit Tertullianus lib. de Idololatria cap. 6. his verbis: " Potest lingua negasse quod manu confiteris, verbo destruere quod facto struis? "

*Neque* vero licitum est disputare cum hæreticis, nisi adsit & missio & scientia;

tia; immo Apostolus ad Titum 3. ait: *Hæreticum hominem, post unam & secundam correptionem devita: sciens quia subversus est, qui ejusmodi est & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus*.

*Demum* ritus infidelium tolerari possunt a Principibus Christianis, si eorum potestati subditi sint, & in uno congregentur loco, ubi citra scandalum & periculum fidelium perversionis, religionem sibi propriam exercere queant. Sic probat usus perpetuus in gratiam Judæorum, qui passim in terrarum orbe tolerantur.

*Observes*: Hæreticos baptizatos posse compelli a Principibus ut veram exerceant religionem, quandoquidem ratione Baptismi, tametsi membra Ecclesiæ putrida, ad eam tamen pertinent; & in eos jurisdictionem habet: hujus rei irrefragabile argumentum illud est, quod Ecclesia non semel eos, omni adhibita juris solemnitate, nominatim excommunicet & a gradibus procul dejiciat.

## §. IV.

*De pœnis temporalibus quæ hæreticis infliguntur.*

QUÆRITUR num hæreticis a Principibus, tum Ecclesiasticis, tum sæcularibus puniri legitime possint, ut hæreseos criminis pœnas luant?

## CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

PROBATUR unico, sed efficacissimo argumento. Quod perpetua traditione & possessione firmatum est, hoc pro certo teneri debet: Atqui res sic se habet pro hæreticis, immo & schismaticis perstringendis, ut salutari medicina percepta ad meliorem redeant frugem: Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

*Primo, ex Scriptura sacra*: Deuteronomii 13. Deus præcipit falsos occidere Prophetas: *Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est ut vos averteret a Domino Deo vestro qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de domo servitutis, ut errare te faceret de via quam tibi præcepit Dominus Deus tuus*. Cap. 17. rebelles definitionibus Aaron in materia religionis pereunt e populo: & Matthæi 7. Christus sic loquitur: *Attendite a falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Attendite ut eos ejiciatis & puniatis.

*Secundo*: Suffragantur Patres; Cyprianus 1. de exhortatione martyrum cap. 5. „ ita loquitur: Quod sic idololatriæ indignetur Deus, ut præceperit etiam „ eos interfici, qui sacrificare & servire „ idolis suaserint, in Deuteronomio &c. „ Quod si ante adventum Christi circa „ Deum colendum & idola spernenda, „ hæc præcepta servata sunt, quanto „ magis post adventum Christi servanda „ sunt, quando ille veniens non verbis „ tantum nos hortatus sit, sed & factis „ post omnes injurias & contumelias, „ passus quoque & crucifixus &c.

*S. Hieronymus*: illa verba ad Galatas 5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, explicans, ait: " Scintilla statim „ ut apparuerit extinguenda est. „

*Insigne* est quod S. Leo de Priscillianistis ait epist. ad Turribium: " Merito „ patres nostri, sub quorum temporibus, „ hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur. Quando etiam mundi Principes, „ ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut auctorem ejus ac plerosque „ discipulos legum publicarum ense prosternerent. „

*Tertio*: Eadem traditio ab enumeratione partium astruitur. Christus ipse flagellis profanatores templi perstrinxit. Ecclesia vero in omnibus Conciliis adversus hæreticam perfidiam adunatis cunctos rebelles anathemate percussit & exauctoravit.

*Vel* ipsi sæculares Principes Catholici, ut jam dictum est; tanquam fidei defensores insectati sunt hæreticos & schismaticos. Constantinus Donatistarum exilio & legum severitate contumaciam fregit ut fuse describit Augustinus epist. 185. quod probat exemplo Nabuchodonosor qui sub gravissimis pœnis prohibuerat ne aliquid adversus cultum & honorem Dei Sidrach, Misach & Abdenago fieret. Sequentes Imperatores eodem modo, alii Pelagianos, alii Nestorianos, alii Eutychianos punierunt, ut videre est in jure canonico, codice

codice de hæreticis: sicut & sub Innocentio III. multi Albigenses teste S. Antonino 3. p. historiæ titulo 19. Joannes vero Hus & Hieronymus de Praga tempore Concilii Constantiensis igni traditi sunt.

*Quid* dicam de Apostatis & Blasphematoribus, illis a fide deficientibus, istis adversus Deum insurgentibus? Priores modo exilio, modo carceribus luunt pœnas criminis; posteriores vero perforatione linguæ puniuntur: Sic statuit S. Ludovicus Francorum Rex: Sic ab illo ad nostra usque tempora statuerunt Reges Christianissimi, in primis Lud. XIV. qui Novatores rebelles etiam non semel exilio lacessivit.

*Solvuntur objectiones.*

OBJICIES: Nec Apostoli, nec eorum tempore Principes Christiani in Hæreticos sævierunt, cum, teste D. Bernardo, serm. 66. nullus armis sed potius mansuetudine ad fidem compelli debeat: Ergo &c. Confirmatur. Neque pœnæ timor ad hoc valet, cum postea ad hæresim homo nequam sicut sus ad volutabrum redeat ut primum datur occasio.

*Respondeo* distinguendo: Nullus Paganus ad fidem amplectendam armis aut timore compulsandus est, concedo: quia Ecclesia nullam in eos habet jurisdictionem, & hoc tantum probat argumentum & instantia: nullus Hæreticus, nego. Si non corde ad meliorem redeat frugem, ejus culpa est. Nonne Christus voluit debiles & claudos compelli intrare in suam domum ad cœnandum?

*Incassum* de hoc conquerebantur Donatistæ, ait August. epist. 185. cap. 5. his verbis: " Quod dicunt qui contra suas „ impietates leges justas institui nolunt, „ non petiisse a Regibus terræ Apostolos „ talia, non considerant aliud fuisse tunc „ tempus, & omnia suis temporibus agi. „ Quis enim tunc in Christum crediderat „ Imperator, qui & pro pietate contra „ impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc illud propheticum complebatur, quare fremuerunt gentes, &c. adversus Christum ejus. „

*Ad* alteram probationem respondet ibidem Augustinus: " Experimentis probavimus, & probamus, prius timore vel „ dolore cogi ut postea possint doceri. „

*Incassum* quoque de hoc quererentur ultimæ ætatis Hæretici, cum vel ipse Calvinus Servetum Genevæ comburi curaverit propter suos in sanctissimam Trinitatem errores, & in Synodo Dordeacena quidam Sectæ Calvinianæ rebellis, ordinante Principe Arausicano, gravissime punitus sit. Cæterum omnes antiqui Theologi, & ex recentioribus Lherminier Doctor Sorbonicus tractatu de fide, ex professo docent posse sæculares Principes pœnis temporalibus cogere Hæreticos, ut ad meliora redeuntes, juxta religionem quam in Baptismo professi sunt, vivant.

*Instabis*: Credere est opus voluntatis, sed ex Philosophis nullus potest cogi interius, unde dicitur de S. Hermenegildo quod tametsi vinculorum pondere oppressus, sæviente in eum patre Ariano, maneret tamen intus liberrimus: Igitur nullus debet cogi ad fidem jam derelictam iterum amplectendam.

*Respondeo* distinguendo minorem: Sed homo adduci debet minis & pœnis ad vivendum juxta fidem in Baptismo celebratam, concedo: & hoc fieri non potest, nego. Respondeo secundo aliter distinguendo, voluntas intus cogi non potest, concedo: adduci ad meliorem frugem, nego. Ad hoc enim exhortationes, ad hoc correptiones & pœnæ: Solutio colligitur ex D. Augustino qui epist. ad Bonifacium cap. 5. sic loquitur: „ Cur „ enim, cum datum sit divinitus homini „ liberum arbitrium, adulteria legibus „ puniantur, & sacrilegia permittantur? „ An fidem non servare levius est animam Deo, quam feminam viro? Aut „ si ea quæ non contemptu sed ignorantia religionis committuntur mitius vindicanda, numquid ideo negligenda „ sunt?

SYNOPSIS ARTICULI.

PRIMO: Habitus fidei duplex est, unus informis, & a charitate divulsus, alter vero charitate formatus: Prior remanet in peccatoribus, quippe qui multa bona opera motivo fidei & religionis faciant, ut audire Missam, & similia: Poste-

Posterior in solis justis reperitur, cum a charitate justi sint & nominentur.

*Secundo*: Fides non remanet in Hæreticis, non in damnatis, non in dæmonibus: Non quidem in primis, quandoquidem eatenus sunt Hæretici, quatenus non credunt: non in secundis, namque sunt in malo confirmati; hinc carent pia affectione qua fidelis movetur in mysteria, & credit in Deum: Hac ipsa ratio. ne nec in dæmonibus; & si quando in Scripturis eis tribuatur in Christum fides, non nisi conjecturalis est, eo quod, visis Christi miraculis, suspicabantur eum esse Dei Filium.

*Tertio*: Neque vero dubitandum est fidem fuisse in Angelis viatoribus & in primis parentibus; cum inter Angelos boni motu fidei & amoris se converterent ad Deum, similiter & Protoparentes ut Creatorem agnoscerent & benefactorem redamarent.

*Quarto*: Infidelitas duplex, una negativa, quum aliquis nihil de Christo audivit, nec, omni adhibita diligentia, potuit audire: Altera positiva, quando aliquis audivit & tamen voluntarie cæcutit, & non vult audire, ut Judæus. Prima infidelitas fidei negative opponitur, & dicitur fidei carentia: Secunda vero contrarie; nam & Judæus & Hæreticus, non solum fide carent, sed eam debellant.

*Quinto*: Non licitum est communicare cum Infidelibus in iis quæ religionem spectant; similiter & cum Hæreticis, quia ex frequentatione tali fides in periculum veniret ex culpa fidelis, quod citra peccatum non fieret, juxta illud adagium: *Qui amat periculum, peribit in illo*. Si vero agatur de civilibus, licitum est cum illis commercium: Excipe tamen cum Hæreticis nominatim excommunicatis, & per sententiam Judicis Ecclesiastici denuntiatis, quippe qui priventur nedum Sacramentorum usu, Ecclesiæ suffragiorum participatione, sed & ipsa Fidelium societate.

*Sexto*: Usus invaluit pœnis temporalibus afficere ad correctionem Hæreticos: Hoc ipsum patet ex jure canonico, & Imperatorum & Regum Christianorum edictis.



# DISSERTATIO SECUNDA
# DE SPE,
## QUA ECCLESIA ERIGITUR.

### *De spe nonnulla quæruntur pro more Theologorum.*



RIMO QUIDEM num sit virtus & qualis?
*Secundo*: Quodnam ejus objectum?
*Tertio*: Quodnam subjectum?
*Quarto*: Quænam ejus necessitas?

## ARTICULUS PRIMUS.

*Num spes sit virtus Theologica?*

NOMINE spei intelligitur aliquando objectum seu bonum quod speratur, juxta illud ad Titum 3. *Expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei*. Nonnunquam ille a quo illud bonum expectamus, ut habetur Psal. 30. *Tu es Domine spes mea.* Quandoque etiam & magis proprie virtus qua aliquod bonum arduum a Deo expectamus ejus innixi potentia & misericordia. De spe in hoc ultimo sensu spectata impræsentiarum agimus.

*Hæc* spes duplex distinguitur: Una scilicet informis, qualis est peccatorum spes; formata altera, & illa est quæ charitate informatur simul & elevatur. Quibus præsuppositis sit

### CONCLUSIO.

*Spes est virtus Theologica, eaque infusa.*

PROBATUR prima pars: Scilicet quod spes sit virtus, hoc ratiocinio. Quod movet hominem ad bonum arduum supernaturale juxta debitam regulam est virtus: Atqui talis est spes; illaque virtute gratiæ nos movet ad sperandam a Deo beatitudinem ejus suffulti & potentia & misericordia, quod dubio procul est juxta regulam debitam, cum istud motivum ab elatione secedat. Igitur spes est vera virtus. Sic docet S. Thomas ex professo hic 2. 2. q. 17. art. 1. his verbis: " Spes est vir-
„ tus, cum faciat actum hominis bonum
„ & debitam regulam attingentem: „

*Probatur altera pars*, nimirum spem esse virtutem Theologicam, hoc D. Thomæ ratiocinio ibid. art. 6. virtus quæ Deum immediate attingit, est Theologica: Atqui spes respicit Deum immediate ut est principium totius boni cujus possessionem expectamus: Igitur est virtus Theologica; & quidem a virtute morali distincta, cum ista nonnisi bonum creatum honestum respiciat: a fide quoque & charitate; illa quippe Deum ut verum, ista vero ut bonum possessum vel ex parte, ut charitas viæ, vel ex toto ut charitas patriæ; spes autem bonum divinum in se & ut quid futurum spectat.

*Juvat* hic verba sancti Doctoris texere: "
„ Virtus aliqua dicitur esse Theologica ex
„ hoc quod habet Deum pro objecto, cui in
„ hæret. Potest autem aliquis alicui rei inhæ-
„ rere dupliciter: uno modo propter seipsum,
„ alio modo, in quantum ex eo in aliud de-
„ venitur. Charitas ergo facit hominem Deo
„ inhærere propter seipsum, mentem homi-
„ nis uniens Deo per affectum amoris. Spes
„ autem & fides faciunt hominem inhærere
„ Deo sicut cuidam principio, ex quo ali-
„ qua nobis proveniunt. De Deo autem
„ provenit nobis & cognitio veritatis,
„ & adeptio perfectæ bonitatis. Fides er-
„ go facit hominem Deo inhærere in quan-
„ tum nobis est principium cognoscendi
„ veritatem, credimus enim ea vera esse
„ quæ nobis a Deo dicuntur. Spes autem
„ facit Deo adhærere pro ut est in nobis
„ principium perfectæ bonitatis, in quan-
„ tum scilicet per spem divino auxilio inni-
„ timur ad beatitudinem obtinendam. „

*Probatur tertia pars*: nempe quod spes sit virtus infusa. Scriptura hoc ipsum innuit Rom. 15. his verbis: *Deus autem spei repleat*

*vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in spe & virtute Spiritus Sancti*. Rursus 1. Petri 1. *Qui secundum misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam*. Concinit Concilium Trident. sess. 6. can. 3. ubi sic pronuntiat. *Si quis dixerit hominem sine Spiritus sancti gratia & ejus adjutorio, posse credere, sperare, & diligere sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit*. His & similibus sententiis spes ventilatur ut donum Dei: Igitur est virtus infusa & non acquisita, maxime quia labore non comparatur: Porro tametsi spes informis non sit virtus perfecta defectu charitatis, est tamen vera virtus in peccatore, quippe qui juxta regulam debitam speret in Deum, & ista spe erigatur, ut tandem aliquando ad justificationem perveniat. Ulterior ratio assertionis ea est, quod peccata non opponantur spei si desperationem excludas. Ergo &c.

## SYNOPSIS ARTICULI.

PRIMO: Spes est virtus, quippe quæ ad bonum inclinet & promoveat.

*Secundo*: Est virtus Theologica, quandoquidem respicit Deum immediate ut summum bonum possidendum.

*Tertio*: Est virtus infusa: Sic docet Tridentinum sess. 6. docens neminem posse sperare in Deum sicut oportet sine gratia. Et vero non acquiritur cum omnem transcendat naturæ ordinem.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De objecto spei*.

### CONCLUSIO.

*Objectum materiale spei, I. est bonum increatum: II. formale quod bonitas divina possidenda: formale sub quo, auxilium gratiæ & potentia Dei.*

PROBATUR *prima pars*. Objectum materiale illud est, circa quod aliqua virtus versatur: Atqui spes versatur circa bonum divinum & infinitum ut possidendum: Ergo &c.

*Probatur altera pars*: Nimirum bonum reduplicative ut infinitum esse objectum formale quod spei: Sic enim habetur Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*. Rursus Hebr. 11. *Fides est substantia sperandarum rerum*. Hinc Augustinus in Psal. 112. ait: " Erige spem tuam ad „ bonum bonorum omnium: ipse erit „ bonum bonorum omnium, a quo omnia in suo genere facta sunt bona. „ Suffragatur S. Thomas ex professo hic quæst. 17. art. 2. his verbis: " Spes de qua loquimur at- „ tingit Deum: innitens ejus auxilio „ ad consequendum bonum speratum. „ Oportet autem effectum esse causæ „ proportionatum; & ideo bonum quod „ proprie & principaliter a Deo sperare „ debemus, est bonum infinitum quod „ proportionatur virtuti Dei adjuvantis. „ Ratio est, quia spes tendit in Deum ut bonum omnem satians appetitum, sub qua ratione est beatitudo hominis; finis autem & motivum est principium in agibilibus: Igitur objectum formale quod, seu ratio quam spes in Deo attingit, est ratio boni reduplicative ut infiniti, non enim sub alio respectu satiat appetitum; adeoque objectum formale quod spei est bonum infinitum seu beatitudo.

*Ex* hoc sequitur visionem mysteriorum & creaturarum scientiam quam in æterna beatitudine utique speramus, esse solummodo objectum spei secundarium, sicut & gratiæ abundantiam quam in via a Deo expectamus, ut finaliter perseveremus in bono cœpto & vitæ decursu continuato, hæc enim & similia sunt solum media quibus homo movetur ad assequendam bonis operibus beatitudinem. Ratio ulterior hæc est, quod objectum principale spei illud sit, quo obtento quiescit appetitus, solo autem bono infinito possesso quiescit; hinc Augustinus passim dicit hominem fore perfecte beatum, modo Deum possideat, etiam si cætera amittat & illis privetur.

*Probatur tertia pars*. Objectum formale sub quo illud est, quo objectum formale attingitur, quod potest illustrari exemplo visus, cujus objectum formale quod est coloratum, lumen vero solare quo attingit coloratum: Sed id quo voluntas fertur in bonum æternum possidendum est gratia Dei, & ejus misericordia & potentia quibus innititur spes: Et probatur. Primum enarrat sanctus Thomas hic q. 17. art. 2.

Alterum vero & tertium ibidem q. 18. art. 4. ad 3. ubi sic habet : " Dicendum „ quod hoc , quod aliqui habentes spem „ deficiant a consecutione beatitudinis, „ contingit ex defectu liberi arbitrii po- „ nentis obstaculum peccati , non autem „ ex defectu divinæ potentiæ, vel mise- „ ricordiæ cui spes innititur . „ Ergo &c.

SYNOPSIS ARTICULI.

PRIMO: Objectum materiale spei est bonum increatum . Quia circa illud solum versatur.

*Secundo* : Objectum formale quod est bonitas increata ut possidenda . Ratio est quia cuncta per ordinem ad istam bonitatem spectat.

*Tertio* : Objectum formale sub quo est gratia , illo quippe medio solum bonitatem possidendam attingit, ut definivit sacra Synodus Tridentina.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

*De subjecto spei.*

### CONCLUSIO PRIMA.

*Subjectum spei immediatum est voluntas.*

PROBATUR ratione D. Thomæ hic q. 18. art. 1. Virtus in ea residet potentia quæ attingit suum objectum , & illud habet pro fine: Atqui bonum in tota sua latitudine est voluntatis objectum, spes vero respicit bonum infinitum ut possidendum: Igitur spes residet immediate in voluntate.

### *CONCLUSIO SECUNDA.*

Spes Theologica I. non fuit in Christo II. nec est in Beatis : III. non in damnatis : IV. non in Hæreticis : V. bene vero in fidelibus viatoribus , & in animabus in Purgatorio detentis.

*Probatur quoad singulas partes.*

PRIMO QUIDEM, non fuit in Christo , juxta illud Rom. 8. *Quod videt quis, quid sperat* . Christus autem erat quoad animam beatus ; hinc si quid speravit , non fuit beatitudo animæ , sed solum corporis, juxta illud Hebr. 8. *Proposito sibi gaudio .... sustinuit crucem confusione contempta* . Spes autem Theologica nonnisi Deum ut summum bonum in se possidendum, primario & principaliter respicit , quocirca Christus beatitudinem corporis, nominis exaltationem , & alia similia non speravit spe Theologica , sed motu quodam affectivo qui ad spem reduci potest. Ergo &c.

*Secundo*: Nec consequenter spes in Beatis reperitur propter eamdem rationem. Ita D. Thomas hic q. 18. art. 2. his verbis: " Quia ergo bonum arduum possibile „ non cadit sub ratione spei, nisi secun- „ dum quod est futurum; ideo cum bea- „ titudo jam non fuerit futura, sed præ- „ sens non potest ibi esse virtus spei. Et „ ideo spes sicut & fides evacuatur in pa- „ tria, & neutrum eorum in Beatis esse „ potest. „

*Tertio* : Spes non est in damnatis : Sic propugnat S. Thomas hic q. 18. art. 3. Et probatur . Qui pœnis æternis addicti sunt in peccatorum vindictam nullam habent spem, sin minus eorum pœnæ non forent æternæ: Atqui est de fide damnatos æternis vinculis esse constrictos : Igitur nulla eis affulget spes salutis, maxime cum in inferno nulla sit redemptio.

*Quarto*: Neque spes Theologica adjacet Hæreticis : Hæc enim ad fidem consequitur , cum ipsa fides ostendat bonum æternum & infinitum possidendum : Sed deest in Hæreticis fides . Igitur & spes Theologica. Habent tamen aliquam spem, quandoquidem gratiis sufficientibus non privantur, & possunt converti . Ista spes divino innixa auxilio & motivo reduci potest ad spem Theologicam.

*Quinto* , Spes Theologica est in justis omnibus tam viatoribus quam in Purgatorio conclusis ; cum sint in charitate ; adeoque filii; Igitur & hæredes, & spem in jure filiationis adoptivæ fundatam habent.

*Sexto* . Spes remanet in Fidelibus peccatoribus; Et probatur. I. Habent fidem. Igitur & spem . II. Peccatum mortale tametsi immediate gratiæ oppositum sit, non tamen extinguit spem . III. Injunguntur peccatori omnia mandata obser-

vanda, spes autem ad hoc requiritur, tenetur enim Christianus aliarum virtutum exercere actus, ut pœnitentiæ, contritionis, erga pauperes misericordiæ: Sed isti actus, seclusa spe, homo lapsus non potest elicere, sicut & graves superare tentationes, quæ spe veniæ propelluntur: Igitur spes remanet in peccatoribus: immo si alicui fieret suæ damnationis revelatio, in Deum tamen adhuc sperare deberet; quandiu enim homo viator est, etiamsi animam ageret, posset tamen conterere de peccatis & sperare in Deum, ut de bono legitur latrone, qui primum Christo conviciabatur, tum derepente conversus ipsum confessus est, dicens ei Luc. 23. *Memento mei, tum veneris in regnum tuum.* Sic propugnat S. Thomas qui de hac revelatione sic loquitur q. 23. de veritate art. 8. ad 2. his verbis: " Si alicui talis revelatio fieret, deberet intelligi non secundum modum prophetiæ prædestinationis, vel præscientiæ, sed per modum prophetiæ comminationis quæ intelligitur supposita conditione meritorum." Scilicet malorum.

## CONCLUSIO TERTIA.

*Spes I. secundum se habet certitudinem absolutam. II. Respectu vero nostri solum conditionatam.*

PROBATUR prima pars ex S. Thoma qui hic quæst. 18. art. 4. ex professo docet conclusionem. Primo, ista auctoritate Apost. 2. ad Timoth. 1. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare.* Audis certitudinem spei omni potentiæ Dei inniti: Igitur ex hac parte certissima est: altera ratio S. Doctoris ibidem ea est, quod eadem sit certitudo spei ac fidei, in ista quippe velut in radice fundatur: " Sic etiam, *inquit*, spes certitudinaliter tendit in suum finem, quasi participans certitudinem a fide, quæ est in vi cognoscitiva."

*Ulteriori* isto ratiocinio fundatur: Eadem est tendentia voluntatis in bonum ac intellectus, qui ad illud idem bonum sub ratione veri respicit: *Nihil enim amatum quin prætognitum*, ut fert vulgare adagium: Sed intellectus fidei lumine irradiatus tendit in Deum ut verum: Igitur & eodem modo voluntas spe instructa & accincta, ad eundem ut possidendum inclinatur.

*Probatur* altera pars, multiplici Scripturarum apparatu, videlicet spem ex parte nostri non habere certitudinem absolutam. Eccl. 9. habetur: *Omnia in futurum servantur incerta.* 1. Corinth. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Insigne est pro illo momento, illud Petri oraculum: Epist. 2. c. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

*Concinit* S. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 13. his verbis: " Quis ex multitudine fidelium quandiu in hac mortalitate vivitur in numero prædestinatorum se se præsumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio." Ibidem in toto ferme libro adhortatur ut flagellis & pœnis corripiantur inquieti & obdurati, ut ad meliorem redeant frugem.

*Ratio* suffragatur. Vita æterna ea solum conditione promittitur, ut serventur mandata, juxta illud Christi Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hinc August. in Psal. 99. egregia hæc eloquitur: " Tam certus esse debes de requie, de felicitate, de æternitate, de immortalitate, si feceris præcepta Dei, quam certus esse debes de interitu, de ardore ignis æterni, de damnatione cum diabolo, si contempseris præcepta ejus."

*Dices*: Eccles. 2. legitur: *Qui timetis Dominum credite illi, & non evacuabitur merces vestra.* Rursus Psal. 27. *In te speraverunt Patres nostri & non sunt confusi.* Igitur, inquiunt Lutherani, omnis prædestinatus de sua salute certissimus est.

*Respondeo* distinguendo antecedens: non evacuabitur merces, nec erit confusio in Deum sperantibus si adsint bona opera, concedo: ea enim supponuntur: sin minus, nego. Sacra quippe Synodus Tridentina adversus obstrepentes Lutheranos & Calvinistas definivit neminem quantumvis justum, quandiu viator est non habere physicam de sua salute certitudinem, sic loquitur sess. 6. Can. XV. *Si quis dixerit hominem renatum & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum; anathema sit.*

## SYNOPSIS ARTICULI.

*De subjecto spei.*

PRIMO: Non fuit in Christo viatore, siquidem anima ejus visione intuitiva possidebat Deum.

*Secundo*: Non est in damnatis, quippe qui ex decreto Dei pœnis afficiantur æternis.

*Tertio*: Neque in hæreticis, namque fide Theologica, quæ est spei fundamentum, carent.

*Quarto*: Est in justis & fidelibus peccatoribus: in illis quidem, cum habeant charitatem, ad quam virtutes supernaturales ut proprietates ad essentiam consequuntur; in istis vero, eo quod fidem habeant, & præceptum spei eis imponatur, ut a peccato resipiscentes ad Deum totius justitiæ fontem revertantur.

*Quinto*: Spes in se certissima est, cum fundetur in Verbo Dei promittentis mandata servantibus vitam æternam, respectu vero nostri certitudinem moralem, nemo quippe scit, an odio vel amore dignus sit, unde Apostolus, ait 1. Cor. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.*

## ARTICULUS QUINTUS.

*De timore, spei dote.*

SPES inter duo incedit extrema, nimirum desperationem & præsumptionem. Prior defectus in eo situs est, quod aliquis existimet graviora esse sua peccata quam ut veniam obtinere queat: tum ista victi passione, peccatores indiscriminatim in cuncta ruunt scelera, juxta illud impiorum apud Sap. 2. *Coronemus nos rosis ... Nemo nostram exsors sit luxuria ... Hæc est pars nostra, & hæc est sors*. Et istud Ephes. 4. *Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam: vos autem non ita didicistis Christum*. Præsumptio vero in eo posita est, quod quis credat, tametsi non sit sollicitus de mediis assumendis, habere vitam æternam.

*Verum* si opposita habeat spes, quibusdam etiam gaudet dotibus, quibus ad salutem via sternitur: inter cæteros eminet timor, qui quidem triplex distinguitur a S. Thoma hic 2. 2. quæst. 19. art. 2. alter scilicet mundanus, alter servilis: & tertius, filialis. Prior ille est, quo aliquis pœnam tantummodo temporalem abhorret, & a peccato abstinet, vel quia punitionem comminatam vult fugere, vel etiam ex eo quod peccatum quoddam vitandum afferat dedecus; nemo quippe sic perditus est, ut velit aut immundus, aut fur haberi. Servilis ille censetur, quo de facto peccator adhæret Deo imminentibus pœnis perterritus: filialis vero, quo eidem adhæret homo, non propter peccati pœnam, sed præcise propter culpam quæ Deum optimum offendit: quandoque autem timor est partim servilis, partim etiam filialis, & hic ex S. Thoma ibidem initialis vocatur.

*Timorem* mundanum esse malum docet sanctus Doctor ibidem art. 3. quia, inquit, a mala radice procedit, ex amore scilicet bonorum temporalium in quibus quiescit peccator, omni secluta ad Deum relatione: tertium esse optimum iterum atque iterum prædicat, cum in amore benevolentiæ fundetur: de solo igitur servili movetur controversia. Asserunt Lutherani illum homines magis peccatores efficere. Contra quos sit

## CONCLUSIO.

*Timor, quo aliquis ad Deum se convertit metu pœnæ, est salutaris.*

Probatur multis momentis.

*Probatio, ex Scriptura sacra.*

ILLE timor est salutaris, qui expellit peccatum, qui advocat Spiritum salutis, qui est initium sapientiæ, quique ab ipso Christo præcipitur: Atqui talis est timor servilis. Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes.

*Primo quidem*, timor ille expellit peccatum, juxta illud Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum*. Hinc ibidem habetur: *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur*. Secundo, dat salutis spiritum, sic enim habetur. Isaiæ 26. *Concepimus, & quasi parturivimus, & pe-*

*& peperimus Spiritum*. 70. legunt : *Timore tuo, Domine, concepimus, & peperimus spiritum salutis*. Tertio, non in uno Scripturæ loco timor initium sapientiæ dicitur, sic Psal. 110. *Initium sapientiæ timor Domini*. Tum Eccl. 1. *Timor Domini scientiæ religiositas, radix sapientiæ est timere Dominum*. Demum Christus Matth. 10. ait : *Timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam*.

*Probatio, ex traditione.*

S. CYPRIANUS lib. de lapsis sermonem de castigationibus a Deo inflictis instituens, ait : " Prænuntiata sunt ista „ nobis, & ante prædicta : sed nos datæ „ legis & observationis immemores, id egimus per nostra peccata, ut dum Domini mandata contempsimus, ad correctionem delicti & probationem fidei remediis severioribus veniremus. „

*Tum* Tertullianus l. 1. de cultu fœminco cap. 2. " Timor fundamentum salutis „ est. „ Accedit Basilius homil. in Psalm. 32. " Jam, *ait*, quando timor Domini „ initium est sapientiæ qui terrena sapiunt, „ per timorem erudiuntur ; timor enim „ quasi quidam introductorius necessario ad „ pietatem condiscendam assumitur. „ Ejusdem est labii Hieronymus epist. ad Fabiolam, his verbis : " Jungit timorem Psalmista, qui custos est beatitudinis, & infert ; virga tua & baculus „ tuus ipsa me consolata sunt : & est sensus dum tormenta formido, servavi gratiam quam acceperam. „

*Subscribit* S. Augustinus Tract. 8. in epist. 1. Joan. ubi sic loquitur : " Cœpit aliquis credere diem judicii, si cœpit credere, cœpit & timere : timendo corrigit se, vigilat adversus hostes suos, „ idest, peccata sua : incipit reviviscere „ interius &c. „ Mitto cæteros Patres, qui passim idem docent.

*Probatio, ex Concilio Tridentino.*

SACRA Synodus session. 14. cap. 4. Pronuntiat adversus Protestantes, attritionem ex metu gehennæ conceptam esse Dei donum : " Illam vero contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, „ quoniam vel ex turpitudinis peccati „ consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si „ voluntatem peccandi excludat, cum spe „ veniæ, declarat non solum non facere „ hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse & „ Spiritus sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed & moventis, „ quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.

*Expressius* ibidem sess. 6. Can. 8. *Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse aut peccatores pejores facere ; anathema sit.*

*Probatio, ex variis rationibus.*

PRIMA : Nomine timoris servilis intelligimus eum quo homo reus motivo gehennæ a peccato secedit, & Deo inhæret ut ultimo fini, hæc est enim servorum indoles & consuetudo ut Dominis famulentur proprii commodi motivo, quod licitum est : sed hujusmodi timor bonus est & a Spiritu sancto, quandoquidem ex sanctis Patribus deterret hominem a peccando : ex sancto Thoma hic art. 2. eo ductus peccator adhæret Deo qui quidem diligitur, *inquit*, tanquam finis ultimus propter pœnam quæ beatitudini adversatur. Ergo &c.

*Secunda* : Sinit Deus hominem ipsi sibi servire mercedis motivo, juxta illud Matth. 6. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Et istud Psal. 118. *Inclinavit cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*. Igitur & pœnæ motivo tametsi mercenario homo Deo inhærere potest, cum in utroque actu proprii commodi adsit motivum.

*Tertia* : Comminationes, correptiones & flagellationes non semel commendantur in sacris Scripturis, ut homines a peccatis deterriti supremo adhæreant bono ; quinimmo hoc ipsum expostulat Propheta Regius, his verbis ibidem : *Confige timore tuo carnes meas, à Judiciis enim tuis timui*. Igitur timor servilis salutaris est & a Spiritu sancto, cum nullus, seclusa ejus gratia & a peccato secedere, & Deo adhærere queat : utrumque autem

operatur timor servilis ut ex probationibus liquet. Igitur est bonus, & Spiritus sancti donum.

*Fit satis objectionibus.*

OBJICIES: Ille timor non est salutaris, cujus usus malus est: Atqui usus timoris servilis malus est. Et probatur. Glossa super Rom. 1. ait: " Qui timore aliquid facit, etsi bonum sit quod facit, non tamen bene facit. " Ita ex August. Enchiridio cap. 121. deducitur. Ergo &c.

*Respondet* Sanctus Thomas hic quæst. 19. art. 4. ad 1. " Verbum illud Augustini intelligendum est de eo, qui facit aliquid timore servili, in quantum est servilis, ut scilicet non amet justitiam, sed solum pœnam timeat. "

*Instabis*: Atqui omnis timor servilis malus est. Ergo &c. Probatur subsumptum. Ille timor malus est quo pœna magis ad pœnitendum movet quam culpa: sed horror & displicentia: sed qui timore servili agitur, magis timet pœnam quam Deum placare intendat. Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad probationem, distinguo: si agens hanc instituat comparationem, ut foret paratus peccare nisi Deus pęnam comminaretur, concedo: si ab ea abstrahat comparatione, nego. Porro peccator gehennæ metu concussus ad Deum convertitur ita se gerens. A pęna vitanda primum quidem fit motus, tum recedit a peccato ut Deo adhæreat: sed non gradum sistit in mera pęnæ apprehensione & timore.

*Replicabis*: Tutor mundanus abjicitur ut prophanus: Igitur & abjiciendus servilis. Probatur antecedens. Uterque est motivum & principium in agibilibus respectu peccatoris. Igitur si prior est malus, eadem ratione erit & posterior.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem, nego paritatem. Ratio discriminis est quod mundanus sistat in pęna & non adhæreat Deo, e contra vero alter, ultra quippe progreditur peccator qui eo movetur scopo ut ad Deum se convertat.

*Instabis*: Timor servilis incompossibilis est cum charitate, juxta illud 1. Joan. 4. *Timor non est in charitate*. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo antecedens, timor filialis incompossibilis est cum charitate, nego. Servilis, subdistinguo: cum charitate perfecta, concedo: imperfecta & initiali, qualis est charitas qua aliquis diligit Deum propter se, & juxta Tridentinum ut totius justitiæ fontem, nego. Namque Psal. 110. Scriptum est: *Initium sapientiæ timor Domini*. S. Thomas hic quæst. 19. art. 6. nostram astruit solutionem, his verbis de timore pęnæ: " Dicendum, quod timor servilis ex amore sui causatur: quia est timor pęnæ qui est detrimentum proprii boni: unde hoc modo timor pęnæ potest stare cum charitate, sicut & amor sui, ejusdem enim rationis est, quod homo cupiat bonum suum, & quod timeat eo privari &c. " Et sic ex S. Thoma solus timor mundanus charitati opponitur, nusquam vero servilis, quippe qui charitati imperfectæ annexus præparet etiam ad perfectum Dei amorem.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Timor pœnæ quo aliquis ad Deum se convertit est salutaris.*

PRIMO: Sic legitur Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum*. Vel ipse Christus Matth. 10. illum præcipit, dicens: *Timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam*.

*Secundo*: Sic docent Patres, Cyprianus lib. de lapsis, Basilius homil. in Psal. 32. in primis Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4.

*Tertio*: ratio suffragatur: Qui hoc timore concutitur, non sistit in pęna, sed a peccando deterritus convertitur ad Deum. Ergo &c.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Nonumquam Patres abjiciunt timorem servilem ut malum, sed loquuntur de timore serviliter servili & mundano.

*Secundo*: Timor pęnæ non habens relationem ad Deum est malus, secus vero, qui dicitur timor Domini, adeoque & initium sapientiæ.

DIS-

# DISSERTATIO TERTIA
## DE CHARITATE.

*Quatuor movemus quæstiones de illa mirabili virtute, quærendo.*



RIMO: Quid fit? *Secundo*: Quodnam ejus objectum? *Tertio*: Quænam ejus proprietates? *Quarto*: Num status amoris puri erga Deum fit in vita præsenti admittendus.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De natura Charitatis.*

CHARITAS in genere sumitur pro quocumque amore honesto, & in hoc sensu amicitia inter parentes & benevolos charitas nuncupatur: quandoque etiam pro amore quo Deus diligit homines, juxta illud Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos Deus &c.* Qui quidem amor amicitiæ nomine inter Deum & homines celebratur, juxta illud Jacobi 2. *Abraham amicus Dei effectus est.* Subscribit S. Augustinus lib. 8. Confess. cap. 6. Hoc ipsum patet ex quatuor conditionibus quæ ibi reperiuntur, quarum prima est, ut sit amor benevolentiæ: altera ut sit amor mutuus & notus: tertia, ut fundetur in aliqua communicatione, qua reddantur amantes aliquo modo similes: quarta, ut bonorum communicationem importet. Porro justus diligit Deum amore benevolentiæ, videlicet propter ejus solam bonitatem, Deus vero amat hominem se se complacendo in ejus bono & salute. Secundo amor quoque est mutuus, juxta illud Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Et istud Joan. 4. *Qui diligit me diligetur a Patre meo, & ego diligam eum.* Tertio, est utique bonorum communicatio qua amantes redduntur aliquo modo similes, Deus enim fecit hominem ad imaginem suam, dicente S. Petro 2. epist. 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Nec deest secretorum communicatio, habetur enim Num. 12. in gratiam Moysis: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini loquar ei in somnis & figuris, non sic servus meus Moyses, os enim ad os ejus loquor.* Quæ verba explanans S. Hieronymus in cap. 7. Micheæ, ait: " Si vis " vera amicitia delectari, esse amicus Dei " sicut Moyses qui loquebatur Deo quasi " amicus ad amicum. "

*S. Thomas*, hic quæst. 23. art. 1. ex professo hoc docet illo Christi oraculo Joan. 15. *Jam non dicam vos servos .... Vos autem dixi amicos.* Ulterior ejus ratio est, quod sit amor benevolentiæ erga Deum & hominem: deinde vero concludit non dari amorem amicitiæ inter hominem & brutum, quia non diligimus belluas propter semetipsas, sed propter nos, quatenus sunt nobis utiles, qui quidem, inquit, amor concupiscentiæ nuncupatur.

*Neque* prætereundum est charitatem dividi in amorem viæ & amorem patriæ: prior fide, alter vero visione suum attingit objectum, quod cum sit pro utroque idem, duplex ille amor nonnisi accidentaliter distinguitur, hinc Apost. 1. Cor. 13. ait: *Charitas numquam excidit.*

*Rursus*: Amor benevolentiæ erga Deum alter est appretiativus, alter vero meræ complacentiæ: vi prioris plus diligimus Deum quam nos & omnes simul creaturas; per alterum vero complacemus in Dei bono, quod ex totis præcordiis volumus. His præsupositis sit

CON-

### CONCLUSIO.

*Charitas I. Est quid creatum II. Virtus infusa. III. Theologica, qua Deum ut summum bonum in se & propter se diligimus.*

PROBATUR prima pars contra Magistrum Sententiarum, namque Rom. 5. habetur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Sed quod infunditur a Spiritu sancto ut ejus donum, non est ipse Spiritus sanctus: ergo charitas est quid creatum. Sic verba Apostoli explicant Concilium Arausicanum II. sic Tridentinum, sic S. Augustinus, sic S. Bernardus, sic S. Thomas. Arausicanum Can. 25. ita loquitur: " Prorsus donum Dei est diligere Deum: „ ipse ut diligeretur dedit, „ Trid. sess. 6. Can. 11. *Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur: atque illis inhæreat .... anathema sit.* August. lib. de Spirit. & litt. cap. 32. num. 56. " Charitas quippe „ Dei dicta est diffundi in cordibus no- „ stris, non qua nos ipse diligit, sed qua „ nos facit dilectores suos, sicut justitia „ Dei qua justi ejus munere efficimur. „ Rursus Tract. 6. in 1. Joan. " Charitas „ per Spiritum sanctum facta est. „ D. Bernardus epist. 11. ait: " Charitas re- „ cte dicitur Deus, & Dei donum: dat „ itaque charitas charitatem; substantiva „ accidentalem. „ Doctor Angelicus hic quæst. 23 art. 2. ex professo docet charitatem esse quid creatum, quia, inquit, ex Augustino est motus animi ad fruendum Deo; omnis autem motus est quid creatum.

*Probatur* secunda pars: charitas dicitur Theologica, quia Deum habet pro immediato objecto, in quo quidem constituitur in ratione virtutis Theologicæ, & differt a ceteris virtutibus moralibus.

*Probatur* tertia pars, videlicet, quod charitate Deum ut summum bonum propter se diligamus; quæ quidem verba habent locum differentiæ & formaliter specificant charitatem in ordine ad spem, quæ est etiam virtus Theologica; spes enim Deum considerat prout est summum bonum & nostra beatitudo; charitas autem Deum respicit prout in se perfectum & amabilem.

*Dices*: Ipse Spiritus sanctus est charitas, juxta illud 1. Joan. 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.* Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo antecedens: Spiritus sanctus est charitas causaliter, concedo: omne quippe donum desursum est descendens a patre luminum, Inquit Sanctus Jacobus; formaliter, nego. Implicat enim donum & donatorem idem esse.

### SYNOPSIS ARTICULI.

CHARITAS I. Est virtus II. Theologica. III. Infusa. Primum patet, quia inclinat hominem ad Deum ut ultimum finem. Secundum utique, cum immediate Deum ut summum bonum respiciat. Tertium etiam, nam ex Scriptura diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

*Quodnam sit subjectum & objectum charitatis.*

PRIMO subjectum immediatum charitatis est voluntas. Sic docet S. Thomas hic q. 24. art. 1. quia, inquit, charitatis objectum est bonum, bonum autem est voluntatis utique objectum. Art. 2. subdit charitatem infundi in nobis, ea quippe nobis donatur vita æterna, quæ non nisi donis Dei comparatur; donum autem excedit innatam virrutem voluntatis: Igitur non acquiritur, sed gratuito datur juxta illud Rom. 5. *Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Concinit Concilium Trident. sess. 6. can. 11. dicens Spiritum sanctum diffundi per charitatem, quæ est in cordibus nostris: sic enim locum Apostoli interpretatur.

*Secundo*: Objectum charitatis materiale est Deus ipse & proximus, cum circa ea exerceatur charitas: formale vero est bonitas divina in tota sua latitudine sum-

sumpta: & non ut est simplex Dei attributum; namque ratio formalis qua charitas in Deum tendit, est summum bonum in omni genere & linea, videlicet Deus ut ens plenum & perfectissimum.

*Jam* vero quodnam sit amabilitatis objectum? Dicimus cum sancto Thoma qui hic q. 25. art. 1. Deum esse primarium charitatis objectum, utpote summum bonum & totius boni fontem & originem; subdit vero proximum esse secundarium, juxta illud Joan. 4. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Ratio est, quia non solum relucet bonitas in proximo, sed inter nos & ipsum est amor amicitiæ, cum sit communicatio bonorum, & ad eumdem tendamus finem. Art. 5. propugnat vel ipsum nostrum corpus esse ex charitate amandum, non quatenus corruptibile & concupiscentia plenum est, sed ut eo utimur ad famulandum Deo optimo, Apostolo dicente, Rom. 6. *Exhibete membra vestra arma justitiæ Dei.* Art. 6. Ait peccatores esse diligendos non reduplicative, ut mali sunt, sed ut participant gratiam & ad eumdem sicut nos tendunt finem. Art. 8. probat, vel ipsos inimicos diligendos esse propter eamdem rationem, maxime vero propter Christi præceptum Matth. 6. *Diligite inimicos vestros.* Art. 10. sanctos Angelos ex charitate ferventi super proximum amandos esse demonstrat, non solum quia bonitas divina in iis supra modum coruscat, verum etiam ex eo quod sint Patres nostri spirituales & directores a quibus innumerabilia & perpetua recipimus beneficia: hinc Scriptura de sancto Angelo custode potissimum, ait: Exod. 23. *Nec contemnendum putes.*

*Ordinem* diligendorum sanctus Doctor texit hic quæst. 26. art. 2. asserit Deum diligendum esse super omnia, videlicet totaliter totalitate objecti, quia est in se totum bonum. Deinde vero totalitate fortitudinis, ita ut omnia nostra cedant sine fine in ejus dilectionem, quandoquidem eum satis amare haud valemus, ut docet sanctus Doctor q. seq. art. 5. quippequi sit infinite amabilis: hinc sanctus Bernardus ait, modum diligendi Deum esse sine modo art. 4. scilicet q. 26. subdit post Deum hominem debere seipsum amare, sed non secundum defectus, tametsi enim, inquit, non sit amicitia ad nosmetipsos, est tamen ipsa communicatione aliquid majus, scilicet unitas identitatis bonorum. Art. 5. ait proximum magis a nobis esse amandum amore charitatis, de quo loquimur, quam nostrum corpus; namque corpus est quid mere materiale, proximus vero habet animam qua perfrui potest: " Consociatio autem, *inquit*, in plena participatione beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum, est major ratio diligendi quam participatio beatitudinis per redundantiam; quæ est ratio diligendi proprium corpus. " Rursus idem sanctus Doctor art. 6. propugnat amicos magis esse diligendos quam proximum art. 7. parentes plusquam amicos: art. 9. & sequentibus, Patrem plusquam Filium & Matrem, ratio omnium est, quia præter rationes diligendi proximum communes, homo speciales habet pro amicis diligendis: specialiores pro parentibus amandis; specialissimas pro Patre amore prosequendo; non enim filius ita homini conjungitur, sicut Pater & Mater, nec Mater etiam sicut Pater, eo quod, ait art. 10. Pater sit magis principium esse quam Mater. Art. 11. concedit quidem D. Thomas uxorem unum esse cum homine, sed ratione carnalis conjunctionis, hinc secundum rationem boni, magis diligendus est Pater quam Mater.

## SYNOPSIS ARTICULI.

PRIMO: Subjectum immediatum charitatis est voluntas, quia ex D. Thoma hic q. 24. art. 1. id muneris voluntati tribuitur, ut amet.

*Secundo:* Objectum charitatis materiale est Deus, tum & proximus, cum ad proximum se extendat, & terminetur ad Deum: formale quod est Deus reduplicative ut bonus; ratio enim quam charitas respicit, est bonitas quæ est amabilitatis motivum: formale sub quo, est gratia dulcedinis & suavitatis; hac enim voluntas excitatur, ut Deo summo bono conjungatur,

AR-

## *ARTICULUS TERTIUS.*

De proprietatibus charitatis.

*In variis quæstionibus de his momentis discurrit sanctus Thomas.*

PRIMO : Ex eo q. 23. art. 3. charitas est virtus & quidem specialis, immo & excellentissima; addo cæterarum forma. Virtus quidem, quatenus est principium omnium bonorum actuum, juxta & regulam rationis, quod habet commune cum virtutibus moralibus : & juxta regulam divinam ; quatenus nos Deo conjungit. Item & specialis, ut ibidem docet S. Doctor art. 4. sic enim habetur 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas; tria hæc, major autem est charitas.* Ratio est, quia habet summum bonum pro jecto : & ideo excellentissima, ut eo loci docet S. Doctor art. 6. quippe quæ nos intime Deo conjungat, ut faciat nos suæ bonitatis diffusione beatos. Sequitur seclusa charitate, nullam esse veram virtutem, ut propugnat S. Doctor art. 7. sola quippe nos immediate Deo conjungit : hinc cæterarum virtutum forma nuncupatur : ut probat art. 8. namque omnibus imperat, easque virtute sua ita elevat ad Deum & dignificat, ut potus aquæ frigidæ, ipso testante Christo, vitam æternam promereatur. Altera ratio ea est quod motivum charitatis sit principium & finis in agibilibus : Dicendum, *ait S. Thomas*, quod in moralibus actus attenditur principaliter ex parte finis, cujus ratio est, quia principium moralium actuum est voluntas, cujus objectum, & quasi forma est finis. „

*Secundo* : Quandoque charitas augetur, quandoque minuitur, quandoque etiam totaliter deperditur : augetur quidem, ut docet S. Thomas hic q. 24. art. 4. 5. & 6. juxta illud Aug. tract. 5. in Joan. *Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici.* Cujus rei argumentum est, quod habitus augeatur juxta mensuram actus seu bonatus potentiæ in objectum : Sed ille actus suscipit gradum : Igitur & augmentum : si vero remittatur ; propter eamdem rationem & charitas minuitur. Art. 11. S. Thomas contendit charitatem totaliter deperdi per peccatum mortale, si quidem ei immediate opponitur, cum per amorem mundanum homo ultimum finem in bono creato reponat.

*Tertio* : Charitas in hac vita potest esse perfecta. Sic propugnat S. Doctor ibidem art. 8. his verbis : " Quod quidem, „ *ait*, contingit tripliciter, uno modo sic „ quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum, & hæc est perfectio charitatis Patriæ quæ non est „ possibilis in hac vita, in qua impossibile est propter humanæ vitæ infirmitatem semper actu cogitare de Deo, „ & moveri dilectione ad ipsum. Alio „ modo, ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo & rebus divinis, prætermissis aliis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit. Et ista „ est perfectio charitatis quæ est possibilis in via, non tamen est communis „ omnibus habentibus charitatem. Tertio „ modo ita quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet, quod nihil cogitet, vel velit quod „ divinæ dilectioni in contrarium, & hæc „ perfectio est communis omnibus charitatem habentibus. „

*Quarto* : Ibidem art. 9. distinguit Angelicus Doctor triplicem charitatis gradum, scilicet incipientium, proficientium & perfectorum : " Nam primo quidem, „ *inquit*, incumbit homini studium principale ad recedendum a peccato & resistendum concupiscentiis ejus, quæ in „ contrarium charitatis movent. Et hoc „ pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutrienda, vel solvenda ne corrumpatur. Secundum autem studium „ succedit, ut homo principaliter intendat ad hoc, quod in bono proficiat. Et „ hoc studium pertinet ad proficientes qui „ ad hoc principaliter intendunt, ut in „ eis charitas per augmentum roboretur. „ Tertium autem studium est, ut homo „ ad hoc principaliter intendat, ut Deo „ inhæreat, & eo fruatur, & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi & „ esse cum Christo. Sicut etiam videmus „ in motu corporali, quod primum est recessus a termino, Secundum autem est „ appropinquatio ad alium terminum. „ Tertium est quies in termino.

SY-

SYNOPSIS ARTICULI.

PRIMO: Charitas est omnium virtutum maxima, tum quia ad Deum, ut summum bonum semper inhiat, tum quia illum propter se diligit, tum etiam ex eo quod numquam excidat.

*Secundo*: Charitas modo augetur, modo etiam minuitur; ejus quippe actus est affectio, quæ juxta diversam bonitatem apprehensum augetur, & quandoque etiam minuitur.

---

## ARTICULUS QUARTUS.

*Utrum in hac vita detur status amoris puri?*

NOMINE amoris puri intelligitur amor quo Deus mere diligitur propter se, seclusa relatione, & ad timorem pœnæ vitandæ, & ad præmium æternæ beatitudinis assequendum. Hujusmodi dari amorem transitorium ultro fatentur Theologi, & ex recentioribus Lherminier tract. de charitate pag. 600. Sed habitualem per modum status ita ut tota vita interior in eo sita sit, admittere nefas est; hæc enim fuit sententia Molinos Presbyteri Hispani damnata ab Innocentio XI. sub nomine Quietismi contra quem scribimus. Unde sit

### CONCLUSIO.

*Non datur in hac vita status habitualis amoris puri.*

Probatur multis argumentis.

*Primum, ex Scriptura sacra depromitur.*

ILLUD systema abjiciendum est quod sacræ opponitur Scripturæ: Atqui res sic se habet. Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

*Sacra* Scriptura præcipit. I. Bonis vacare operibus. 2. Petri 1. his verbis: *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vocationem & electionem faciatis, &c.*

*Secundo*: Ut mandata servemus. 1. Jo. 5. his verbis: *Hæc est charitas Dei ut mandata ejus custodiamus.*

*Tertio*: Ut Christi vestigiis inhærentes, mortificationem ejus, tum in anima, tum in corpore perferamus, juxta illud Petri 1. *Communicantes Christi passionibus*. Et illud Coloss. 1. Pauli: *Adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea.*

*Quarto*: Ut in Deum speremus: sic enim habetur Psal. 1. *Domus Aaron speravit in Domino, adjutor eorum & protector eorum est.* Et illud ad Tit. 2. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie & juste, & pie vivamus in hoc sæculo expectantes beatam spem.*

*Quinto*: Ut præmio concitati ad vitam capessendam elaboremus: sic enim, vel ipse loquitur Christus Matt. 6. *Beati pauperes spiritu .... cum maledixerint vobis homines .... quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Insigne est de hoc momento Concilii Trid. effatum sess. 6. cap. 11. Tum cap. 16. hæc habet: " Nolite amittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationem atque ideo bene operantibus usque in fidem & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. " Sed Molinos novi systematis auctor erronee propugnat virum in statu puri amoris constitutum non debere curare virtutes adeoque & mandatorum exercitium laboriosum, sese in mortificatione exercere, & nusquam premii motivo agendum esse. Igitur ejus vitæ spiritualis systema sacræ adversatur Scripturæ.

## SECUNDUM ARGUMENTUM.

*Ex Theologis desumptum.*

IN isto recentiori systemate longe propellitur amor quo quis intuitu præmii in Deum tendit, & est veluti a charitate alienus: Sed hoc falsissimum est: Igitur ruit Novatoris fundamentum. Probatur minor multiplici auctoritate.

*Primo*, Ex Richardo a S. Victore qui parte 2. in Cantica Canticorum cap. 38. sic loquitur: " Hæc est charitas, delectatio scilicet Dei, dilectio summi boni, " Concinit Hugo a S. Victore lib. 2. de

2. de anima cap. 30. maxime vero lib. 4. cap. 9. his verbis: " Anima amans fertur votis, trahitur desideriis .... ut Deo fruatur ad jucunditatem. Audis animam in Deum tendere quia est summum bonum, cum ad jucunditatem, ut est beatificans, diligere, & istum amorem a charitate promanare. Ergo &c.

*Secundo*: Præclarum est quod passim docet de hoc momento S. Thomas 1. 2. q. 65. art. 5. ait charitatem non posse esse sine spe beatitudinis, quem tamen amorem eliminat Molinos a vita perfecta spirituali, ut amorem imperfectum, & juxta novatorem interessatum, seu mercenarium 2. 2. q. 23. art. 1. probat charitatem esse amicitiam inter Deum & homines, quia per charitatem nobis communicantur bona Dei & in illa quæstione, ex professo probat amorem quo in Deum tendimus, ut remuneratorem ad charitatem pertinere: idem confirmat q. 25. & 26. Ergo &c.

*Tertio*: Ejusdem est labii S. Bonaventura cum cæteris Theologis: ille in 3. dist. 27. q. 2. art. 2. concedit quidem amorem motivo pœnæ esse mercenarium, sed non amorem beatitudinis, istum amorem ad charitatem spectare asserit, quippequi sit amicitiæ amor: sic etiam docet Suarez tract. 3. de fide, spe & charitate, disput. 1. sect. 2. num. 3. ad 2. sic Gregorius de Valentia q. 1. de charitate puncto 1. §. 1. Ergo &c.

## TERTIUM ARGUMENTUM.

*Ex absurdis deducitur.*

QUOD multos precontinet nævos abjici debet: Atqui doctrina Molinos multos complectitur errores: Ergo &c. Probatur minor ab enumeratione partium. Hanc fuso calamo adimplevimus provinciam in lib. juris publici facto Idiomate Gallico an. 1696. Edit. Rothomag. sed iterum breviori stilo hoc ipsum demonstrare juvat.

*Prima* Propositio Molinos damnata hæc est: *Annihilandæ & prorsus destruendæ sunt potentiæ animæ: & hoc est vita interior*. Quod quidem opponitur sententiæ Christi Matth. 25. qua servum otiosum & inutilem in tenebras exteriores conjici jubet.

Secunda: *Velle active operari, est offendere Deum, qui se solo vult cuncta operari*. Et hoc proscriptum est a Tridentino sess. 6. cap. 11. Tum can. 4. ubi proscribuntur Lutherani contendentes liberum arbitrium mere passive se habere; & a Concilio secundo Arausicano can. 9. his verbis: *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur*.

Tertia: *Vota emissa ad aliquid faciendum sunt perfectioni impedimenta*: Sed contra Psal. 70. habetur: *Vovete & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera*. Namque ex sancto Fulgentio lib. de similitudinibus cap. 88. & ex sancto Thoma 2. 2. q. 88. art. 4. 5. 6. actio ex voto facta nobilior est & eminentior quacumque altera, eo quod per votum anima non solum fructus, scilicet opera bona, sed & arborem, hoc est, se ipsam in odorem suavitatis Deo offerat & consecret.

Quarta: *Activitas naturalis est inimica gratiæ, & sicut Dei operationem, sic & veram perfectionem præpedit, quia Deus vult solus sine nobis agere*. Art. 1. Cor. 15. ait Apostolus: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*.

Quinta: *Vita interior ea est, in qua nec lumen, nec amor, nec resignatio dignoscitur; neque vero necesse est Deum cognoscere, sicque cuncta geruntur*. Sed Christus Joan. 17. ait: *Pater manifestavi nomen tuum hominibus*. Et Threnorum 9. Propheta dicit: *De excelso misit ignem in ossibus meis & erudivit me*. De hoc momento legendus est S. Dionysius lib. de Theologia Mystica.

Sexta: *Anima non debet cogitare, aut de præmio, aut de supplicio*. Cur ergo Propheta Regius dicit Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim timui*. Tum Christus Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*.

Septima: *Anima non debet recordari sui, Dei & cujuscumque rei, & in via interiori omnis reflexio nocet*. Sed contra, illo Genes. 17. Dei alloquentis Abraham: *Ambula coram me, esto perfectus* &c.

*Mitto* alias dictu abhorrendas propositiones, quibus vel ipsam fornicationem & alia obscœna a peccato excusat, modo homo actu de Deo cogitet, quæ & similia tot consentiente Ecclesia, ab Innocentio XI. damnata sunt: Ergo &c.

FIT

## FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

Objicies: Inter perfectissimos annumeratur Moyses in veteri lege, tum & S. Paulus in nova: Sed uterque eo charitatis gradu proximum dilexerunt, ut pro illo anathema esse parati essent. Igitur amor purus quo aliquis tantum habet per modum habitus erga Deum amorem, ut neque de præmio, neque de supplicio cogitet, nedum licitus, sed optimus est. Probatur minor. Exodi 32. Moyses Dominum sic alloquitur: *Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos, aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*. Tum Apostolus ait Rom. 9. *Optabant enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis*. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo minorem: Moyses & Paulus consensere anathema esse pro fratribus, hoc est, subire mortem temporalem, ut illis peccatorum venia concederetur, concedo: Pœnam æternam, & Dei privationem, nego. Hoc enim spei Theologicæ adversatur quam tentare nusquam ausi sunt viri tam sancti. Solutio est S. Hieronymi epist. ad Algasiam cap. 9. ubi primum de Moyse sic habet: „ Si consideremus Moysis vocem rogantis Deum pro populo Judæorum, atque „ dicentis; si dimittis eis peccatum suum, „ dimitte; si autem non vis, dele me de „ libro tuo quem scripsisti, perspiciemus „ eundem & Moysis & Pauli erga creditum sibi gregem affectum. „ Audis eodem modo de utroque loqui, tum subdit: „ Cerne Apostolum quantæ charitatis in Christum sit, ut pro illo cupiat mori & solus perire, dummodo „ omne in illum credat hominum genus: „ Perire autem non in perpetuum, sed impræsentiarum, qui enim perdiderit animam suam pro Christo, salvam eam facit. Vult ergo Apostolus perire in carne, ut alii salventur in Spiritu; suum sanguinem fundere, ut multorum animæ conserventur. Quod autem anathema interdum occisionem sonet, in multis veteris testamenti testimoniis probari potest. Eodem modo scripturam laudatam interpretantur idem Hieronymus in cap. 14. Zachariæ, Gregorius Nazianz. oratione 1. pag. 24. Cassianus collatione 9. cap. 18. S. August. q. 147. in Exodum, & sermone 88. de verbis Evangelii num. 24. quid plura adjiciam? Juxta Theologorum placita & Moyses & Paulus locuti sunt per figuram hyperbaton, ut summum erga suum populum demonstrarent amorem, quod potest illuminari exemplo Davidis, qui Psal. 115. mente ad divina raptus & infinitam Dei demirans sanctitatem, ait: *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax*.

*Instabis*: Atqui citra spei dispendium aliquis potest suum erga Deum prodere amorem, ut vel ipsam gloriæ privationem exoptet, sic expostulavit Paulus: Ergo &c. Probatur subsumptum ex S. Chrysostomo qui homil. in epist. ad Rom. de Apostolo sic loquitur: " „ Ille quidem ob Christi amorem, vel „ in Gehennam decidere libens admittit, „ paratusque est vel a cœlorum regno „ excidere, si utrumque hoc proponatur. „ Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad probationem distinguo: ex S. Chrys. Paulus hypothetice, & supposito quod hoc esset possibile citra Dei offensam sic locutus est, concedo: absolute, nego. Sed & dato quod S. Doctor in ea fuisset sententia, prævalent alii Patres. Verum loquitur in primo sensu: namque homil. sequenti ad initium, laudatis istis Apostoli verbis: *Optarem enim ego ipse anathema esse a Christo*, ait, Quid agis o Paule! ... Num desiderium illud excussisti, ac deposuisti? Haudquaquam, inquit, ne verearc, nam & illud intendi magis.

*Insistes*: Idem S. Doctor homil. 76. in Ioann. „ ait amorem in Deum propter retributionem esse imperfectum: " Quod si „ quis, *inquit*, imbecillior sit, etiam in „ premium spectet. „ Prius dixerat hominem perfectum propter Deum solum operari, concinit Ambrosius, lib. 2. de Abraham cap. 8. nu. 47. his verbis: Propositum „ piæ mentis mercedem non expetit. „ Idem dicit S. Augustinus in Psal. 55. " „ Non est castum cor. *ait*, si Deum ad „ mercedem colit. „ Tum S. Leo serm. 90. " Diligenti Deum sufficit ei placere „ quem diligit; quia nulla major expetenda „ est

„ est remuneratio, quam ipsa dilectio. „ Suffragatur S. Bernardus serm. 83. in „ Cantica: " Amant filii, sed de hereditate cogitant, suspectus est mihi „ amor cui aliud quid adipisci spes suffragari videtur .. „ Purus amor mercenarius non est. „

*Confirmatur:* Duplex a sancto Thoma 2. 2. q. 1. & sequentibus distinguitur amor Dei, alter scilicet concupiscentiæ, quo Deus diligitur propter præmium, alter vero benevolentiæ, quo propter se amatur. Prior est imperfectus & charitati affinis: Sed datur status amoris benevolentiæ. Igitur & amoris puri; nullus quippe cordatus, nisi in scientia Patrum se probaverit hospitem, dicet, amorem concupiscentiæ & benevolentiæ in idem coincidere.

*Respondeo* I. distinguendo, & hæc omnia unum probant, videlicet amorem benevolentiæ amori concupiscentiæ præpollere, concedo: dari amorem purum, subdistinguo, hoc est, perfectum & benevolentiæ, concedo: non enim hunc eminentem negamus dari: amorem purum, ita ut habitualiter per modum status & absolute aliquis diligat Deum etiam Dei possessioni abrenuntiando, nego. Nec enim vel ipsum huiusce amoris vestigium in Scriptura, tum in Patribus reperies, cum spei virtuti Theologicæ adversetur.

*Respondeo* II. a conglobatis: amor mercenarius quo aliquis sistit in præmio abjiciendus est, concedo: quo solum aliquis movetur ad Deum amandum & illum possidendum, nego. Patres loquuntur in isto sensu, propugnando justum non aliud quam Deum exquirere ut præmium: Chrysostomus est sui ipsius interpres hom. mil. super Joan. ait: Perseverantia, *inquit*, a dilectione, dilectio a mandatorum observatione provenit. „ Tum subdit legem esse observandam propter mercedem his verbis: " Hic iterum eos beatitudinis admonet ... gaudete & exultate quia merces vestra copiosa est in „ cœlis ... oportet enim in rebus gravibus & molestis non labores, sed præmia considerare.

*Ambrosius* loquitur de mercede quæ non fit a possessione Dei distincta, hinc solum propellit amorem mercenarium purum, quo aliquis quiescit in bono creato: „ Dei quoque, *ait*, in eo prædicatur justitia qui remunerationem piis mentibus non ex necessitate promissi, sed „ ex æquitatis suæ contemplatione largitur, judicans dignum fore, quod hi „ qui militant sine aliqua mercedis humanæ remuneratione repositum habeant præmium in ejus bonitate. „

*Neque* vero dissentit August. nam lib. 10. confess. cap. 22. sic loquitur: " Ipsa „ est beata vita gaudere ad te, de te, „ propter te, ipsa est & non est altera. „

*Subscribit* S. Leo qui ibidem ait: " „ Cum multa sint genera divitiarum, „ tanquam dissimiles materiæ gaudiorum, „ thesaurus cuique est suæ cupiditatis „ affectus; qui si de appetitu est terrenorum non beatos facit sui participatione; „ sed miseros. „ Ecce amor mere mercenarius procul faciendus. Tum subdit: " „ Hi vero qui ea quæ sursum sunt, sapiunt, non quæ super terram, nec peritnris intenti sunt, sed æternis, in illo habent incorruptibiles reconditas facultates. „ Igitur ex S. Leone amor quo quis amat Deum propter mercedem ab eo indistinctam non est mercenarius.

*Insignis* est explicatio D. Bernardi lib. de diligendo Deo cap. 7. his verbis: " Vacua „ charitas esse non potest, nec tamen „ mercenaria est, quippe non quærit quæ „ sua sunt. Verus amor se ipso contentus „ est, habet præmium, sed id quod „ amatur. „

*Ad* confirmationem distinguo, amor concupiscentiæ est imperfectus, id est, amore benevolentiæ minus perfectus, concedo. Id est, defectuosus seu malus, nego. Quod autem amor quo Deus diligitur, ut totius justitiæ fons & præmium sit optimus, vel ipse Deus declarat Abrahæ Genes. 15. his verbis: *Merces tua, magna nimis*. c. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus*. Ad consectanea patet responsio ex supra dictis.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Non datur in hac vita status habitualis amoris puri.*

PRIMO: Sacræ Scripturæ passim proponunt Deum amandum, quia finis & bea-

beatitudo est: Igitur non ita est purus status saltem habitualiter, ut justus abstrahendo a gloria operetur.

*Secundo*: Ille status nonnihil adversatur spei, et ab Innocentio XI. abjectus est juxta Molinos systema.

*Tertio*: Richardus a S. Victore parte 2. in Cantica cap. 38. S. Thomas 1. 2. q. 65. art. 5. et alii Theologi non patiuntur charitatem a spe gloriæ divelli.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Moyses et Paulus cupierunt esse anathema pro fratribus, quantum ad mortem temporalem, minime vero quantum ad æternam.

*Secundo*: Patres quidem insectantur amorem mercenarium, ut minus perfectum, sed non ut in se malum.

*Tertio*: Iidem exaltant amorem benevolentiæ quem castum nuncupant, sed in eis vix ullum amoris puri habitualis invenies vestigium; ad summum loquuntur de quibusdam transeuntibus affectionibus per modum raptus quandoque Sanctis ad instans, vel horam unam concessis, ut insinuat B. Theresia, in libro qui inscribitur animæ castellum.

---

## DE REGULIS FIDEI.

REGULA est directio virtutis, hinc ea omnia, quibus aut roboratur, aut explicatur, aut definitur, aut etiam defenditur fides, regulæ fidei nomen sibi vindicant. Ab auctoribus nonnumquam loci Theologi, ut a Melchior Canonici, vocantur: Et vulgo decem numerantur: Videlicet Scriptura sacra, Traditio, summus Pontifex, Ecclesia, consensus Patrum, Historia sacra, Sententiæ Theologorum, Auctoritas Philosophorum, et ipsa Ratio. Quinque priores solæ sunt fidei regulę, cęterę posteriores sunt veluti ancillę quas Theologus ad arcem vocat pro fide vel astruenda, vel defendenda. His omnibus illustratur Ecclesia ut sit potens arguere, et exhortari, ne fideles circumferantur omni vento doctrinę. De singulis agendum est, ut perfectus sit homo Dei.



# TRACTATUS NONUS
## DE SCRIPTURA SACRA,
### *Cujus sapientia & auctoritate Ecclesia profunda Dei scrutatur.*



Æ C U T I T humana mens in mysteriis indagandis: hinc Christus Matt. 11. ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Ex quo sequitur scripturam, quæ est doctrina sacra, admodum esse necessariam, ut docet ex professo S. Thomas 1. p. q. 1. art. 1. et suo loco fuse diximus: nunc operæ pretium est de sacra Scriptura jucundas movere, et quidem primum in genere, tum et in speciali quæstiones. Quod nunc quatuor dissertationibus complere proponimus.

*De Scriptura sacra in genere.*

DUO potissimum de ea sic spectata quærimus. Primo quidem de ejus dotibus. Secundo, de eius versionibus, quæ quidem sunt ad Scripturam sacram præambula, hinc communiter introductionis seu Prolegomenorum nomine celebrantur.

---

### DISSERTATIO PRIMA.

*De Prolegomenis ad Scripturam Sacram.*

PAGANI sacram irrident Scripturam, sed contra quod dicitur 2. ad Tim. 3. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.*

*Dotes Scripturæ sacræ plures sunt.*

PRIMO, est fide dignissima.
*Secundo*: Est fidei regula infallibilis.
*Tertio*: Scripturæ sunt genuinæ.
*Quarto*: Dicuntur Canonicæ.

---

### ARTICULUS PRIMUS.

*Num scriptura sit fide digna?*

### CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

*Probatur rationibus Theologicis.*

PRIMO: Illud est fide dignum, quod habet Deum auctorem: Atqui sic habet Scriptura juxta illud S. Petri effatum 2. epist. 1. *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*: Ergo &c.

*Secundo*: Scripturæ sanctitas reddit illam fide dignissimam, omne quippe immundum damnat, solam redolet puritatem & virtutem, unde Isidorus lib. 3. de summo bono de illa sic loquitur: „Geminum donum confert sacrarum Scripturarum lectio, sive quia mentis intellectum erudit, seu quod a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit.„

*Tertio*: Ejus efficacia, juxta illud Psal. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer*; & illud Hebr. 4. *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.*

Quar-

*Quarto* : Ejus univerſalitas ; omnia enim diſcutit divina & humana, cœlum & terram, Angelos & homines, myſteria & mores ; immo et hiſtorias, unde jucundiſſima eſt menti contemplativæ, tum propter varietatem, tum propter veracitatem.

*Quinto*: Futura ſicut præſentia exhibet, et ipſa cordium ſecreta revelat.

*Sexto* : Propter miracula, quibus Scriptores ſacri illam comprobarunt, ut Prophetæ et Apoſtoli, quorum ipſi Pagani teſtes oculati fuere. Sed inter omnia miracula unum eſt maximi ponderis, quod Scriptores ſacri unanimes ita ſint in factis et dogmatibus referendis, ut non niſi leviter diſcrepent ab invicem.

*Accedit* his rationibus veneratio qua vel ipſi Gentiles libros ſanctos proſecuti ſunt: immo legitur de Samaritanis, quod quamvis idololatræ forent et adverſus Judæos non modicum offenſi, libros tamen legis ſumma cum veneratione ſervaverint, cujus rei argumentum eſt quod ad hæc uſque tempora textus Samaritanus perſeveret. Cæterum Poetæ hauſerunt in libris Moyſis quæ de coronis juſtorum & de pœnis malorum ſcripſere, ex quo novum exurgit argumentum, Paganos ſacras Scripturas multi feciſſe.

*Probatur* ulterius Scripturam eſſe fide dignam ex ejus ſublimitate & neceſſitate. Unde ſic argumentor : Illa Scriptura eſt fide digniſſima quæ profunda Dei ſcrutatur, & omnibus confert media ad ſalutem : Atqui talis eſt Scriptura ſacra : Igitur eſt fide digniſſima, Major patet, quia falſitas & error ex duobus potiſſimum contingunt Scriptoribus, nempe vel quia ſolum terrena ſcribunt, in quibus paſſio ut plurimum primas tenet ſedes: vel quia tractant de his quæ placent carni & ſenſibus, quæ quidem ſæpius mentem a veritate aut diſtrahunt, aut penitus ab eadem ſeparant. Probatur igitur minor, & quidem ex Patribus. Sanctus Hieronymus Scripturam comparat officinę, quæ pretioſa divinitatis aromata ſpargit, quæ omnis generis pharmaca continet ad quemlibet morbum curandum, ita ut ex ea Martyres hauſerint conſtantiam, Doctores ſcientiam, & contra Hæreticos fortitudinem, omnes humilitatem in proſperis, & in adverſis patientiam. S. Baſilius in prologo ſuper Pſalmos de ea ſic ſcribit : " Habet infans quid lactet ; puer, quid „ laudet, adoleſcens, quid corrigat ; ju„ venis, quid ſequatur; ſenior, quid pre„ cetur ; hinc diſcant feminæ pudicitiam, „ populi inveniant pietatem ...... pau„ peres protectorem ; advenæ, cuſto„ dem. Hic Reges invenient quid au„ deant, Judices, quid timeant: Hæc tri„ ſtem conſolatur, lætum temperat, ira„ tum mitigat ; pauperem recreat, & „ omnibus apta medicamenta tribuit. „

*Probatur* idem & confirmatur iſto ratiocinio: Illa Scriptura eſt fide digniſſima quæ eſt neceſſaria ad ſalutem, nihil quippe magis videtur fide dignum quam illud quod noſtram operatur ſalutem exhibendo media: Atqui talis eſt Scriptura ſacra: Ergo &c. Minor patet ex jam dictis: Probatur tamen breviter auctoritate & ratione. Primo quidem ex Apoſtolo dicente 2. ad Tim. 3. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum . . . ut perfectus ſit homo Dei*. II. Ex Patribus allatis, & ex mirabilibus effectibus quos producit, quos S. Baſilius mox laudatus exponit. III. Hoc ipſum non levius inſinuat ratio. Revera quidem beatitudo in via conſiſtit in contemplatione veri ſimul & in amore Dei, in horrore vitiorum & amore virtutis : Atqui Scriptura ſacra omnia Dei myſteria aperit, omnem tum Dei, tum ipſius attributorum pulchritudinem delineat: Docet quid amandum in virtute, & quid horrendum in vitio ; ſtimulat ad amorem illius per oſtenſionem præmiorum, ad horrorem iſtius per oſtenſionem ſuppliciorum, & quia nihil amatum quin præcognitum, magnalia Dei aperiendo puriſſimum producit in cordibus amorem ; tum & per amorem cum Deo unionem, ac tandem vi unionis veriſſimam beatitudinem : Igitur eſt maxime utilis & fide digna.

*Solvuntur objectiones.*

OBJICIES I. Illa Scriptura non eſt fide digna quæ diverſos & oppoſitos ſubit ſenſus, de quibus ad hæc uſque tempora diſputant vel ipſi Theologi Catholici : quæ multa menti & rationi oppoſita enarrat, quæque nonnunquam veritati prorſus adver-

adversa videntur. Atqui res sic se habet: Et probatur. Primo quidem sunt variæ de textibus lectiones, nec una est omnium interpretum circa eos sententia & opinio. II. Genes. 2. habetur. *Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quacumque enim die comederis, morte morieris.* Quæ connexio esse potest inter lignum & scientiam, inter mortem & ligni esum, cum hæc omnia sint disparata. III. Viatores qui illas regiones, quas Tigris & Euphrates alluunt, perlustravere, & commerciis etiamnum frequentant, ne ullum quidem paradisi voluptatis, de quo ibidem fit mentio, vestigium viderunt. Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem. Ad primam probationem distinguo, & diversi sensus juxta diversos quoque respectus habentur, sed in uno conciliantur, quod mysteria & significent & explanent, concedo: & diversi secundum eundem respectum habentur, nego. Scriptura sacra utpote a Spiritu sancto, cujus lumen infinitum est, data, absque fine potest subire diversos sensus, cum creatura lumine finito persusa non possit unica conceptione adæquare sensum afflatus Dei: hinc varii sensus sunt, quorum alii morales, alii spiritales & mystici, sed omnes in litterali fundati, hinc & absque negotio conciliantur, cum omnes ad aliquod mysterium indigitandum tendant. Neque vero his prælibatis quisquam stupens demirari debet varias tum textuum lectiones, tum Interpretum opiniones: Priores namque idem re significant, ut patebit infra de polyglottis: Posteriores vero diversos solum ejusdem mysterii exhibent sensus. Cæterum Scriptura altissima est, nam magna, quæ captum humanum superant, sæpius refert, sed genuinum ejus textus sensum habemus ex sanctis Patribus qui & difficultates, & antilogias solvunt atque dilucidant.

*Ad* alteram probationem distinguo, non est connexio inter lignum & scientiam, esum ligni & mortem, ex visceribus rei, concedo: juxta eventus consecutos, nego. Deus quasdam potest apponere conditiones hominum actionibus, quibus positis, scit quid sit ipse facturus: nulla quidem inerat virtus in ligno ad scientiam dandam, nulla ad malum pœnæ æternæ infligendum, sed cum ex præcepto obedientiæ ad probationem dominii Dei tenerentur a ligno abstinere Proto-parentes, omisso præcepto, secutum est peccatum, quod Adam & Eva in justitia creati, antea non cognoscebant; inde igitur scientia primum boni, tum mali: peccatum vero consummatum, teste D. Jacobo, generat mortem, eo quod inducat reatum culpæ & pœnæ æternæ.

*Ad* tertiam probationem, distinguo: viatores nihil de paradiso voluptatis videre, quippe qui fuerit diluvio deletus, vel etiam ordinante Deo, occultus, cum, teste Scriptura, ejectis primis parentibus reis, ad januam appositus sit Cherubim, qui gladio flammeo, ut habetur Gen. 3. ab ejus aditu propelleret homines, concedo: & commentitius est ille hortus amœnissimus, omni arborum & fructuum genere delectabilis, nego. Apertus est de hoc momento Scripturæ sacræ textus. Multus est de eo apud sanctos Patres sermo. Huetius Abrincensis Episcopus dissertationem de hoc elegantem juxta textum Hebræum, antiquas Genealogias, & prophanos Scriptores, exaravit.

*Insistes*: Gen. 3. scriptum est serpentem locutum fuisse cum Eva ut illam deciperet. Tum in pœnam super terram irrepsisse pedibus: Sed neutrum veritati consonat; neque enim serpens loquitur, neque habet pedes quibus super terram gradiatur. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo minorem: neutrum veritati consonat de via ordinaria, concedo: de extraordinaria, nego. Deo volente Balaamum Prophetam asina allocuta est, quidni & Deo permittente, dæmon ministerio serpentis Evam alloqui potuisset, sicut cum per Pythonissam, & per Idola falsa fundebat oracula? Ne miremini si Eva non exhorruerit serpentem, belluæ enim parentibus innocentibus obediebant. Putavit Eva serpentem virtute aliqua loqui; & ut primum eum loquentem audivit, admiratione defixa altius quidpiam suspicata est, sed æstu superbiæ abrepta & spe divinitatis assequendæ lactata, has serpentis voces ad ipsius tentationem formatas non satis attendit, ac tentationi, infelix, succubuit.

*Ad* aliud dico, serpentem nec ante, nec post

post habuisse pedes, sed Deus ad illum puniendum fecit, ut ea quæ illi ante hoc erant naturalia, in pœnam & insaniam ipsi post peccatum hominis verterentur; non secus ac *Iris* ante diluvium universale omnino naturalis erat, post diluvium evasit signum pacis initæ per homines & Deum. Cæterum serpere idem sonat ac pedibus gradiri.

*Oppones* II. omnis Scriptura non est inspirata: Igitur nec fide digna. Probatur anteced. 1. Cor. 7. 12. habetur: *Ego dico, non Dominus*: Ergo omnis Scriptura non est a Spiritu sancto, sed ab homine, adeoque minime inspirata.

*Respondeo* negando antecedens: Ad probationem distinguo consequens. Quædam sunt ab homine, Deo simul inspirante & dirigente, concedo: historiæ quæ secundum se continent humana facta oculis objecta sunt a Deo protegente, ne Scriptor in iis aliquem inducat in errorem. Non sunt ullo modo a Deo, nego. Ad summum vult Apostolus in loco laudato, quod ea quæ proferebat, non accepisset; immediate a Christo loquente, unde subdit: *Ego dico, non Dominus*, sed non negat ea accepisse a Spiritu sancto assistente & protegente ne falsa promeret.

*Instabis*: Origenes in locum Apostoli sic loquitur: "Sermo qui apud Jonam scriptus est, & non est factus; a Jona potius quam a Deo perfectus esse videtur: non enim semper ea quæ per Prophetam dicuntur, quasi a Deo dictata suscipiantur, oportet: nam per Moysen multa quidem locutus est Dominus, aliqua tamen & Moyses propria auctoritate mandavit, quod Dominus in Evangeliis evidentissima distinctione discernit, cum dicit de repudio mulieris: ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic... Ostendit hæc & Paulus in epistolis suis cum dicit de quibusdam, Dominus dicit & non ego, & non de aliis. Hæc autem dico, non Dominus. Et iterum in aliis præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Quæ loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia. Unde similiter in cæteris Prophetis: aliqua tamen Dominus locutus est, alia vero Prophetæ & non Dominus." In his tria dicit Origenes. Primum quidem multa esse ab homine dictata & non a Deo: Secundum vero quædam esse a consilio hominis, adeoque ab homine etiam inspirante, nam consilium ab inquisitione procedit. Tertium denique quædam esse quasi in insipientia, adeoque nullo modo a Deo. Ergo &c.

*Respondeo* sicut supra: Et vult solum Origenes omnia non esse a Deo dictante sensum & verba, concedo: nullo modo esse a Deo, nego. Factum autem Jonæ est historicum & Deo inspirante ac dirigente scripsit Propheta, ut posteri obedire Deo & nullo modo resistere, ejus punitione discerent.

*Ad* secundum similiter distinguo. Quedam sunt a consilio humano Deo dirigente, concedo: sic Moyses inspiratus permisit libellum repudii: ab homine solo, nego.

*Ad* tertium utique distinguo, & Paulus loquitur per humilitatem, ut sese excusaret pro propria exaltatione, concedo: Nam quidam illum coegerant ut enarraret mirabilia a seipso patrata, & sic seipsum apud illos commendaret, eo quod infirmis quibusdam propter staturæ inferioritatem contemptus apparuerat; secus, nego. Unde dicit, quasi in insipientia dico, ostendens neminem debere seipsum laudare, nisi Deo inspirante, & quando hoc cedit in bonum vel Ecclesiæ, vel proximi: Igitur non loquitur de insipientia stricte sumpta, ut legenti patebit: Subdit enim: *Si insipiens sum, vos me coegistis*. Eodem prode modo explicandus est Basil. lib. 5. adversus Eunomium, & Ambros. cap. 8. in Luc. num. 8. qui conclusioni adversari videntur.

*Oppones* III. Auctor. 2. libri Machabæorum difficultatem se habere in scribendo profitetur: immo capite ultimo veniam a Lectoribus postulat: Sed quæ sunt a Deo non sunt difficilia intellectu, adeoque nec ad scribendum ardua: Igitur omnes Scripturæ non sunt a Deo, etiam inspirante: Confirmatur. Apostolus 2. Cor. 11. ait: *Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia*.

*Respondeo* distinguendo, auctor difficultatem se habere profitetur in narrandis factis & ordinandis, concedo: in inspiratione recipienda, ne in errorem indu-

catur & fallatur, nego. Duo distinguenda sunt in eo qui scribit historias sacras, nempe facta, & inspiratio ac directio divina. Primum est humanum, & indiget ad hoc Scriptor Canonicus studio & industria, ut cuncta discernat & ordinet, quod sane est difficile: alterum vero nempe inspiratio est a Deo infundente: & certe nullus est labor quando Deus loquitur.

*Ad* alteram probationem ex eodem Machabæorum libro depromptam, distinguo: Auctor petit veniam propter styli imparitatem & humilitatis motivo, concedo: propter errores qui in suum irrepserint librum, nego.

*Non* absimili modo Apostolus dicit non habere stylum excultum & elegantem, in quo solum sensu quasi veniam a Lectoribus expostulans, ait veluti in insipientia se fuisse locutum, non secus ac plebeius alloquens Regem, diceret se esse sermone imperitum, & in majestate perorandа longe imparem.

*Instabis*: Atqui multa alia evincunt Scripturam sacram non esse a Deo inspiratam, adeoque & fide divina dignam: Ergo &c. Probatur subsumptum variis momentis. I. Eo tantum debent tendere libri sacri ut nos de mysteriis & aliis rebus quoad religionem instruant, & tamen de historiis, immo & de Philosophiæ arcanis tractant, de quibus citra fidei periculum disputant homines litterati; De prioribus quidem non una est de factis & chronologia opinio: De posterioribus non desunt qui propugnent quotidie in Scholis etiam Catholicis terram moveri & non solem, quod aperte sacræ adversatur Scripturæ quæ e contra terram immobilem, solem vero mundum girantem refert, cujus contrarium nemini Catholico asserere licitum est, si Scriptura sit a Deo inspirata. II. Quis credat Deum inspirasse S. Paulo hæc verba quæ leguntur cap. 4. epist. 2. ad Timoth. *Lucas est mecum solus.... Tychicum autem misi Ephesum. Penulam, quam reliqui Troades apud Carpum, veniens, affer tecum & libros, maxime autem membranas*. Ad hæc et similia scribenda, dubio-procul non opus fuit inspiratione, cum sint mere naturalia. III. Ipse Apostolus declarat se quædam scribere non tanquam mandata et verba Dei, sed tanquam propria instituta: ait enim 1. ad Corint. 7. *Cateris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hac consentit habitare cum illo, non dimittat illam*. IV. Scriptores Canonici non erant in colloquiis privatis infallibiles, et inspirati: Igitur nec in scribendo.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad probationem distinguo, libri sacri principaliter tractant de mysteriis et virtutibus quibus religio nutritur et fovetur, minus vero principaliter de cæteris, concedo: et nullo modo de istis, nego. Propter duo Scriptura sacra de historiis et rebus philosophicis scribit: Primo quidem ut per visibilia ad cognitionem invisibilium veluti manu nos ducat, juxta illud Apostoli Rom. 1. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea qua facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Tum ut humanam adjuvet mentem, quæ sæpius vel in ipsis rebus naturalibus indagandis cæcutit: Hinc S. Thomas 1. p. q. 1. art. 1. ait doctrinam sacram fide fulsultam ad scientias naturales in statu perfecto comparandas necessariam esse. Cæterum historiæ nonnihil ad salutem prosunt, quatenus præmiis justorum, malorum vero flagellis et punitionibus homo sanatus declinet a malo et faciat bonum. Jam vero quod spectat quæstiones philosophicas, standum est decretis sacræ Congregationis proscribentis systema Copernicanum ut falsum, et divinæ Scripturæ adversum.

*Ad* alteram probationem distinguo: Et Apostolus assistentia Spiritus sancti donatus est ne vel in ipsis rebus civilibus scribendis erraret, concedo: et non fuit adjutus, nego.

*Ad* tertiam probationem similiter distinguo: et Apostolus verbis in objectione laudatis secernit mandata et præcepta a Deo immediate accepta, a consiliis quæ non sine inspiratione dedit, concedo; et ista proposuit, seclusa inspiratione, nego. Paulus est sui ipsius interpres; ait enim ibidem: *Puto autem quod & ego spiritum Dei habeam*. Et 2. Corinth. 13. *An experimentum quaritis ejus qui in me loquitur Christus*. Ad quartam, concesso antecedente, nego consequentiam. Ratio discriminis est, quod in colloquiis familiaribus non loquebantur ex cathedra Apostoli, bene vero in scriptis; iis quibus

bus mores Christianorum instituebant ; quocirca ab eorum libris omnis error propelli debuit.

*Persistes*: Si Auctores Canonici fuissent in libris exarandis inspirati, eodem scripsissent stylo, eodem namque tenore loquitur Spiritus sanctus, quippe qui sit unus & simplex. II. Non permisisset Deus quosdam decursu temporum in libros sacros errores irrepsisse: III. Debuissent Christiani Antiocheni citra hesitationem credere iis quæ dicebantur a Paulo & Barnaba ad eos in fide Christi instituendos: Atqui tamen contrarium contigit : Et probatur quoad singulas partes. Primo quidem non unus est Scriptorum Canonicorum stylus, Isaiæ quidem sublimis, cæterorum vero humilis & simplex, ut Amos, qui, ut ait Hieronymus : *Fuit imperitus sermone, sed non scientia*. Secundo, jussu summorum Pontificum Clementis VIII. & Sixti V. sacra Biblia a multis mendis quæ in eam irrepserant, purgata est. Tertio neque Christiani Antiocheni putabant legalia rescissa a Christo & abrogata, sicut Paulus & Barnabas eis dicebant, sed quæstionem dirimendam detulerunt ad Ecclesiam Hierosolymis adunatam. Quin & Apostolus testatur se perrexisse ad Ecclesiam, quæ erat Hierosolymis, ut cum ea doctrinam quam prædicabat, conferret illius judicio probandam. *Post annos quatuordecim*, inquit, *ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto Tito. Ascendi autem secundum revelationem : & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, seorsim autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem.*

*Confirmatur*. Liber secundus Machabæorum nihil aliud est, quam compendium quinque librorum Jasonis Cyrenæi, ut claret ex capite 2. ejusdem libri. Cum igitur ille Jason in conscribendis illis libris non fuerit a Deo inspiratus; idem dicendum de Auctore cui tribuitur liber secundus Machab. Quid plura ? Apostolus Act. 17. laudat Poetas ut probet Atheniensibus Deum ubique esse, & omnium creaturarum Auctorem; citat & epist. ad Titum 1. istud Poetæ Epimenidis : *Cretenses semper mendaces, mala bestiæ, ventres pigri*. Et alibi : *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*. Ergo &c.

*Respondeo*: transeat major : et distinguo minorem : contrarium contigit, salva Scripturarum in se spectatarum veritate, concedo: non salvata, nego.

*Ad* primam probationem, distinguo: non idem omnium Scriptorum stylus, quia Deus sese genio hominum attemperat, ut sua prodat mysteria, concedo: & hoc veritati adversatur, nego. Sufficiebat quod in eorum mentibus infunderet religionis arcana, & in texendis historiis eos, ne falsa pro veris propalarent, adjuvaret.

*Ad* alteram probationem, distinguo etiam, nonnullę in sacros Codices mendæ irrepserunt per accidens & defectu Amanuensium qui non erant in rescribendo infallibiles, concedo: per se & defectu inspirationis in primigeniis Codicibus & Auctoribus, nego. Porro leviores istæ mendæ, teste S. Hieronymo, absque negotio conciliari & corrigi possunt, recurrendo scilicet ad fontem primigenium, scilicet textum Hebræum, nec timendum inde labem doctrinæ sacris Scriptoribus inuri posse, quando quidem Ecclesiæ sufficiens adest lumen ut falsa a veris in textibus secernat.

*Ad* tertiam non absimili modo distinguo : & Antiocheni seducti a Cerinthio & Ebione, qui legalia cum lege Christi componere moliebantur, forsan seducti, etiam nonnihil in fide vacillabant, concedo: adeoque erant instruendi ab Ecclesia, cujus decretum per Barnabam & Silam recepere, & stabiles permanserunt: & hæc in fide infirmitas defectu inspirationis sacrorum Librorum promanabat, nego. Quod autem Pseudo-Apostoli turbati fuerint Antiocheni, habetur Act. 15. *Descendentes de Judæa, docebant fratres : quia nisi circumcidamini secundum morem Moysis, non potestis salvari*. Hoc ipsum refertur in epistola quam Apostoli in Concilio Hierosolymitano adunati ad Antiochenos scripserunt. *Quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus*.

*Neque vero* dubitandum est ad Ecclesiam, quæ est infallibilis, spectare credenda proponere & confirmare. Id suo exemplo docuit Apostolus, dum Evangelium quod prædicabat, contulit cum Apostolis, non quod dubius hæreret de doctrina

sua

sua quam probe sciebat esse inspiratam, cum ipse testetur non ab hominibus, sed ab ipso Christo accepisse, sed ut posteros doceret neminem quantumvis illuminatum, nihil prædicare debere, nisi prius ejus doctrinam probasset Ecclesia.

*Ad* confirmationem, distinguo: & auctor libri secundi Machabæorum assistentia Spiritus sancti munitus est, ne erraret in iis quæ ex libris Jasonis experfit, falsa pro veris scribendo, concedo: & non fuit adjutus, nego. Quocirca licet Jason non fuerit infallibilis in scribendo, bene tamen Scriptor Canonicus. Eadem est solutio ad S. Paulum & alios Scriptores Canonicos qui nonnunquam ad instructionem quædam in Historiographis prophanis hauserunt.

*Objicies* IV. Omnes Evangelistæ scripserunt quæ viderunt & audierunt: Sed ad hoc sufficiebat memoria & innata intellectus industria: Igitur Evangelia, v. g. non sunt a Deo inspirante.

*Respondeo* I. Evangelistas, ut Matthæum & Joannem ea scripsisse quæ ab ipsius Dei incarnati ore procedere audierant: Marcum a Petro, Lucam vero a D. Paulo, Petrus autem fuerat ab ipso Christo edoctus, sicut & Paulus quando apparuit illi Christus in via Damasci, ut ipse testatur dicens se Evangelium non ab homine didicisse. Sic loquitur Gal. 1. 12. *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.*

*Respondeo* II. ut supra: & Evangelistæ scripserunt Deo inspirante & assistente, concedo: secus, nego.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Scriptura sacra est fide dignissima.*

PRIMO: Quia habet, teste S. Petro, Deum Auctorem.

*Secundo*: Miracula tum Moisis & Prophetarum, tum & Apostolorum scripturas, arguunt esse fide admodum dignas, cum Deus ad mendacium astruendum miracula non operetur.

*Tertio*: Scripturæ sanctitas & antiquitas summam pro eis inspirant venerationem & fidem.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Quædam contradictoria in Scripturis apparent, sed rebus juxta diversum respectum spectatis, cuncta ad veritatis metam absque negotio conciliantur.

*Secundo*: Etiam in eis aliqua prophana recensentur, sed relative ad Deum & finem sanctum obtinent: Sic peccata hominum designantur, sed Auctor Canonicus non silet flagella, ut legentes a peccatis deterreantur.

*Tertio*: Nec miremini si Apostolus 2. Cor. 10. scribat se & non Dominum loqui, hoc & similia unum tantummodo innuunt, omnem Scripturam non esse quoad omnia a Deo loquente, puta cum Auctor nominat & salutat amicos, sed dubio-procul sunt a Deo saltem assistente, qui non sinit Auctorem Canonicum falsa pro veris annuntiare.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

*Utrum Scriptura sacra sit regula infallibilis fidei?*

DUO nobis sunt examinanda: Primo quidem an Scriptura sacra sit regula infallibilis fidei? Secundo vero an se sola sufficiat absque ulteriori explicatione. De primo conveniunt ipsi Protestantes, sed non de secundo; Lutherus enim præfatione assertionis articulorum a Leone X. Pontifice damnatorum. Brintius in Prolegomenis contra Petrum a Soto tenent Scripturam esse de se clarissimam, & subjacere cujuslibet personæ intelligentiæ. De hoc momento nonnihil jam diximus supra, ubi probavimus ultimam credendorum resolutionem fieri in Ecclesiam: hanc tamen quæstionem fusiori calamo contra Protestantes in speciali explicare juvat. Unde sit contra eos

SE.

*SECTIO PRIMA.*

Utrum Scriptura sacra sit absolute & in se infallibilis?

## CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur auctoritate, & ratione.

*Primo, ex veteri Testamento.*

DEUTERONOMII 17. habetur *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, .... & facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus.* His verbis Moises vult controversias resolvi lege Dei & Scriptura. Rursus Malach. 2. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Rursus Ps. 118. *Beati qui scrutantur testimonia ejus.* Igitur ex veteri Testamento, Scriptura est regula infallibilis fidei, quandoquidem Deus ipse homines ad eam remittit, ut sciant quænam credenda, quænam vero facienda pro vita æterna assequenda.

*Secundo, ex novo Testamento.*

LEGITUR Luc. 1. Joannem Baptistam sic locutum fuisse turbis: *Vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini sicut dixit Isaias Propheta.* Act. 17. refertur: Berenses, audito Paulo, sæpius scrutatos fuisse Scripturas. Tum 2. Petri 1. magnus ille Theologus sic loquitur: *Habemus firmiorem propheticum Sermonem, cui benefacitis attendentes.* Ergo &c.

*Sed* inter omnia testimonia duo ab ore Christi prolata insignia sunt. Joan. 2. sic alloquitur Judæos, qui illum habebant ut blasphematorem, eo quod se faceret Deum: *Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura &c.* Antea Joan. 5. eosdem remiserat ad Scripturas, his verbis: *Scrutamini Scripturas, illæ enim testimonium perhibent de me.* Quibus sententiis probat Judæis suam divinitatem auctoritate Scripturæ. Igitur Scriptura est regula infallibilis fidei.

*Tertio, ex SS. Patribus.*

IRENÆUS lib. 2. cap. 7. Sic effatur: " Si ergo & in rebus creatis quædam quidem eorum adjacent Deo, „ quædam autem & in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si eorum quæ in universis Scripturis spiritualibus reperiuntur, quædam quidem absolvamus secundum gratiam Dei? „

*Origenes* lib. 7. contra Celsum, ait: " Alii quoque cordati viri scrutando Scripturam intellectum ejus invenire potuerunt. „

*S. Chrysostomus* homil. 40. in Joan. explicans illam Christi sententiam: *Scrutamini Scripturas*, dicit: " Christus Judæos „ ad Scripturarum non simplicem & nudam lectionem, sed ad investigationem „ perquam diligentem relegavit. „ &c.

*Hieronymus* epist. ad Paulinum multa præclare tradit de auctoritate Scripturæ sacræ: sic & Augustinus lib. 12. de civit. Dei cap. 9. his verbis: " Scripturæ „ fidem quæ mirabilem auctoritatem non „ immerito habet in orbe terrarum: atque in omnibus gentibus, quas sibi esse „ credituras, inter cætera quæ dixit, vera divinitate prædixit. „ Quibus oraculis Patres relati cæterique subsequentes Scripturam tanquam fidei regulam infallibilem intuentur. Ergo &c.

*Quarto, ratione.*

ILLA regula est infallibilis, quæ continet Verbum Dei & illi soli innititur: Atqui Scriptura sacra Verbum Dei continet & illo solo nititur. Ergo &c. Minor patet ex locis Scripturæ jamjam in probatione adductis, probatur tamen novis sententiis & ex Scriptura & ex Patribus emanatis. Enimvero lib. 2. Reg. cap. 23. habetur: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.* Rursus Luc. 1. legitur: *Benedictus Dominus Deus Israel .... Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a sæculo, sunt Prophetarum ejus.* Item 2. Petr. 1. *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Quid plura? S. Paulus 2. ad Timoth. 3. cuncta definit, his verbis: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est &c.* Igitur Scriptura sacra continet

tinet Verbum Dei, & consequenter infallibilis est.

*Patres* laudati eandem confirmant suo calculo minorem. Instar omnium S. Augustinus qui Tract. 1. in Joan. sic habet: " Excelsæ animæ sunt, & colles parvæ animæ sunt: sed ideo montes excipiunt pacem, ut colles possint excipere justitiam .... Non autem acciperent minores animæ fidem, nisi majores animæ, quæ montes dictæ sunt, ab ipsa sapientia illustrarentur. " *Videlicet a scripturis.* Tum infra: " Oculos nostros cum levamus ad Scripturas, quia per homines illustratæ sunt Scripturæ, levamus oculos nostros ad montes, unde veniat auxilium nobis. "

*Ratio* etiam suffragatur. Primo quidem, si Scriptura non contineret Verbum Dei, in incertum ageretur spes & salus nostra, quia homines sunt incertæ providentiæ quia nec ipsi possunt profunda Dei & scrutari, & ne quidem capere quæ nobis proponuntur tum ad vitam æternam consequendam, tum ad mysteria, quæ tanquam beatitudinis objecta proponuntur, intelligenda. Tum quia etiam Deus ipse Scripturam suam ab humana secernit, demiranti si quidem Ptolemæo Rege cur divinorum librorum nulli aut historici, aut Poetæ veteres meminissent, Demetrius Phalereus, respondit, ut ex Aristæo referunt Josephus lib. 12. antiq. Jud. cap. 2. & Eusebius lib. 8. præparationis Evangelicæ, cap. 1. divinam hanc Scripturam esse, atque a Deo ipso datam; tunc si qui prophanorum hominum eam attingere voluerint, eos a Deo percussos illico resiliisse. Hanc rationem refert Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 2. adiditque Theopompum quemdam, eo quod aliquid divinorum voluminum græca oratione ornare voluisset, subito mentis quadam agitatione divinitus immissa, vehementer perturbatum ab incepto opere desistere vi quadam interiori compulsum fuisse. Ergo &c.

*Solvuntur objectiones.*

OBJICIES I. Multa apparent contradictoria in Scripturis sacris. Igitur videtur quod non sit regula infallibilis fidei. Probatur antecedens Gen. 1. Dicitur Deum creasse mundum sex dierum spatio; & Ecclesiastici 18. habetur: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul.* Ibidem lux dicitur creata primo die: sed hoc videtur falsum, cum enim sit solis proprietas, non potuit creari nisi cum sole, scilicet quarta die. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad primum, distinguo: Deus creavit mundum sex dierum spatio quoad distinctionem, seu distinctive, concedo: absolute & secundum se, nego. Creavit igitur omnia simul, opera vero sua distinxit sequentibus diebus. Jam vero cum opus non appareat nobis factum, nisi quando est distinctum, et in quadam specie constitutum, opera distinctionis dicuntur etiam opera creationis: sic patet solutio ad secundam probationem, et ipsius Scripturæ concordantia. Igitur lux creata fuit prima die cum totius mundi globo, quarta vero die apparuit distincta, et a cæteris operibus cum sole separata.

*Instabis*: Gen. 4. dicitur de Enos: *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Et tamen ibidem Cain et Abel obtulerant sacrificia, adeoque invocaverant Dominum: Igitur nonnihil contradictionis in Scriptura latet.

*Respondeo* distinguendo, cœpit Enoch invocare nomen Domini certis ritibus, et formula quadam determinata, quod nullus antea fecerat, concedo: unde dicitur quod inceperit, et in Hebræo habetur: *Cœptum est tunc invocare nomen Domini.* Incepit absolute, nego. Immo ipse Adam jam invocaverat Dominum, habetur enim Sap. 10. ipsum justificatum fuisse, et illum sanctificatum fuisse a sapientia, hoc autem non potuit fieri sine bonis operibus et invocatione Dei. Sic habetur etc.

*Urgebis*: Ibidem cap. 32. Jacob dicit se vidisse Deum facie ad faciem, et tamen Exod. 33. habetur: *Non enim videbit me homo, & vivet.* Rursus Exodi 20. Deus asserit se visitare iniquitatem Patrum in filios usque ad tertiam generationem. Et tamen Ezech. 18. Scriptum est: *Filius non portabit iniquitatem Patris.* Ergo etc.

*Respondeo* distinguendo: Jacob vidit Deum visione intuitiva sed mediata, scilicet mediante Angelo qui luctabatur sub forma viri usque mane cum illo, concedo: visione intuitiva, nego. De ista solum loqui-

quitur Moyses, nullus quippe nisi de via extraordinaria potest videre Deum in hac vita oculis intellectualibus.

*Ad* secundum distinguo: Deus visitat iniquitatem Patrum visitatione temporali, & hujusce vitæ afflictionibus, concedo; visitatione æterna, & privando gloria filios propter iniquitatem Patrum, nego. Hoc duntaxat vult Moyses exponere, unde nulla est contradictio.

*Insistes*: Lib. 2. Reg. cap. 44. Ioachim dicitur filius octodecim annorum cum regnare cœpisset: & 2. Paralipomen. cap. 36. dicitur tunc fuisse solum homo octo annorum. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: & in lib. Reg. computantur anni quibus regnavit Ioachim cum Patre suo Sedecia, concedo: secus, nego. Igitur erat tunc octo annorum filius quando cum Patre regnare cœpit; at vero cum solus gubernare visus est, scilicet Patre ducto in Babylonem captivo, ut refertur lib 4. Reg. cap. 27. & 28. tunc habebat decem & octo annos.

*Repones*: Lib. 3. Reg. 8. refertur in arca fœderis nihil aliud esse præter tabulas testamenti, & tamen Hebr. 9. Paulus asserit arcam præcontinere præter tabulas, & manna & virgam Aaron quæ floruerat. Ergo &c.

*Respondent* quidam, quod quando Salomon posuit arcam in templo post ejus dedicationem, nihil tunc ea fuerit præter tabulas Legis: sequentibus vero temporibus Sacerdotes posuisse in ea manna & virgam Aaron; Apostolum autem locutum fuisse de arca secundum viciniora tempora contendunt.

*Respondeo* II. distinguendo, tabulæ erant in arca, virga vero & manna ad latus arcæ, concedo: secus, nego. Duplex distinguitur locus in arca, medium scilicet, & latus, ut habetur Deuteron. 13. his verbis: *Tollite librum istum, & ponite in latere arca*. Virga igitur & manna fuerunt ad latus opposita: Apostolus eam sumit quatenus dicit & medium & latus.

*Persistes*: Inter libros Paralip. & Regum multæ sunt discrepantiæ: Sed hoc est inconveniens, quia debemus credere omnes libros Canonicos de fide, & ea omnia quæ in eis sunt: si autem aliqua essent falsa, quamvis leviora, non possent esse objecta fidei, & sic tota fluctuaret fides: Porro lib. 2. Paralip. vers. 2. Ochozias dicitur fuisse homo 42. annorum cum regnare cœpit, libro vero 4. Reg. cap. 8. vers. 26. dicitur tantum 22. annorum. Varia etiam referuntur in libris Paralipomenon, aliter quam in Genesi reperiuntur.

*Respondet* S. Hieronymus epist. 132. ad ista & similia, his verbis: "Lege omnes „ veteris & novi Testamenti libros, & „ tantam annorum reperies dissonan- „ tiam & numerorum inter Iudam et Israel, „ hoc est inter utrumque regnum confusum, „ ut hujusmodi hærere quæstionibus, non „ tam studiosi quam otiosi opus esse vi- „ deatur. „ Ex quibus patet variationem contingere et ex notis Arithmeticis, et ex numero tam annorum quam regnorum, tum et ex diversis versionibus quæ propter diversas captivitates apparuerunt: item et ex omissis per ignorantiam aut negligentiam Librariorum; sufficit autem ut libri enarrent res et facta vera: et hoc de fide determinavit Concilium Tridentinum. Quomodo vero variationes istæ leves et materiales explicentur, reliquit Ecclesia studium hoc interpretibus. Quando vero adamussim omnia ponderantur, affulget modum computandi, et per Olympiades, vel alium in re convenire, et sic discrepantiæ sunt solum materiales et non formales; omnes enim sancti Doctores unanimiter dicunt Scripturas non fuisse in substantia defloratas, ut dicetur infra, alias Christus non remisisset Judæos ad eas pro sua probanda et confirmanda divinitate.

*Respondeo* III. distinguendo: Sunt discrepantiæ materiales, concedo: formales, nego. Ad auctoritatem laudatam, distinguo: et liber Paralipomenon omissa addidit, est enim liber rerum omissarum, concedo: secus, nego. Unde non mirum si dicat Ochoziam fuisse annorum 42. hominem cum regnare cœpit: quia forsan vel regnavit simul cum Patre, vel etiam quia consilio gubernavit Rempublicam Judæorum, in quo quidem sensu filius Regis qui est Patris consiliarius potest dici regnare cum eo. Sic S. Joannes refert in Evangelio multa omissa ab aliis Evangeliis, ut fluxum sanguinis & aquæ e latere Christi; similiter & sermonem

quem

quem Christus habuit coram discipulis ante sui Sacramenti institutionem. Cæterum liber Paralipomenon refert Joachim fuisse designatum Regem a Patre quando octavum attigit annum; liber vero Regum memorat dumtaxat tempus quo solus regnare cœpit.

*Oppones* secundo: Multa absurda in veteri Testamento animadvertuntur. Primo quidem, serpentem locutum fuisse mulieri: Secundo Samsonem & Davidem ursos & leones in frustra conscidisse: Tertio, illum mandibularia asini centum Philisthæos occidisse: Quarto, vulpium accensis ad caudam facibus ex palea segetes Philistinorum consumpsisse: Quinto, Ezechielem suum comedisse volumen: Sexto uxorum multitudinem: Septimo, Oseam jussu Dei ingressum fuisse ad mulierem fornicariam. Ergo &c.

*Respondeo* negando aliqua in Scripturis sacris irrepsisse absurda.

*Ad* primum, dico serpentem tunc temporis non fuisse tam defformem, tam malignum & venenosum qualis nunc est; Cæterum si asinus Barlaamum allocutus sit, quid mirum si dæmon usus sit serpente ut alloqueretur mulierem, cum ad vocem effotmandam sufficiat motus localis & extrinsecus, sicut in Echo repente videre est. Nonne dæmon loquitur etiam per linguam energumenorum: Igitur non est inconveniens in casu proposito serpentem motu dæmonis efformasse voces quibus primæ mulieris fidem & obedientiam Creatori debitam tentaverit.

*Ad* secundum: Deus potest fortitudinem annectere ubi vult, cum omnia obediant ei: sic fortitudo Samson in crinibus; leonis, in cauda; serpentis in replicatis orbibus, aliquod corpus ambientibus, ursi in amplexibus, ordinante Deo, sita est.

*Ad* tertium: Patet solutio; non enim fortitudo præcise mensuratur ex instrumento, sed ex virtute brachii & nervorum.

*Ad* quartum: Vulpibus abundat Palestina, sicut Libya abundat leonibus: Igitur volente & dirigente Deo ad humiliandos homines tot portenta patrare potuit Samson; maxime cum foret Christi figura qui præ efficacia gratiæ qua mundum & inferos devicit prostravitque, Leo de tribus Juda nominatur.

*Ad* quintum: Mysteria non sunt ratione mensuranda, Deus autem voluit ad figuram iracundiæ suæ futuræ, ut Ezechiel comederit volumen continens multiplex væ, & maledictiones: hinc ex esu libri amaricatus est ipsius venter, ut populus intelligeret maledictionem esse extrinsecam & ex omni parte, animæ scilicet & corporis.

*Ad* Osean distinguo: ingressus est ad fornicariam per Matrimonium, concedo: secus, nego. Et hoc ut intelligerent populi fornicatam fuisse terram, propter quod luctus & dolor super eam, quia ut ipse, ait: *Sanguis tetigit sanguinem*. Cæterum S. Benedictus & alii Patres ad lectionem novi Testamenti potius quam veteris, ne juvenes legendo historias eis abutantur, adhortari solent.

*Objicies* III. Contra novi Testamenti genuitatem, Matth. 2. in Genealogia Christi tres generationes numerantur, idest 42. Sed in justo calculo computentur, inveniuntur solum quadraginta, & una persona: quod quidem a veracitate deflectens, non spirant genuitatem ad librum sacrum prærequisitam.

*Respondeo* distinguendo: sunt 42. generationes, quia quædam repetuntur propter historiæ conjunctionem, concedo; secus, nego. Generatio autem Salomonis a Davide repetitur, videlicet in fine primæ tessara-decadis, & initio duæ commemorantur. Item generatio Jechoniæ, tum & Josiæ iterata vice scribuntur, scilicet in fine duas & initio tres, propter quod numerantur quadraginta duæ: sed revera solum sunt quadraginta, seu quadraginta & una persona.

*Instabis*. Ibidem Matth. cap. 2. locus Micheæ cap. 5. in sensum Prophetæ contrariam refertur; namque in Propheta, sic legitur: *Et tu Bethleem Ephrata parvulus est in urbibus Juda*. In Matthæo vero. *Et tu Bethleem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda*. Sed hæc diversa sunt. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo. Sunt diversa materialiter, concedo: formaliter, & quoad sensum, nego. Porro qui citat auctorem, attendit solum ad ejus sensum: locus autem Micheæ sumitur interrogative, & non pure enunciative, quasi diceret; numquid minima es Bethleem, unde facit

cit eumdem sensum ac Matthæus, qui dicit: *Nequaquam minima es.*

*Instabis.* Ibidem cap. 27. Matth. laudat locum Jeremiæ istis verbis: *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli sicut constituit mihi Dominus.* Sed ille locus est Zachariæ, minime vero Jeremiæ. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo minorem. Textus est Zachariæ post Jeremiam a quo ille sumpsit, concedo; secus, nego. Equidem non invenitur in Jeremia, sed Evangelista ex traditione habuit quod esset de quibusdam Jeremiæ operibus quæ naufragia passa sunt, quem tamen locum & alia non absimilia servavit traditio. Et vero constat ex lib. 2. Mach. cap. 12. quosdam libros Jeremiæ periisse; quidam tamen traditione circumferebantur tempore Evangelistarum; ita suffragatur Hieronymus affirmans Judæum quemdam illi ostendisse librum Jeremiæ qui non est in Canone.

*Contra* Idem Matthæus illam sententiam: *Percutiam Pastorem & dispergentur oves Gregis*, Christo applicat velut a Zacharia prænuntiatam: Sed Zacharias hoc dicit de Pseudo-Propheta sceleratissimo; unde in ipso non habetur: *Percutiam, sed percute.* Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo minorem. Et locus intelligitur in sensu obvio de Pseudo-Propheta, concedo: mystice & figurative, nego. Intelligitur enim de Christo quem Judæi ut sceleratum habuerunt: & ut volunt quidam, illa sententia intelligitur in genere tam de bono quam de malo Pastore, quo percusso, dispergantur oves, quæcumque sint, & sic redditur sensus legitimus.

*Replicabis.* Joan. 20. Maria Magdalena, dicitur advenisse monumentum cum adhuc tenebræ essent super terram: Marci vero 16. refertur venisse orto jam sole. Ergo &c.

*Respondeo*: Quosdam velle Mariam sæpius venisse ad monumentum, quandoquidem amor non sistit in una aut altera sponsi inquisitione; & hoc videntur innuere Evangelistæ. Quidam volunt profectam fuisse e domo sua cum adhuc tenebræ essent, & pervenisse ad monumentum orto jam sole: nam vesper Sabbati, qui successit prima Sabbati, est aurora, seu illa extrema pars noctis terminatur ad auroram. Nec mirum; castellum Magdalenæ distabat una circiter leuca ab Jerusalem.

*Urgebis* Act. 7. S. Stephanus aliter refert historiam Patriarcharum quam refertur in Genesi; eo quippe loci dicitur Jacob ingressum esse in Ægyptum cum 75. animabus suæ familiæ, & tamen Gen. 46. tantum 65. numerantur. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo. Et S. Stephanus loquitur tam de his qui ingressi sunt in Ægyptum, quam de aliis qui se adjunxere, de quibus non fit mentio in Genesi, concedo: de prioribus tantum, nego. Scriptura enim dicit Joseph omnem cognationem suam accersivisse, adeoque & nepotes, & filius Jacob accersitos fuisse, & hoc numero 65. addendo vero Jacob & novem uxores completur numerus 70. in Gen. autem recensetur tantum 65. qui cum Jacob ingressi sunt in Ægyptum, numerando Joseph & duos ejus filios, Ephraim scilicet & Manasses.

*Dices*: Quomodo fieri potest ut essent solum novem uxores in familia Jacob, cum haberet filios ætate satis provecti, ut essent uxorati: præterea Phares filius Juda jam erat Matrimonio junctus sicut & Belia filius Azer.

*Respondeo*: Plerosque Jacob filios tunc fuisse viduos: de Juda certum est, hic enim a nativitate filiorum suorum Phares & Zaram, uxorem suam Thamar amiserat..

*Instabis.* Act. cap. 7. S. Stephanus dicit Patriarchas sepultos fuisse in Sichem in agro quem emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, in qua quidem narratione tria videntur falsa. Primo, agrum illum fuisse emptum ab Abraham, Gen. enim 33. dicitur emptus a Jacob. Secundo, fuisse emptum ab Hemor, emptus enim est ab Ephrem filio Sichem. Tertio, emptum fuisse pretio argenti, in Gen. vero dicitur emptus centum agniculis. Ergo &c.

*Respondeo* I. Israelitas egrediendo de Ægypto non solum asportasse ossa Joseph, sed & Patriarcharum sepulta in Ebron, & in Sichem posuisse, ita Hieronymus in Epitaphio sanctæ Paulæ, & in libro de optimo genere interpretandi, ubi ait suo

tem-

tempore adhuc videri in Sichem sepulchra Patriarcharum jam.

*Respondeo* II. In forma Patriarchæ sepulti sunt in Sichem ex sancto Stephano, & intelligit post egressum Israelitarum de Ægypto, concedo : de tempore egressum antecedente, nego.

*Ad* primam probationem, distinguo : ager fuit emptus ab Abraham simul & Jacob secundum diversas partes, concedo : secus, nego. Erat autem agri latitudo magna, Abraham emerat unam partem argento, Jacob vero alteram agniculis; & de facto dicitur solum emisse partem agri, primam vero partem habuit jure hæreditario propter Abraham, avum suum.

*Ad* secundam probationem, hæc est responsio : Hemor dicitur pater Sichem, licet juxta Genesim fuerit pater Hemor, quia eadem nomina inter filios et avos repeti consueverant, ideoque Hemor ille qui dicitur in actis pater Sichem, habuit patrem qui Sichem vocabatur voluitque ut filius suus eodem nomine quo pater nuncuparetur. Quod adhuc est in more positum : unde, distinguo : ager emptus fuit ab Hemor qui fuit alius ab altero, concedo : ab eodem Hemor, nego. Ad tertiam probationem, solutio data est.

*Oppones* IV. Rom. 3. dicit Apostolus nos justificari per fidem sine operibus, Jacobi vero cap. 1. nos justificari per opera : Sed hæc contraria apparent. Ergo etc.

*Respondeo* distinguendo. Et Paulus loquitur de operibus Legis Mosaicæ quæ erant extincta, et in qua fides non erat ponenda ad exclusionem Christi concedo : unde Galat. cap. 5. dicit : *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*. De operibus per fidem in Christum nego. De istis autem loquitur S. Jacobus.

*Instabis* : Scriptores Canonici multa posuerunt ex innata industria, tum in Historiis multa narrantur prælia et prophana : Igitur videtur quod Scripturæ non sint a Deo.

*Respondeo* distinguendo. Multa posuerunt S. Spiritu dirigente & assistente ut veritatem dicerent, concedo : sine assistentia Spiritus sancti, nego. Narratio autem præliorum inservit ad ostensionem mirabilium Dei in victoriis, & ad ostensionem vel misericordiæ, vel justitiæ : ex quo sequitur Scripturas esse a Deo vel revelante, vel saltem assistente : non desunt tamen qui propugnent eas esse quoad utrumque modum a Spiritu sancto.

*Urgebis*. Scriptura sacra est obscura, variosque habet sensus, & sæpe non est intelligenda ad litteram, quæ teste Paulo, nonnunquam occidit : Igitur non est regula fidei infallibilis.

*Respondeo* distinguendo consequens. Non est regula viva, concedo : mortua, nego. Præter regulas mortuas habemus vivas ad illas explicandas, Ecclesiam scilicet, Concilia & Patres, nec dicimus sufficere mortuas, nam ipse Petrus epist. 2. cap. ult. asserit B. Pauli epistolas quandoque esse intellectu difficiles : Sed quid mirum, si Scripturæ sint obscuræ, cum altissima contineant mysteria, & moralem quam homo carnalis totis abhorret viribus? Sic patet quomodo iniquitas hæreticorum Protestantium mentiatur sibi, quum dicunt, quemlibet etiam plebeium posse facile intelligere Scripturam sacram & illam interpretari.

*Ad* id vero quod dicitur 2. Cor. 3. *Littera occidit*, distinguo, & Apostolus loquitur de lege veteri, quæ neque ad perfectionem docebat, neque post Christum utilis erat, concedo : nam ibidem subdit : *Si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere in faciem Moysis &c.* Et vult scripturam secundum se occidere & ad salutem nihil proficere, nego. Enimvero Apostolus vult solum Moysen dedisse legem gratia vacuam, sed gratiam per Christum dandam significasse &c.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Sacra Scriptura sunt fide dignissima.*

PRIMO : Apostolus Heb. 1. multis Scripturarum oraculis probat Christi divinitatem : vel ipse Christus Jo. 5. & 10. remittit Judæos adversus se obstrepentes, eo quod se faceret Deum, ad scripturas : Idem utitur Luc. 23. ut probet discipulis Emmaus incredulis necesse fuisse Christum pati & sic intrare in gloriam.

*Secundo* : Concinit Concilium Tridentinum quod decreto speciali eas declarat fidei regulas. Subscribunt Irenæus lib. 2. cap. 47. Chrysostomus Homil. 40. in Joan.

*Ter-*

*Tertio*: Ratio suffragatur I. Continent Verbum Dei II. Traditione Apostolica firmantur. III. Usus & possessio Ecclesiæ de hoc momento invaluit. Ergo &c.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Scripturæ quandoque falsa spirare videntur, sed attendenti nihil præter veritatem annuntiant, sic Gen. 1. mundus sex dierum spatio dicitur factus, Eccli. vero 18. totus simul creatus: Sed sensus est, Deum distinxisse opera intra sex dierum spatio quæ tamen in globo cuncta simul produxerat.

*Secundo*: Manna & Moysis virga a Prophetis in arca apposita sunt, unde non mirum si Moyses in libris Legalibus hæc omiserit.

*Tertio*: Mulieres portantes aromata ut iterata vice ungerent Christum dicuntur ab uno Evangelista venisse ad monumentum, cum adhuc tenebræ essent super terram, ab altero vero venisse, orto jam sole, prior loquitur de momento quo ex castello Magdalene exierant, ut properarent ad sepulchrum: posterior vero de tempore quo huc appulsæ quæsierunt Dominum. Nec mirum, distabat castellum una circiter leuca ab Jerusalem, hinc iter sic longius percurrendum erat, ut sol illucente sub finem diei aurora apparere cœperit. Et sic de cæteris objectionibus.

## SECTIO SECUNDA.

*Utrum Scriptura sacra sit ita aperta, ut sine explicatione sufficiat, ad controversias fidei dirimendas.*

NOTANDUM est sensum Scripturæ sacræ esse duplicem: unum scilicet naturalem, alterum vero Spiritualem seu mysticum. Primus est prima significatio qua verba significant rerum naturas: Secundus vero est eadem prima significatio, qua verba præter rerum naturas quas explicant, alium adhuc denotant sensum; & sic sensus spiritualis fundatur super litteralem: spiritualis vero dividitur in moralem, allegoricum, & anagogicum. Primus significat Christum ut Doctorem, vel aliquid quod mores instituat: Secundus est figurativus & designat aliquem cujus est imago: Tertius, significat res futuras, v. g. gloriam quæ nobis promittitur. Id omne brevi exemplo explicatur. Ly Jerusalem, v. g. significat litteraliter urbem Palestinæ; moraliter, significat animam nostram de diabolo triumphantem: allegorice, Ecclesiam; anagogice tandem, significat Paradisum. Jam sit

## CONCLUSIO.

*Scriptura sacra non est ita aperta, ut sine explicatione sufficiat ad controversias fidei diluendas, & terminandas.*

ISTA Propositio est contra Protestantes qui sic cæcutiunt ut credant quemlibet proprio nutu, & intellectu posse sacrarum Scripturarum sensum invenire.

Probatur auctoritate.

*Primo, ex veteri Testamento.*

DEUTERON. 17. hæc habentur: *Si difficile atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter causam & causam .... ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venie sque ad Sacerdotem Levitici generis: & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem*: Igitur in Scriptura est aliquid ambiguum, cujus explicationem fideles petere debent a doctoribus Ecclesiæ: Enimvero in illo Deuteronomii loco agitur de lege Dei, ut continet & mysteria & præcepta quæ spectant tum Dei cultum, tum etiam hominum mores. Hanc Scripturæ obscuritatem & intelligendi difficultatem agnoscit ipse Propheta Regius, qui licet in lingua Hebræa & lege peritissimus, divinum tamen invocat lumen, ut Scripturæ sensum intelligere queat. Sic enim loquitur Psal. 118. *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam.* Et iterum: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Quæ quidem verba ponderans S. Hieronymus epist. ad Paulinum de institutione Monachi, ait: " Si tantus Propheta tenebras „ ignorantiæ profitetur, qua nos putas parvulos & pæne lactentes inscientiæ nocte „ circumdari? „

*Secundo, ex novo Testamento.*

LEGITUR 2. Petri ult. Apostolus aperte dicit multa in Epistolis D. Pauli difficilia reperiri quæ indocti & instabiles in pravos detrahunt sensus, sic loquitur: *Charissimi ... satagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace .... sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de his: in* qui-

*quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Sed celebris est locus Actuum, cap. 8. in quo refertur Eunuchum Reginæ Candacis Æthiopum quamvis in scripturis versatissimum, eas enim diligenter ex pietatis affectu legebat, nec eas tamen intelligebat, hinc Philippus ejus curui adjunctus eum sic alloquitur: *Putas ne intelligis quæ legis?* Qui ait: *Et quomodo possum, si aliquis non ostenderit mihi?* Igitur Scriptura non ita aperta est, ut sine interpretationis ope intelligatur: hujus veritatis testem habemus ipsum Christum, qui Luc. ultimo discipuli Emmaus interpretabatur Scripturas. Igitur opus est interpretatione ad intelligendam canonicam scripturam.

Tertio, ex Patribus utriusque Ecclesiæ.

*Ex Græcis.*

IRENÆUS lib. 2. cap. 47. sic loquitur: " Si ergo & in rebus creatis, quædam quidem eorum adjacent Deo, quædam autem & in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum quæ in Scripturis requiruntur, universis scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem absolvamus secundum gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo & non solum in hoc seculo, sed in futuro, ut semper quidem Deus doceat, homo semper discat quę sunt a Deo? " Sed si foret ita apertus scripturę sensus, homo non semper discere indigeret: Igitur ex Irenęo, scriptura interpretatione opus habet.

*Origenes* secundus venit testis, nam lib. 7. contra Celsum sic ait: " Alii quoque cordati viri scrutando scripturam, intellectum ejus invenire potuerunt: licet revera sit multis in locis obscura. "

*S. Chrysostomus* suo confirmant calculo nostram sententiam multis in locis, præcipue vero homil. 40. in Joan. his verbis quę profert explicando illud Christi oraculum *scrutamini scripturas*: " Non dixit, *inquit*, legite scripturas: Sed scrutamini ..... non enim rem in superficie & in promptu positam effodimus: Sed quę tanquam thesaurus profunde reconditur. Qui enim hunc modiquerit, nisi summam adhibeat diligentiam & laborem, nunquam quęsita inveniet. " Mitto alios ut Basilium, & Gregorium Nazianz. qui teste Rufino lib. hist. Eccl. cap. 9. multum insudarunt, tum in evolvendis Scripturis sacris, tum in quęrendis sensibus.

*Ex Latinis.*

S. AMBROSIUS agmen ducet, epist. 44. ad Constantium sic loquitur: " Mare est Scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ęnigmatum. " Sed scriptura habens sensus profundos & altissimos, immo & ęnigmaticos non ita est aperta, ut interpretatione non indigeat: Ergo &c.

*Sequitur* Hieronymus qui epist. ad Paulinum de studio Scripturæ sacræ nostram confirmat sententiam, præcipue vero præfat. Commentariorum in epistolam ad Ephes. " Numquam, *inquit*, ab adolescentia, aut legere, aut doctos viros, quæ nesciebam, interrogare cessavi, aut meipsum habui Magistrum: Denique nuper ob hanc vel maxime causam, Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, & ab eo in scripturis omnibus quæ habebant dubia, sciscitarer. " Idem in epist. ad Algasiam, q. 8. sic habet: " Omnis epistola ad Rom. nimis obscuritatibus involuta est. "

*S. Augustinus* veterum placita multis in locis confirmat. lib. 2. doctrinæ Christianæ, cap. 6. de Scriptura sacra sic loquitur: " Multi & multiplicibus difficultatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt aliud pro alio sentientes. " Tum lib. 12. confess. cap. 14. " Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas, Deus meus! Mira profunditas; horror est intendere in eam: horror honoris & tremor amoris. " Denique epist. 3. sic effatur: " Tanta est Christianorum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. " Rursus epist. 119. cap. 21. totum definit, his verbis: " In ipsis sanctis Scripturis, multo plura nescio quam scio. " Qua fronte igitur dicent Lutherani Scripturas esse apertissimas, cum ipsiusmet Augustini mentem, confatente, aliquando fugiant?

*Denique* Gregor. homil. 6. in Ezechielem totum negotium concludit hac sententia; "

" Ma-

" Magnæ, *inquit*, utilitatis est ipsa ob-
„ scuritas eloquiorum Dei, quia exercet
„ sensum, ut fatigatione dilatetur, &
„ exercitatus capiat, quod capere non
„ potest otiosus. „

*Quarto, rationibus Theologicis.*

PRIMA sic exponitur: Illa Scriptura est obscura quæ habet in multis locis sensus obvios sibi contrarios: Atqui talis est Scriptura sacra: Et probatur. Exodi 20. habetur: *Ego .... Deus .... Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios*: Ezechielis vero 18. *Filius non portabit iniquitatem patris*. Igitur interpretatio necessaria est ad concordandam scripturam dicendo loqui in illo loco de pœna temporali, cui filii subjecti sunt propter Patris scelera, eo quod sit eorum caput: in secundo vero de pœna æterna quam nemo incurrit nisi propria culpa, juxta illud Apost. ad Gal. 6. *Unusquisque enim onus suum portabit*.

*Secunda*: Scriptura multas habet sententias altissimas, immo ambiguas, & etiam paraboliticas: Atqui ejusmodi sententiæ, ut plurimum non sumuntur in sensu obvio, juxta illud Christi Matt. 22. ad Judæos, qui illum putabant purum hominem & Davidis filium, *quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*? Ipse etiam Christus non semel explicavit parabolas discipulis suis, sicut parabolam seminis in terram projecti, quam de verbo Dei & prædicatione explanavit.

*Tertia* Collimat cum cœteris: Multa sunt in Scriptura oracula, quæ imperfecta continentur oratione, quæque sine interpretatione non intelliguntur; tale est illud Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt &c.* In tota periodo deest verbum principale quod suppleri debet. Item sunt orationes præposteræ, ut Gen. 10. *Isti sunt filii Sem secundum cognitiones & linguas, & regiones in gentibus suis*. Et vero sequitur immediate initio capitis undecimi: *Erat autem in terra labii unius, & sermonum eorumdem*.

*Denique* variæ sunt in lingua hebræa phrases propriæ, quæ præ se ferunt non modicum dubium; ut istæ: Psal. 118. *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis*. Quasi vero aliquis ultra mensuram posset Dei adimplere mandata. Rursus & illa Psalmi 118. *Anima mea in manibus meis semper*. In eadem Scriptura multi sunt tropi, multæ allegoriæ; & hyperbata quæ omnia ad litteram explicari non debent. Ergo &c.

*Quinto, ex contradictione ipsorum Protestantium.*

LUTHERUS, qui in præfat. assertionis suorum articulorum dixerat Scripturam esse per se clarissimam, contrarium dicit in præfatione in Psalmos; *Nullum*, inquit, *ab ullo id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit sanctissimorum & doctissimorum, idest, Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere & docere, sat est, aliquos & eosdem ex parte intellexisse. Multa sibi reservavit spiritus, quod nos semper discipulos habeat*. Et infra sic habet: *Scio esse impudentissimæ temeritatis, eum qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum a se in omnibus partibus intellectum*.

*Oziander* in confutatione scripti, quod adversus eum Philippus ediderat, testatur viginti sententias diversissimas de justificatione secundum Scripturas versari secundum Confessionistas.

*Brintius* contra Petrum a Soto dicit: impiis & incredulis tantum Scripturam esse obscuram: & in sua confessione VVirtembergica, capite de sacra Scriptura, sic loquitur: *Non est obscurum, quod donum interpretandæ scripturæ non sit humanæ prudentiæ, sed sancti Spiritus; Spiritus autem sanctus est liberrimus, nec est ad certum genus hominum obligatus, sed distribuit dona hominibus pro suo ipsius beneplacito*: Sed ex hoc principio sequitur scripturam non esse de se apertissimam, ita ut interpretatione non opus sit, alias non requireretur Spiritus sancti donum speciale. Ergo &c.

*Solvuntur objectiones Protestantium.*

OBJICIUNT I. Varia Scripturæ loca quibus suam conantur astruere sententiam. Primo quidem, illud Deuter. 30.

*Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.* Secundo, illud Psalmistæ 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Tertio, illud 2. Petri 1. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Quarto, illud 2. Cor. 4. *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum; in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii.* Ex primo loco mandatum est intellectu facile: ex secundo lex Domini se ipsa est lux illuminans: ex tertio scriptura est lucerna lucens in caliginoso loco: & ex quarto solum operta est impiis: Igitur scriptura est de se aperta, nec ulteriori indiget interpretatione, ut mente concipiatur.

*Respondeo*, hæc omnia probare quidem scripturam & illuminare oculos mentis, & adjuvante gratia facile intelligi: unde distinguo: Scriptura non indiget ulteriori interpretatione, ut sensus ejus comprehendatur, si adsit gratia adjuvans & illuminans, concedo: secus, nego.

*Ad* 1. locum distinguo, & loquitur Scriptura de præceptis Decalogi, quæ ut plurimum naturalia sunt, & intellectu facilia, concedo: de præceptis supernaturalibus, subdistinguo: non superant captum humanum gratia divina adjutum, concedo: in se relictum, nego. Immo non sine miraculo infinitum repetendo, etiam concessa lectoribus omnibus gratia, Scripturæ citra obscuritatem paterent, cum nemo certe sciat an spiritu Dei illuminetur, & agatur, quandoquidem satan non semel se in angelum lucis transformat; hinc semper requiritur propositio & explicatio credendorum ab Ecclesia facta, quippe quæ sola sit infallibilis.

*Ad* 2. distinguo, lex Domini illuminat, idest, aperit mentis oculos ut unusquisque sciat quænam sit voluntas Dei, concedo: Est de se lucida, subdistinguo: quantum ad aliquid concedo: quantum ad omnia, nego. Lex Domini duplici modo considerari potest: Primo-quidem quantum ad illuminationis effectum, deinde quantum ad se. Primo modo spectata dicitur lucida, juxta illud Psalmi 118. *Lucerna pedibus meis Verbum tuum*: Secundo vero modo considerata est utique lucida quoad se, sed non semper quoad nos; ut plurimum enim exhibet nobis mysteria quæ mentis aciem penitus fugiunt, unde sine propositione & explanatione ab Ecclesia facta, non percipitur clare ejus sensus.

*Ad* 3. utique distinguo, & loquitur S. Petrus de lege Evangelica quam gratia comitatur, concedo: Et vult scripturam de se esse apertissimam quoad sensus, nego. Eo loci ponit Apostolus discrimen inter veterem & novam legem, in eo quod ista clarior sit, & ipsis Prophetiis firmior; quia exhibet Christum promissum & veritatem præsentem, immo & gratiam quæ facta est per eumdem Christum Dominum; merito igitur dicit fidem in Christum, sermone prophetico firmiorem esse: quia exhibet veritatem figuris prophetarum longo tempore ante prædictam, jam adimpletam.

*Ad* 4. distinguo similiter, & vult sanctus Paulus Evangelium magis esse impiis opertum quam justis, concedo: Illi enim nedum voces Prophetarum & Evangelii audiant, verum etiam Spiritus sancti gratiam illuminantem procul faciunt: unde in eis adimpletur terribile Isaiæ 6. Vaticinium: *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava; & oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* Et vult scripturam esse per se notam quoad nos, nego.

*Instans*: Hoc est inter vetus & novum Testamentum discrimen, quod omnia in illo figurative contingerent, adeoque obscure, secus vero in isto: Ergo &c.

*Respondeo* distinguo, omnia obscure contingebant in veteri Testamento, tam quoad se, quam quoad nos, concedo: quoad nos solum, nego. In veteri igitur Testamento mysteria, maxime Incarnationis, solum in figuris, ut plurimum revelabantur, & semper ut futura, in novo vero in se & tanquam præsentia exhibentur, unde figurarum obscuritas evacuata est in posteriori, sed omnino quoad nos: Quis enim intelligere potest nisi adjutus a gratia & ab Ecclesia, Verbum incarnatum esse, Deum immensum pannis involutum

&c in

& in carne infantis conclusum, & ut verbis divi Bernardi utar, verbum infinitum abbreviatum?

*Insistunt:* Patres primorum sæculorum sine Ecclesiæ interpretatione intelligebant scripturas: Igitur & nunc sine commentariis intelligi possunt, quandoquidem ab actu ad posse valet consequentia.

*Respondeo* distinguendo, Patres primorum sæculorum intelligebant scripturas absque interpretatione scripta, concedo: absque interpretatione divinæ vocis oraculo data, nego. Habebant ipsos Apostolos, vel eorum discipulos interpretes, & legitur non semel in 'actibus ipsum Paulum explicasse scripturas in orationibus quas habebat apud Judæos de Christi divinitate: fuisse doctores in Ecclesia, inter quos numerantur Barnabas & alii permulti, qui interpretabantur Scripturas satis constat: Immo in veteri lege erant Gymnasia ad hunc finem instituta, qui legis sensum secundum Prophetarum traditionem aperirent. De ejusmodi doctoribus multus est sermo Act. 7. Habetur enim multos & Alexandrinos, & Cyrenenses disputasse cum Stephano. Cæterum res claret ex Concilio Apostolorum, qui adunati explicaverunt scripturas in Gentilium gratiam ne cæremoniis legalibus subjicerentur. Addo Papiam apud Eusebium lib. 3. cap. ult. & Clementem Alex. lib. 1. Stromatum numerare Apostolorum discipulos Praceptores suos, & in iis præcipue Parthenum; postea Justinus & Irenæus cœperunt commentaria in divinas Scripturas dare, & alii post eos. Sic refert S. Hieronymus lib. de viris illustribus.

*Urgent*: S. Chrysostomus homil. 3. de Lazaro, primo quidem ostendit Philosophos fuisse obscure locutos, minime vero „ Apostolos & Prophetas: Apostoli vero & Prophetæ omnia contra fecerunt, manifesta claraque quæ prodiderunt, exposuerunt nobis veluti communes orbis Doctores, ut per se quisque discere possit ea, quæ dicuntur, & sola lectione, unde homil. 3. in 2. ad Thessal. ait: " „ Quamobrem opus est concionatore? Omnia clara sunt & plana ex Scripturis divinis, sed quia delicatuli estis Auditores, „ delectationem audiendo venantes, propterea concionatores quæritis', „ Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo, & Chrysostomus loquitur de novo Testamento comparative ad vetus, concedo: & loquitur de novo Testamento, subdistinguo, quoad aliquid, concedo: quoad omnia, nego. Chrysostomus auditorum torporem excitare contendit ad legendum scripturas, dicendo, nunc omnia nova esse & clara, & absque figuris concinnata; immo & plura in scripturis contineri quæ intellectu facilia sunt, quales sunt historiæ, qualia præcepta naturalia, & miracula ab Apostolis patrata, quæ omnia non modicum juvant, tum ad consolationem animæ, tum ad ejus sanctitatem. S. Doctor est sui ipsius interpres, nam in eadem homil. sic loquitur: " „ Quid igitur, *inquiunt*, si non intelligamus ea quæ continentur in libris? „ Maxime quidem, etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascuntur sanctimonia. „ Tum testatur se loqui tantum de historiis & limitibus punctis, cum dicit scripturas esse de e apertas; sic enim ibidem fatur: " Sume librum in manu, lege historiam omnem, & quæ nota sunt, „ parumque manifesta, frequenter percurre. Quod si non poteris assiduitate „ lectionis invenire quod dicitur, accede „ ad sapientiorem, vade ad Doctorem. „ Et sic patet solutio ad 2. Ita seipsum explicat hom. 3. in 2. ad Thessalon. nam post verba in objectione prolata, ait. " „ Quæ est ista obscuritas? Dic, quæso, „ non historiæ sunt? Nosti quæ clara „ sunt. Quid de obscuris rogas?

*Retorquent*: S. Augustinus lib. 2. doctrinæ Christianæ, cap. 6. sic loquitur: " „ Magnifice & salubriter Spiritus sanctus „ ita scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus „ autem fastidia detergeret. Nihil enim „ fere de illis obscuritatibus eruitur, „ quod non planissime dictum alibi reperiatur. „ Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo, quædam loca explicantur per alia quantum ad aliquid, concedo: quantum ad omnia, nego. Ultro fatemur cum Augustino quædam scripturæ loca esse clara comparative ad alia, & ad istorum explicationem concurrere, sed negamus ita esse aperta, ut sine interpretatione, vel propositione Ecclesiæ intelli-

teron.32. *Memento dierum antiquorum.* Et illud 67. *Quanta audivimus & cognovimus ea.* Quibus positis sit

## CONCLUSIO.

*Libri veteris Testamenti ab Ecclesia in canone adsciti, sunt genuini.*

Probatur octo argumentis.

## PRIMUM ARGUMENTUM.

*Ex ipsa Scriptura deducitur.*

ILLI libri sunt genuini, qui tales habentur ex ipsa Scriptura: Atqui vel ipse scripturæ testimonium perhibent de genuitate librorum veteris Testamenti: Ergo &c. Probatur minor multis momentis. I. Exod. 17. 14. Deus jubet Moysi ut scribat victoriam super Amalecitas reportatam. II. Cap. 24. 84. jubet ut mandata sua scriptis mandentur. III. cap. 27. 34. habetur: *Scribe verba hæc: quibus tecum & cum Israel pepigi fœdus.* IV. Deuter. 31. v. 9. sic legitur: *Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus, Filiis Levi & cunctis senioribus Israel.* Tum v. 24. *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine atque complevit, præcepit Levitis, dicens: tollite librum istum & ponite eum in latere Arcæ fœderis, ut sit ibi contra te in testimonium.* V. Josue 1. 8. habetur: *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo.* Et cap. 8. 32. *Scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysis.* Nomine autem legis intelligitur totus Pentateuchus, ut constat ex lib. 1. Paralipom. cap. 30. v. 15. & 31.

*Pro* libris historialibus liquet eos veritatem præcontinere, tum ex conformitate quam habent cum libris Legalibus, ut dicetur infra, tum quia ipsi historici Pagani eadem referunt quæ in ipsis continentur. De cæteris redibit sermo in sequentibus argumentis, & quando de eis in particulari tractabimus: Igitur omnes libri veteris Testamenti sunt genuini, maxime quia Legales mandato Dei scripti sunt, & Tridentinum eos sua definitione declarat genuinos.

## SECUNDUM ARGUMENTUM.

*Ex conformitate veteris Testamenti ad invicem.*

ILLÆ Scripturæ sunt genuinæ, quæ de se mutuo testimonium perhibent. Quorum auctores sunt unius labii, & mutuo conveniunt de rebus quamvis sæpissime disparatis: Atqui tales sunt Scripturæ V. T. Ergo &c. probatur minor quoad primam partem: sæpius fit mentio in aliis Scripturis de libris Moysis, sic Judicum, cap. 3. v. 3. 3. Reg. cap. 2. v. 3. 4. Reg. cap. 16. lib. 6. 2. Paralip. cap. 8. 13. Tobiæ 1. lib. 18. Psalmo 102. lib. 7. Ecclesiast. 24. 33. Baruch. 2. 28. Daniel 9. 11. Malach. 4. 4. Et aliis in locis multus est sermo de libris Legis. Quid plura? Omnes Evangelistæ & S. Stephanus in Actibus: Paulus vero passim in suis epistolis perpetuo citant legem, id est, Pentateuchum: Sed si Moyses falsa aut dixisset, aut scripsisset, a cæteris auctoribus, alias sanctissimis non adduceretur in testimonium pro veritate confirmanda: Ergo &c.

*Quoad* secundam partem, nempe Scripturas sacras mirum in modum inter se convenire, docet S. Augustinus, lib. 18. de civ. Dei, cap. 41. his verbis: " Ut autem jam cognitionem omittamus historiæ, ipsi Philosophi, qui non videntur laborasse in studiis suis, nisi ut invenirent quomodo vivendum esset accommodate ad beatitudinem capessendam; ... tamen nonnullos, certe plurimos eorum fuisse concedam, quos a suis doctoribus, vel discendi sociis, amor veritatis abruperit, ut pro ea certarent, quam veritatem putarent, sive illa esset, sive non esset ... auctores nostri in quibus non frustra sacrarum litterarum figitur & terminatur canon, absit ut inter se aliqua ratione dissentiant. "

*Idem* S. Doctor fusius explicat ibidem infra sapientum Paganismi discordias in veritate conquirenda: nostrorum vero concordiam atque consensum: " Quis autem, ait, sectæ cujuslibet auctor hic est in hac dæmonicola civitate approbatus, ut

 " cæteri

„ cæteri improbarentur, qui diversa & „ adversa senserunt? Nonne apud Athe- „ nas & Epicuri clarebant, asserentes res „ humanas ad Deorum curam non per- „ tinere: Et Stoici, qui contraria sen- „ tientes, eas regi atque muniri Diis ad- „ jutoribus atque cultoribus disputabant? Tum concludit Gentilium scholas fuisse confusionem, postea convertens sermonem ad gentem Judaicam, quæ nobis scripturas antiquas exhibuit, sic loquitur: „ At vero gens illa, ille populus, illa civi- „ tas, illa respublica, illi Israelitæ, qui- „ bus credita sunt eloquia Dei, nullo „ modo Pseudo-Prophetas cum veris Pro- „ phetis pari licentia confuderunt: Sed „ concordes inter se atque in nullo dis- „ sentientes, sacrarum litterarum vera- „ ces ab eis agnoscebantur, & tenebant- „ tur auctores. „

*Confirmatur*: Illi auctores fuerunt unius labii, qui nihil in sententiis scripturarum immutavere: Atqui res sic se habuit pro vet. Test. & probatur. Primo quidem & Prophetæ, & alii citant libros Legis eo modo quo a Moyse conscripti sunt: Item textus Samaritanus pari modo retinuit totam legem seu Pentatheucum: simili modo istum seniores Græcæ linguæ reddiderunt pro Ptolemæi Regis Ægypti Bibliotheca: Ergo &c. Cæterum non semel laudantur a Christo & ab Apostolis. Ergo. &c.

## TERTIUM ARGUMENTUM

*Desumitur ex conformitate quam Libri sacri habent cum auctoribus prophanis, qui multa in eis hauserunt.*

Testimonium habent Scripturæ divinæ ex inimicis suis, qui legentes Moisis libros, multas postea ejusdem sententias modo fabulis, modo etiam Philosophiæ scriptis celebrarunt; unde sequitur istud ratiocinium: Illi libri sunt genuini, de quibus testimonium reddunt vel ipsi Pagani, & de quibus mentionem faciunt: Atqui res sic contigit: Ergo &c. Probatur minor multipliciter.

*Auctor* Carminum Orphicorum ab Hesiodo in Theogonia multa refert & tradit de creatione quam legerat in libris Moysis.

*Ovidius* lib. I. Metamor. Virgilius Eglog. 6. & lib. 6. Æneid. plurima de Paradiso terrestri, & creatione, & alibi de pœnis malorum & coronis justorum dixerunt.

*Vossius*, Bochartus & Huetius probant Theologiam Paganorum ex libris Moisaicis fuisse derivatam, ita Huetius, in demonstrat. Evangel. propos. 4. cap. 3. Quid plura commemorem? Xenophon apud sanctum Cyrillum lib. I. contra Julianum: Pythagoras apud eumdem mirabilia referunt de Deo uno & Creatore, quæ profecto legerant in libris Legis.

*Plato* inter omnes insignis tot & tanta tum de Deo uno Trino, tum de Providentia scripsit, ut quasi divinus haberetur in Scholis Catholicis. Enimvero in Timæo, ut refert Euseb. lib. II. præparat Evang. cap. 13. dicit Deum esse mundi exemplar & Auctorem. Ibidem hanc Exod. 3. 14. Moysis sententiam: *Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum: Sic dices filiis Israel: qui est misit me ad vos*: Tum ait: *Quid illud est, quod semper est, nec tamen ortum ullum habet? Quid illud contra quod semper nascitur, & nunquam est? Prius illud quidem, quod semper atque eodem modo est ab sola intelligentia cum ratione percipitur.*

*Rursus* in Epimenide multa dicit affinia de Trin. iis quæ leguntur Gen. 19. *Dominus pluit super Sodomam ignem*. Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis*: Psal. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt*. Gen. I. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Sic enim loquitur: " Honores habemus, sic „ tamen, ut non jam annum alteri, al- „ teri mensem, dies aliis tribuamus, „ aut nullum omnino tempus, quo suam „ quilibet conversionem absolvat, dum ad „ mundi, quem verbum omnium longe „ divinissimum conformavit, perfectionem „ ipse concurrit. Quod quidem verbum „ quisque beatus est primum admirari, „ tum ejusdem, quatenus mortali naturæ „ fas est, cognoscendi amore ac studio „ teneri solet. „ Plura dicit in epist. ad Hermiam, Heraston, & Choriscon, ut refert Euseb. lib. II. præpar. Evang. cap. 16. ubi ita concludit: An non tibi videtur „ Plato dum hæc ait, Hebræorum dog- „ matibus insistere? " Plura refert R. Pater Alex. in historia veteris Testam. quartæ ætatis, proposit. 2. Ergo &c.

QUAR-

## QUARTUM ARGUMENTUM.

*Petitur ex conformitate quam Moyses habet cum historiis Paganorum de rebus civilibus.*

Illæ Scripturæ sunt veræ & genuinæ, quæ multa referunt de rebus civilibus, eo prope modo quo Historici Ethnici enarrant : Si enim falsa scripsisset Moyses, profecto neque ipse conveniret cum aliis Auctoribus, neque cæteri Auctores, maxime Pagani, illi affines forent : Atqui hoc ipsum compertum habemus : Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

*Primo quidem* Pagani usi sunt Canticis ut facta Heroum suorum celebrarent, ut refert Theodorus Siculus, lib. 1. Sic Homerus versibus cecinit præclara Regum Græciæ facinora. Sic Virgilius in duodecim libris Æneæ describit virtutes. Ita pariter Moyses Exodi 15. versibus celebrat victoriam super Pharaonem reportatam : *Cantemus*, inquit, *Domino : gloriose enim magnificatus est , equum & ascensorem dejecit in mare*.

*Secundo* : Historici prophani referunt homines primis temporibus mœniis circuisse domos, ut contra feras, sed potissimum contra hostes invidos vitam & bona sua defenderent. Moyses vero loquitur de variis urbibus a filiis Adæ & Noe constructis, immo & temporum facta multa scriptis consignat, ut legenti patebit. Isaias loquitur de Cyro : Daniel de Imperio Chaldæorum, Persarum & Græcorum : & in iis omnibus saltem quoad substantiam concordant Scripturæ cum iis quæ auctores prophani tractant.

*Tertio* : Legitur in antiquis auctoribus multa extitisse idolorum templa in Ægypto, & tempore Abrahæ idolum Betu colebant Babylonii, Dianæ, Ephesini : Pausanias lib. 10. mentionem facit de lapidibus quos adorabant homines. Porro Moyses sæpissime loquitur de idolis Gentium quæ stricte prohibet populo suo, ut legitur Gen. 28. c. 18. Plura de hoc momento dicere supersedeo, cum eadem fuse in tractatu attributorum tractemus.

## QUINTUM ARGUMENTUM.

*Petitur ex revelatione librorum veteris Testamenti.*

Isti libri sunt genuini qui habent pro solo Auctore Deum : Atqui libri veteris Testamenti solum habent Deum auctorem : Igitur sunt genuini : major patet ; enimvero omnibus attestantibus nationibus, sola suprema numina effari possunt & mysteria, & cætera quæ captum superant humanum. Probatur igitur multipliciter minor, in qua quidem aliqua posset esse difficultas.

*Primoquidem* Moyses enarravit creationem, ea scilicet quæ jam elapsis multis ab ipso sæculis facta erant : tum multa præsentia, qualia erant colloquia cum Deo habita ; item de supremi Numinis natura, tum de lege mirabili, tum etiam de cultu : Item & multa futura de incarnatione, quorum eventus veritatem probavere, quæ quidem omnia erant penitus extra captum humanum. Igitur a solo Deo discere potuit.

*Secundo* : Moyses erat homo rudis & pastor ovium sicut & inter populum Judaicum proceres multi, ut legitur Gen. 46. unde nec ipse, nec Joseph, aliique Patriarchæ sapientia percelebres, seclusa revelatione, abscondita eructare potuerunt, divinitatis mirabilia enarrare , sicut de facto fecerunt , sive explicando somnia & ænigmata , sive solvendo dubia , ut cum Daniel legit & explicavit coram Balthassar scripturam digestam contra candelabrum.

*Tertio* : Non solum Moyses, & Prophetæ dura admodum annuntiabant, & difficilia modo Plebeiis, modo Nobilibus, modo etiam Regibus, quæ profecto aut rejecta, aut plurimum contestata fuissent , nisi veritatem a Deo promanatam dictis, sententiisve propalassent. Quinimmo Samaritani alias Judæorum hostes aperti & ipsis tum moribus, tum patria, tum etiam religione dissoni, attamen textum legis & servaverunt, & multi tecere. Igitur certum est scripturas a Deo fuisse inspiratas. Quod & confirmat factum Cyri I. Persarum Regis, qui eo honoris & reverentiæ gradu habebat Scripturas & præcipue Isaiam Prophetam, qui de ipso multa

„ Joſue antiquitatem colligitur non ſolum ex „ multis illis Regibus Ethnicis, qui citra & „ ultra Jordanem victi, & diſſipati ſunt a „ Joſue ex antiquitate Chananeæ regionis, „ quam ſuis armis occupavit Joſue, ſed „ etiam ex vetuſtiſſimis fabulis Gentilium, „ qui perſonam Herculis impoſuerunt Joſue, ut videre eſt apud Gerardum Voſſium lib. 1. de idolatria cap. 26. & apud „ Illuſt. Abricenſem Epiſcopum in ſua „ demonſtratione Evangelica propoſit. 4. „ Libri vero Iudicum vetuſtas apparet „ ſive ex ſervitutibus Iſraelitarum ſub „ Regibus Meſopotamiæ, Moabitarum, „ Chananæorum, Madianitarum, Ammonitarum, Philiſtæorum, &c. Sive e„ tiam ex Ritibus, & fabulis, quas Greci, aliæque gentes ex hoc libro comminiſcendi anſam, & occaſionem arripuerunt, ut erudite probat ibidem ſæpe „ laudatus Abricenſis Epiſcopus. Antiquitati quatuor Librorum Regum ſuffragantur quoque Ethnici Scriptores. Conſtat quippe ex Tyriorum annalibus, „ Hieroſolymitanum Templum toto pene ſeſquiſæculo ante fuiſſe conſtructum, quam Carthago conderetur. Meminerunt etiam idem Annales Salomonis filii Davidis, & Hiromi, ſeu Hirami Regis Tyri, qui, ut dicitur lib. „ 3. Reg. cap. 5. conceſſit Salomoni cæſores lignorum ad Templi ædificationem. Docent nos etiam Chaldæi in ſuo Mathematico Babyloniorum Regum „ canone tempus Mardokempadi, ſeu „ Merodachi Regis Babylonis, qui ad „ Ezechiam Regem Juda legationem miſit, cujus mentio lib. 4. Regum cap. „ 20. tempus etiam nobis aperit. Idem „ Mathematicus Babyloniorum canon Nabocolaſſari ſeu Nabuchodonoſori, qui Judæos abduxit in captivitatem Babylonicam. Per eumdem canonem cognoſcimus tempus Ilverodami, ſeu Evilmerodachi, qui Ioachinum Regem Juda „ exemit e vinculis, ſicut legitur lib. 4. „ Regum cap. 25. Porro ſinceritate & antiquitate quatuor librorum Regum ſemel „ probata, & ex Gentilium teſtimoniis „ confirmata, non ſolum pateſcit antiquitas „ duorum librorum Paralipomenon, qui „ cum hiſtoria Regum Juda, & Iſrael „ deſcripta in quatuor libris Regum arctiſſimo vinculo connexi ſunt, ſed etiam apparet antiquitas multorum librorum veteris Teſtamenti: nam Salomon filius Davidis Regis, cujus Gentilium, ſeu Tyriorum annales meminere, auctor eſt libri Proverbiorum, „ libri Eccleſiaſtici, libri Cantici Canticorum, & ex ipſius ſcriptis ut plurima maximi ponderis momenta evincunt, „ excerpti ſunt liber Sapientiæ, & liber „ Eccleſiaſtici, quem Jeſus filius Sirach „ digeſſit, & concinnavit. David Rex, „ pater Salomonis, eſt præcipuus auctor „ libri Pſalmorum. Prophetæ ſuos conſcripſerunt libros ſub Regibus Juda, „ multaque facta hiſtorica narrant, quorum antiquitatem produnt libri quatuor Regum, & Mathematicus Babyloniorum canon. Liber Tobiæ deſcribit „ res ſub Salmanaſare, & Sennacherib „ Aſſyriorum Regibus geſtas, quarum antiquitatem demonſtrant libri quatuor Regum, & duo libri Paralypomenon. „ Denique aliorum librorum veteris Teſtamenti antiquitatem probant Hiſtoriæ quæ in illis deſcribuntur. Duo ſi „ quidem libri Eſdræ exhibent Hiſtoriam „ ſub Perſarum Regibus, maxime ſub „ Cyro, ſub Dario Hyſtaſpide, & ſub „ Artaxerxe Longimano quorum Regum „ antiquitatem, & tempora figit Mathematicus Babyloniorum Regum canon. „ Liber. Judith narrat hiſtoriam, quæ contigit ſub Nabuchodonoſore Aſſyriorum „ Rege, quem viri eruditi opinantur „ fuiſſe Saoduchiſnum filium Aſſaradon, „ qui debellavit Dejocem Regem Medorum, a quo ædificata eſt Ecbatana, & „ cujus antiquitatem nos docet Herodotus. Liber Eſtheris deſcribit hiſtoriam, „ quæ ſpirat antiquitatem Artaxerxis Longimani rerum Perſicarum Scriptoribus „ apprime notam. In duobus Machabæorum libris deſcribitur ſtatus Iudæorum „ ſub Regibus, qui poſt obitum Alexandri Magni regnarunt in Ægypto, & in „ Syria, quorum antiquitatem nos docet „ hiſtoria Gentilium. Uno verbo, antiquitatem Scripturæ ſacræ probant vetuſtiſſimus canon Librorum ſacrorum, „ quem Eſdras, poſt laxatam a Cyro Perſarum Rege captivitatem Babylonicam, „ condidit, & verſio græca librorum veteris Teſtamenti, quam LXX. Interpretes juſſu Ptolemæi Philadelphi Ægyptio-

„ ptiorum Regis adornarunt trecentis „ ferme annis ante ortum Christi Domini „ Servatoris nostri. Negari igitur non potest, libros veteris Testamenti, qui apud Christianos *Scriptura Sacra* appellantur, antiquissimos esse, proinde divinitus esse inspiratos, cum in illis bene „ multa prænuncientur futura, quorum „ veritatem eventus certissime comprobavit, sicut liquido ex libris novi Testamenti, & ex historia Jesu Christi Domini demonstratur. „

## SEPTIMUM ARGUMENTUM.

*Petitur ex sanctitate libr. vet. Testamenti.*

Illi libri sunt genuini qui doctrinam e cœlo delapsam tum de mysteriis, tum de moralitate tradunt: Atqui tales sunt libri veteris Testamenti: Igitur sunt genuini. Major patet ex supra dictis; si enim Spiritum sanctum habent Auctorem, profecto legitimi censeri debent. Probatur igitur minor ex multis momentis.

*Primo quidem*: Gentes dure tractabant servos suos, ita Plutarchus in vita Lycurgi de Lacedæmoniis: Xenophon. lib. 1. rerum mirabilium dicit amicos beneficiis præveniendos esse, inimicos vero alternatis offensis vincendos. Non sic venerabilis Moyses: præcipit enim populo erga servos mansuetudinem, Exod. 20. Levit. 19. sic alloquitur populum: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo: Sed publice argue eum ne habeas super illo peccatum, Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.*

*Secundo*: Usus sic invaluerat apud Gentiles passiones etiam obscœnissimas & creaturas venerari, sic inter Deos adscripserunt Jovem multis pudendis voluptatibus famosum, sicut & Venerem: item & furem Mercurium, aliosque ejusmodi nefandos homines, de quibus multus est sermo apud primorum sæculorum Patres: E contra vero lex vetus jubet adulteros lapidari, & pœnas tum pro furto, tum pro aliis criminibus & peccatis injungit gravissimas, ut passim legitur in libris Legis.

*Eusebius* lib. 6. præpar. Evang. cap. 10. alia horrenda refert de Paganis: " Apud „ Persas, *inquit*, lex erat, qua non sua „ tantum aut sorores, sed ipsas quoque „ matres secum matrimonio jungere licebat. „ Non sic Judæi, qui in ea instituti erant morum integritate, ut etiam Ethnici insignem eorum philosophandi rationem laudarent, ut scribit Josephus in libris contra Appionem, & Eusebius lib. 9. præparat. Evang. Tum venit in testimonium Theophrastus a Porphyrio laudatus lib. 1. de rerum animatarum abstinentia: " Si ex „ Syris, Judæis, *ait*, qui quod institutum „ apud eos, jam inde ab initio hoc sacri„ ficii genus fuerit, etiamnum animantes „ immolant, eodem quo ipsi, ritu sacra „ facere nos juberent, nunquam eo nos „ adduci pateremur ... diebus illi singulis „ dum ejusmodi sacris operam dant, cum „ jejunio sese dedunt, tum de divino nu„ mine, uti homines ipso genere Philoso„ phos decet, toto illo tempore sermones „ inter se miscent: Noctu autem sidera „ defixis in cœlum oculis contemplantur, „ suas interea preces atque vota Deo „ nuncupantes. Hi enim non cæteras „ tantum animantes, sed etiam semetipsos primi omnium offerre cœperunt, necessitate profecto, non cupiditate ducti. „

*Quid* referam de sacrificiis Judaicis tum ad gratias agendum Deo pro beneficiis acceptis, tum ad recognoscendum supremum ejus dominium, tum etiam ad expianda peccata institutis, ita ut Deum undequaque ista religio & in Sacramentis, & in cæremoniis saperet atque redoleret? Ergo &c.

## OCTAVUM ARGUMENTUM.

*Petitur ex miraculis, quibus confirmata est librorum veteris Testamenti veritas.*

Illi libri habendi sunt tanquam legitimi & genuini, qui Deo loquente & operante confirmati sunt: Atqui tales sunt v. g. libri veteris Testamenti. Et probatur multipliciter.

*Primo*, Deo inspirante scripti sunt, juxta illud in libris Legis, sæpius repetitum, maxime in libro Exod. & Levit. *Locutus est Dominus ad Moysem &c.* Ergo &c. Tum & in libris Prophetarum, sic Jerem. 1. *Factum est Verbum Domini ad me dicens &c.*

*Secundo*, Spiritus sanctus sermonem confirma-

firmavit multis portentis & miraculis. Moyses operatus est stupenda coram Pharaone, ut legitur de plagis Ægypti Exod. 8. 9. & 10. manna nutrivit populum in deserto & panem cœli dedit eis: item & rupes sese effuderunt in fontes aquarum, quinimmo, aquæ amaræ factæ sunt dulces. Corruerunt mœnia urbis Jericho in præsentia arcæ: Daniel somnia inpervia explicavit: Elias mortuum ad vitam evocavit &c. Ut passim habetur in veteri Testamento. Ergo &c.

*Frustra* Pagani haberent ista portenta tanquam fictitia. Enimvero prodigia Moysis apparuerunt & facta sunt in conspectu populi magni, qui ipsum aut de mendacio, aut de falsitate profecto arguisset, maxime cum eum propter vituli conflatilis adorationem, & alia crimina usque ad internecionem punierit. Idem utique in vindictam egissent Sacerdotes, qui ab Esdra post captivitatem propter peccata ab Officio exauctorati sunt: quod tamen facere neque ausi sunt, neque ullomodo tentavere: quare? Nisi quia compertum habebant Scripturas esse divinas atque irrefragabiles: eadem de causa Samaritani quantumvis Genti Judaicæ contrarii, eas summo prosequebantur veneratione. Ergo &c.

*Solvuntur objectiones.*

OBJECTIONES sunt in triplici differentia: quædam petuntur ex suppositione vel etiam defloratione Librorum sacrorum: quædam ex contrarietate quam præseferre videntur cum Scripturis novi Testamenti: quædam etiam eorum antiquitati adversantur, unde sit

*Argumenta Heterodoxorum ex suppositione, vel etiam defloratione deprompta.*

OBJICIUNT I. Multi veteris Testamenti libri suppotititii apparent. Igitur non sunt genuini. Probatur antecedens. In suspicionem falsæ aut saltem dubiæ fidei veniunt. Et probatur. Lib. 4. Reg. cap. 22. dicitur, Helciam Sacerdotem, regnante Josia, invenisse Deuteronomium, tum Esdras a captivitate solutus libros sacros, ut potuit, collegit: sed tunc temporis potuerunt libri adulterini inter sacros confundi & tanquam genuini supponi. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens, & ejus probationem. Ad confirmationem, distinguo: potuerunt supponi libri falsi, veri, & protegente Deo, illud non evenit, concedo: & hoc contigit, nego. Nec mirum: hoc difficile admodum erat, tum quia perpetua fit mentio de iis in aliis utriusque Testamenti libris, tum quia tota natio Judaica, non solum erat testis oculata; verum etiam traditione perpetua librorum tenebat veritatem: testes utique erant Samaritani, qui profecto reclamassent, si aliquam in lege deflorationem comperissent: quinimmo testis fuerat Ægyptus miraculorum & factorum, quibus veracitas textus sacri consignabatur. Denique Esdras & Nehemias nihil potuerunt aut addere quoad substantiam Libris sacris, aut quod pejus fuisset, fabulas componere & adinvenire nisi assentientibus Sacerdotibus, qui etiam restitissent, tum ut suæ satisfacerent conscientiæ, tum etiam ut in officio consueto, eoque Sacerdotali se servarent ab omni calumnia & injuria immunes, quandoquidem Esdras & Nehemias multos ab officio deposuerant, eo quod a lege Dei defecissent.

*Instant*: Quædam Scripturæ loca aliter citantur a quibusdam Patribus quam reperiuntur in textu vulgatæ: Igitur non solum libri spurii potuerunt supponi genuinis, sed & de facto suppositi sunt. Confirmatur: Ebionitæ Evangelium duntaxat Matth. admittebant, Cerinthus & Carpocrates Lucam integrum rejiciebant. Severiani vero Acta Apostolorum & D. Pauli Epistola. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Quædam Scripturæ aliter citantur & hoc leviter, concedo: aliter quoad sensum & sententias, nego. Nec mirum, teste enim Hieronymo, fuerunt diversæ Scripturæ lectiones, sicut & diversi textus, unde factum est ut inveniantur quædam in expressionibus variationes, qua de causa Concilium Tridentinum approbavit vulgatam tanquam autenticam, ne fideles venenoso hæreticorum sibilo seducti titubarent in fide; ne etiam daretur processus in infinitum in critice & disputationibus, quæ ut plurimum nihil prosunt nisi ad subversionem

nem audientium: non tamen alios reprobavit textus, quinimmo maxime ponderat in Ecclesia versio 70. Interpretum, nec non & textus Samaritanus.

*Ad* confirmationem, distinguo: & auctores laudati tales sunt, quibus nulla fides debetur, concedo: & illis credendum est, nego. Usus invaluit apud heterodoxos Scripturas suæ sectæ oppositas aut rejicere, aut deflorare etiam in substantia: sic novissimis sæculis eas decies defloraverunt Protestantes, nempe in decem editionibus Bibliorum Genevæ factis.

*Urgent*: Multi libri suppositirii; quinimmo fabulosi quondam apparuere, ut Evangelium Petri; Canones circiter 80. & similia Apostolis falso attributa. Igitur non est absolute credendum Scripturis, nec putandum saltem omnes legitimas esse.

*Respondeo* negando consequentiam & paritatem. Enimvero definitio Ecclesiæ quæ successive & matura deliberatione prævia declaravit Libros sacros esse genuinos, omne tollit dubium. Revera quidem, nam Libri sacri extabant omnes Justini & Polycarpi temporibus, hoc est, ante annum Christi 150. si qui fuissent suppositirii, vel hoc contigisset viventibus Apostolis, vel circa eorum tempora & paululum post eorum mortem: Sed neutrum dici potest, nam B. Joannes, teste Irenæo, vixit usque ad Trajani ævum, id est, usque ad annum gratiæ centesimum vel centesimum secundum: non potuerunt igitur Libri sacri tunc temporis supponi, alias reclamasset Propheta Evangelicus: neque etiam sub initium secundi sæculi, quandoquidem omnes Asiæ Ecclesiæ & Patres Libros sacros & receperant & præ oculis habebant, adeoque nusquam aut deflorari, aut inter falsos circumferri passi fuissent.

*Insistunt*: Libri Sibyllini a multis tanquam suppositirii in secundo sæculo habiti sunt: eos tamen Justinns & Theophilus, nec non & Augustinus tanquam genuinos habuerunt: Igitur similiter & a pari quosdam Bibliorum libros, quamvis apocryphos, tanquam tamen genuinos habere potuit Ecclesia.

*Respondeo* negando consequentiam & paritatem. Libri enim Sibyllini erant & obscuri, & prophani, unde nullum erat inconveniens eos rejicere: cum enim Romani multa dixissent de Sibyllis, & quædam etiam apud Græcos nomine Sibyllarum opera circumferrentur, non mirum si a quibusdam Patribus recepti sint, non quidem tanquam fidei regulæ, sed ut historia prophana Christum in aliquibus capitibus nonnihil adumbrans: at vero Libri sacri tanquam fidei regulæ habiti sunt; unde totus mundus reclamasset, si aliqui fuissent suppositirii.

*Respondeo* II. distinguendo antecedens. Libri Sibyllini recepti sunt ab aliquibus particularibus, & tanquam historia prophana, aut saltem humana, de qua quilibet sentit quod vult, concedo: fuerunt recepti ab Ecclesia tanquam Historia sacra, cui cuncti Fideles credere tenerentur, nego.

*Reponunt*. Libri sacri potuerunt corrumpi & deflorari: Igitur & supponi.

*Respondeo* distinguendo antecedens. Et protegente Deo, nusquam deflorati sunt in substantia, & quoad sententias, concedo: secus, nego. Primum patet, quandoquidem vel ipse Christus non semel remittebat Pharisæos ad Scripturas, ut earum oraculis comprobarent vera esse, quæ, tum de ejus missione, tum de humani generis redemptione prædicabat, quod profecto nullius fuisset roboris si textus originales deflorati fuissent. Cæterum varia erant exemplaria in Ecclesia Alexandrina, Jerosolymitana, Antiochena, & Romana, unde quando hæretici sequentibus temporibus defloraverunt Scripturas, tunc Ecclesiæ matrices Librorum sacrorum suscepere defensionem, falsos a veris secernendo. Esto igitur quod mendæ aliquæ irrepserint, ignorantia vel Librariorum negligentia, non tamen in substantia: immo licet Christus exprobret Pharisæis falsas induxisse traditiones, non tamen eos de Scripturarum falsificatione arguit.

*Persistunt*. Sensus Scripturæ veteris Testamenti habebatur solum per traditionem, textus enim Hæbraici sensus non satis erat clarus, hinc determinatus est solum sexto post Christum sæculo opere Doctorum Judæorum Tyberiadis qui addiderunt puncta Hæbraico textui, & secundum traditionem sensum fixerunt, unde

unde Massoretæ dicti sunt a verbo Hebræo *Massora*, quod significat traditionem: Igitur ante Christum, Doctores Legis secundum diversas quibus ducebantur passiones traditionem falsam induxerunt, adeoque & falsum sensum. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo. Et vera traditio servabatur per Prophetas & pios homines, semper enim Ecclesia habuit justos, concedo: & erat unica falsa traditio, nego.

*Respondeo*, rursus sed aliter, distinguendo: & falsam traditionem adhibuere Pharisæi pro rebus moralibus & parvi momenti, concedo: pro substantia legis, nego. Hæc sane permisit Deus, unde Herodes convocatis Scribis ut illos de ortu Christi consuleret, vera responderunt sicut & ipse Caiphas, qui licet malus prophetavit. Nonne etiam Judæis Apostolos persequentibus Doctor Gamaliel vera respondit, dicens non obstante persecutione, si opus esset a Deo, non posse impediri? sic habetur. Act. 5. *Surgens autem quidam in Concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, Legis Doctor honorabilis universæ plebi jussit foras ad breve homines fieri. Dixitque ad illos .... discedite ab hominibus istis, & sinite illos; quoniam si ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud.*

*Opponunt* II. Si vera de Christo Scriptores Canonici dixerunt, cur altum silentium apud auctores prophanos de vita & miraculis Christi? immo testimonium Ioseph pro eo in dubium venit. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo. Et illi Historici erant Religionis Christianæ inimici, quandoquidem crux erat apud illos aut stultitia, aut scandalum, concedo: secus, nego. Unde non mirum si aut parum, aut nullo modo locuti sint de miraculis Christi: tum quia quidquid sciebant de Religione Christiana solum ex rumore & fama populi, quocirca subobscure loquebantur de ea, & ut plurimum male. Sic Cornelius Tacitus Christianos ut Veneficos, & Magicis artibus deditos habebat, hinc miracula virtuti dæmonum tribuebat; illa tamen non levius indicant Tatianus & Porphyrius. Præsul Abricensis Huetius putat testimonium Ioseph genuinum, quandoquidem vera scripsit de Ioanne Baptista, & quidem ut referuntur in Evangelio. Inter Ioannem autem & Christum erat necessaria connexio; omnia enim quæ dicebat & faciebat Ioannes erat ad Christum demonstrandum: Sed de hoc momento fusius infra in Tractatu Incarnationis dicemus.

*Argumenta ex contrarietate Scripturarum, ex Juliano Augusto.*

OBJICIT Iulianus Augustus. Moyses suos non accurate conscripsit libros: Igitur non sunt genuini. Probatur antecedens. Primo quidem ait, Moyses nonnisi ad vulgus suum attemperavit stylum, suamque historiam. II. Non dicit abyssum a Deo factam, non factas tenebras. III. Non Angelorum, sed rerum tantummodo corporalium creationem commemorat. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ita enim accurate scripsit S. Moyses, ut nequidem populi sui peccata tacuerit. Ad primam probationem, distinguo: & non sine œconomia magnaque sapientia Moyses ad captum plebis & gentis suæ suam de creatione texit historiam, concedo: & seclusa œconomia ita scripsit, nego. Legislator debet se se accomodare iis quibus imperat. Cum igitur Israelitæ rudes admodum, imperiti, & crassi ita essent, ut militiam cœli veluti numen haberent, necesse fuit in primis ostendere corporalia omnia ex nihilo educta & creata fuisse, adeoque a divinitatis natura in immensum recedere. Sic respondet S. Cyrillus Alexandrinus lib. 11. contra eumdem Iulianum. " Num Moyses, *inquit*, „ minute de rerum natura disputare propositum non habuit, aut de primis, „ ut vocant principiis, aut de elementis quæ ab iis oriuntur, verba facere? Curiosiora enim illa sunt, & ejusmodi ut nonnullorum ingeniis nequeant capi. Sed scopus illi fuit, eorum „ qui tunc erant hominum mentem doctrina veritatis informare. Errore „ namque tenebantur, et quod cuique „ videbatur, manifeste colebant, unumque et natura Deum præ nimia inscitia

„ scitia ignorantes, creaturæ serviebant.„

*Ad* alteram probationem, distinguo: non dicit abyssum factam, non factas tenebras explicite, transeat: implicite, nego. Habetur enim Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Hoc est, fecit ex nihilo, quod est abyssus magna: habetur quod cuncta simul & in globo absque distinctione condiderit, inde & terræ vacuitas, inde & tenebræ: vacuitas quidem eo ipso quo mundi massa intra certos concluditur terminos, ne in infinitum protendatur; tenebræ vero, cum sol adhuc in materia concretus suos nondum super cœlum & terram radios spargeret. Et hoc explicatur apprime subsequentibus Geneseos verbis: *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Quid plura referam? Abyssi & tenebræ non per se producuntur, quippe quæ sint meræ privationes, sed resultant ex productione corporum in certo loco positorum, relicto pro aliis producendis spatio.

*Hæc* responsio colligitur, ex eodem B. Cyrillo qui ibidem, sic pergit: " Supinæ populi Israelitici ignorantiæ opitulator Moyses adfuit, & præstantissimæ doctrinæ dux cunctis extitit, palamque & aperte prædicavit unum esse natura rerum omnium opificem, & a rebus cæteris, quæ per illum creatæ ac productæ sunt, eos avocavit ...... Ergo & sane quam sapienter nimiam istam subtilitatem ab oratione sua removit, & ad scribendas res magis necessarias conversus est. Nam quid attinebat dicere qualis esset aquarum natura, aut quod primordium habuerit? Quid erat necesse abyssos metiri, cœlique naturam, aut quomodo Angeli extiterint, curiose exquirere? ... Immo tempore ac principio vocante ad ortum res creatæ definit, tanquam ex nihilo Dei voluntate, ut essent id, quod sunt eductæ. „

*Ad* tertiam probationem, non absimili modo, distinguo: Moyses siluit Angelos loquendo de rerum creatione, hoc est, verbis expressis non dixit, conditos, concedo: siluit omnimode, nego. Ne populus rudis Angelos meras intelligentias per se subsistentes haberet ut Deos, non ita clare sicuti corporalia expressit: non tamen siluit, cum eos nomine cœli intellexerit, & Deum ab omni opere quod patrarat, requievisse dixerit. Solutio est S. Augustini qui lib. 11. de civit. cap. 9. „ ait: Ubi de mundi constitutione sacræ „ Litteræ loquuntur, non evidenter dicitur utrum, vel quo ordine creati sint Angeli: Sed si prætermissi non sunt, „ vel cœli nomine ubi dictum est, *in principio fecit Deus cælum & terram*, vel „ potius lucis hujus, de qua loquor, significati sunt ... Quomodo Angeli prætermitterentur, tanquam non essent in „ operibus Dei, a quibus die septimo requievit? Opus autem Dei esse Angelos, „ hic quidem etsi non prætermissum, „ non tamen evidenter expressum est: sed „ alibi hoc sancta Scriptura clarissima voce testatur. Nam & in hymno trium in „ lumine virorum, cum prædictum esset: „ *Benedicite omnia opera Domini Domino.* „ In executione eorumdem operum, etiam „ Angeli nominati sunt. „

*Instat.* Moyses scribit mulierem Adamo datam ut adjutricem: sed hoc falsum est, cum a serpente seducta, perdiderit hominem eum ad peccandum alliciendo. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo; Moyses scribit mulierem viro datam ut adjutricem ad liberorum procreationem, concedo: ad consilium & deliberationem, nego. Eos quippe reliquit in manu consilii proprii ut bonum vel malum ex innata libertate eligerent, hominem inquit S. Augustinus Enchir. cap. 25. 26. & 27." Sic.... munerans libero arbitrio, ut tamen regeret „ imperio, terreret exitio: atque in paradisi felicitate tanquam in umbra vitæ, „ unde justitia custodia in meliora conscenderet, collocavit." Hanc eamdem S. Cyrillus adhibet lib. 3. adversus Julian. responsionem asserens mulierem in officium naturæ Adamo principaliter concessam.

*Objectiones Manichæorum.*

Objiciunt Hæretici: illæ Scripturæ non sunt genuinæ, quæ multa referunt de sanctis Patriarchis absurda, immo quæ Sanctos non decent viros: Igitur non sunt genuinæ. Probatur antecedens, dicitur de Abraham filium suscepisse de ancilla: de Jacob multas habuisse uxores: de Moyse

eorumque suscepisse pro suo populo hereditates: de Iuda, ipsum dormiisse cum Thamare nuru sua: de David commisisse adulterium simul & homicidium: de Salomone, ipsum abiisse post mulieres alienigenas contra Dei præceptum: de Osea Propheta, liberos procreasse de muliere fornicaria. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Et sacræ Scripturæ ea facta referunt eo modo quo patrata sunt, & quidem historice tum ad ædificationem justorum, tum ad vindictam malorum, concedo: approbando mala, nego. Immo in hoc apparet Scripturarum veritas, quando quidem referunt res & gesta sicut de facto evenerunt.

*Jam* ad singula respondeo: ad Abraham quidem & Iacob, nullo modo peccasse, immo ordinante Deo, aut saltem permittente, plures habuisse uxores ad propagationem generis humani, quando quidem terra nondum sufficienter ab hominibus erat habitata; immo etiam ad mysterium: teste enim Apostolo, duos habuit Abraham filios, alterum de ancilla, alterum de libera; primum significantem generis humani captivitatem, secundum vero captivitatis liberationem per Christum afferendam et dandam: *Quæ sunt*, inquit idem Paulus Gal. 4. *Per allegoriam dicta*. De filiis vero Iacob ex multis mulieribus procreatis prodiere diversi tribuum Duces et Principes, ita ut gens illa in stirpe minima, creverit in magnam arborem, nempe in rempublicam et regnum.

*Ad* Iudam, David et Salomonem, asserunt Patres peccasse: sic Scriptura enarrat, ut quisque formidet, nec suis fidat viribus. In Osea vero nullum fuit peccatum, quando quidem ordinante Deo, nupserat, et Matrimonio se conjunxerat cum muliere fornicaria, ut filiis ab ea susceptis ostenderet populo terram fuisse fornicatam, et esse abominabilem, unde cap. 2. dicit: *Sanguis sanguinem tetigit, propter hoc lugebit terra*. Et hoc ut provocaret filios Israel ad pœnitentiam. Istæ solutiones sunt Augustini lib. 22. contra Faustum Manichæum.

*Ad* Moysen, solutio in promptu est: Deo enim præcipiente debellavit Reges, eorumque illi dedit Deus hereditates et regna tum in vindictam peccatorum, tum etiam quia terra Chanaam, magna saltem ex parte pertinebat ad Abraham Iudæorum patrem. Sic respondet S. Augustinus lib. 22. contra Faustum Manichæum, ubi celebrat Patriarcharum et Prophetarum sanctitatem, Scripturæ vero veracitatem, eo quod illorum non taceat defectus. De „ isto momento, sic loquitur: Non mo„ do non decolorat divinitatem Dei, „ vel Scripturæ illius veritatem, verum „ etiam laudanda, quæ diligentiam com„ mendat, quod tamquam speculi fidelis „ nitor, admotarum sibi personarum non „ solum quæ pulchra atque integra, ve„ rum etiam quæ deformia vitiosa que „ sint, vindicat. „

*Instant*: Multa sunt præcepta in lege Mosayca Christianis contraria, & iisdem prohibita, ut circumcisionis præceptum, aliaque cæremonias spectantia. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Præcepta Mosaica sunt Christianis contraria, id est, abolita, & alia illis perfectiora substituta, concedo: id est, sunt mala, nego. Plura præcepta eaque onerosa imposita sunt Judæis carnalibus, ne citius ad idololatriam deflecterent; veniente autem veritate, cessaverunt figuræ, & veri adoratores in Spiritu & veritate Deum coluerunt: Igitur non erant præcepta Mosaica mala, nisi ut vox *malum* dicit imperfectum. Ita colligitur ex Apostolo qui dicit omnia contigisse in figuris populo Judaico: ita utique colligitur ex August. lib. 6. contra Faustum cap. 11. His verbis: „ Auctoritatem tene„ mus veteris Testamenti, non ad Ju„ daicæ servitutis imitationem, sed ad „ Christianæ libertatis testificatio„ nem. „

*Urgent*: Illi libri non sunt genuini, qui solum terrena sapiunt, immo & quædam legi Redemptoris adversa: atqui Libri veteris Testamenti multa hujusmodi referunt: Igitur non censentur genuini. Probatur minor, quoad utramque partem. Primo quidem, Libri veteris Testamenti promittunt terram pinguem & hereditatem lacte & melle manantem. Quoad secundam vero partem Deut. 21. vers. 23. habetur: *Maledictus a Deo est qui pendet in ligno &c.*

*Respondeo* negando minorem. Ad primam probationem, distinguo: vetus Te-

stamentum promittit bona temporalia tamquam media ad æterna capessenda, concedo: sistendo in rebus naturalibus tamquam in fine ultimo, nego. Cum igitur populus esset carnalis, Deum propter se solum diligere, non proponebat ut plurimum Moyses; hinc promissione bonorum temporalium quasi manu ducti sunt ad amorem bonorum æternorum Hebræi, unde vel ipse Propheta Regius dicit, Psal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Rursus: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Sed certe lex non sistebat in ejusmodi rebus, quandoquidem Christum ut fidei ipsæ consummatorem respiciebat, & per ipsum ad æterna bona inhiabat: immo Deus præcipit Josue, ut nihil de terra distribueret Levitis, dicens quod foret merces eorum. Solutio colligitur ex S. Aug. lib. 4. contra Faustum, dicente data fuisse Judæis bona temporalia: " Ad intelligendas „ in eis novi Testamenti prænunciationes: „ veteris quippe testificatio fidem novo „ conciliat .... Non itaque spes nostra „ in temporalium rerum promissione „ defixa est, quandoquidem nec ipsos il„ lius temporis sanctos & spirituales viros „ Patriarchas & Prophetas his terrenis „ rebus fuisse deditos credimus: intelli„ gebant enim, revelante sibi Spiritu Dei, „ quod tempori illi congrueret, & quibus „ modis Deus per illas omnes res gestas „ & dictas futura figuranda & prænun„ cianda decerneret, magisque desiderium „ eorum de novo Testamento erat. „ Ex quo sequitur secundum Augustini mentem Deum dedisse Judæis temporalia, ut his mirabilia gratiæ Christi tum pro hac vita, tum pro futura annunciaret.

*Ad* secundam probationem, distinguo: lex prædixit pro Christo maledictionem voluntarie suscipiendam, ut nos & a morte & a peccato redimeret, concedo: propter ipsos Christi defectus, nego. Lex, inquit Augustinus, erat Christo gravida, ipsumque variis in figuris repræsentabat, maxime ut Redemptorem: unde Hircus introducebatur ut totius populi reciperet maledictionem, & sic intelligebant Judæi Christum passurum, non quidem pro suis peccatis, sicut Hircus non maledicebatur propter peccata quorum non erat capax; hinc Christus erat moriturus, ne tota gens periret, & filios pararet Deo Patri acceptissimos: unde ejusmodi maledictio maxime in ejus redundat gloriam. Solutio est Apostoli, qui in illo prorsus sensu, dicit Christum pro nobis factum esse maledictum cap. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Audiendus est de eodem momento S. Augustinus qui lib. 14. contra Faustum cap. 3. ait: Ille neget „ Christum maledictum, qui negat & „ mortuum: qui autem confitetur mor„ tuum, & negare non potest mortem de „ peccato esse .... Suscepit autem Chri„ stus sine reatu supplicium nostrum, ut „ inde solveret reatum nostrum, & fini„ ret etiam supplicium nostrum. „

*Replicat*: Adimantus Manichæus Genes. col. 1. habetur: *In principio creavit Deus cælum & terram.* Iis autem opponuntur illa S. Joannis verba cap. 1. *Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.* Ibidem Genes. 2. legitur: *Complevit Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.* Joan. vero 5. e contra: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Ergo &c.

*Respondeo*, negando, Verba Joannis opponi verbis Moysis. Et vero ille nomine Dei intelligit sanctissimam Trinitatem, videlicet Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, ut liquet ex sequentibus, dum Deum creantem hominem inducit, ita loquentem: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quæ verba dubio procul pluralitatem personarum subindigitant, Christum autem esse secundam Deificæ Trinitatis S. Joannes pronuntiat, dicens: *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*; quod ultro fatetur Adimantus, qui hanc proposuit objectionem, quam quidem hac responsione solvit S. Augustinus in libro quem adversus eum conscripsit.

*Ad* alterum ejusdem Adimanti argumentum, distinguo: verba beati Evangelistæ, *Pater usque modo operatur*, conservando creata, & mundum gubernando, concedo: aliquid novi producendo, subdistinguo: præbendo suum generationibus adjuvandis concursum, concedo: novum mundum producendo, nego, Moy-

ses

ses describit totius mundi creationem, Joannes vero generationibus sibi ad invicem succedentibus conservationem, ad quam plurium juvat vel ipsa animarum in hominibus producendis creatio: sicque ne minima inter utramque Scripturam reperitur dissonantia. Ita solvit Aug. in eodem libro Heterodoxi vanam argumentationem, dicens: " Deum ab instituendis „ rerum naturis post earum rerum per„ fectionem cessasse, quamvis usque adhuc „ in administrandis operetur. „

*Instat*: Multa alia absolutè contradictoria reperiuntur in libris veteris Testamenti; Ergo &c. Probatur antecedens. Gen. 1. vers. 26. habetur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quæ quidem pugnant cum isto Joannis effato cap. 8. vers. 44. *Vos ex Patre diabolo estis.* 2. Exod. 20. vers. 12. habetur: *Honora patrem tuum & matrem tuam*, & tamen Matth. 8. vers. 22. habetur de quodam juvene Christum alloquente: *Permitte me primum ire, & sepelire patrem meum.* Cui respondit Christus: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* 3. Exod. 20. vers. 5. scribitur: *Ego sum Dominus, Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem*; cui contrariantur ista verba Matth. 5. vers. 45. *Benefacite his qui oderunt vos.* 4. Exod. 21. vers. 24. habetur: *Oculum pro oculo*; & tamen Matth. 5. vers. 23. Christus dicit: *Audistis, quia dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente: ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in maxillam, prabe illi & alteram.* 5. In libris Legis Deus dicitur apparuisse Patriarchis, ut Genes. 3. vers. 10. 13. vers. 15. & tamen Joan. 1. vers. 18. legitur: *Deum nemo vidit unquam.* 6. Deut. 12. prohibetur ne manducetur sanguis, quia anima est caro & sanguis: & tamen Matth. 10. vers. 28. Evangelista pro Christo loquens, ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Et ista omnia intelliguntur secundum diversos respectus, concedo; secundum eumdem, nego. Unde nulla sequitur contradictio inter vetus & novum Testamentum.

*Ad* primum distinguo: homo secundum se est ad imaginem Dei, concedo: homo reduplicative ut peccator, nego. Sub isto enim respectu est filius diaboli, quia peccatum est a diabolo. Ita respondet Augustinus Adimanto Manichæo: Non se„ cundum vetustatem peccati, *ait*, quæ „ corrumpitur, sed secundum spiritalem „ conformationem factum esse hominem „ ad imaginem Dei, idem Apostolus mo„ net, ut exuti consuetudine peccatorum, „ id est, veteri homine, induamur nova „ vita Christi, quem novum hominem ap„ pellat. Et ut doceat hoc nos aliquando „ amisisse renovationem, illum vocat, nam „ ita loquitur Col. 3. *Expoliantes veterem „ hominem cum actibus suis, induite novum „ qui renovatur in agnitionem Dei secundum „ imaginem ejus qui creavit eum....* Quod „ in potestate nostra ab ipso Deo esse „ positum docet Scriptura, cum dicit: „ *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Filii „ autem diaboli dicuntur homines cum „ immitantur ejus impiam superbiam, „ & a luce atque celsitudine decidunt „ sapientiæ, & non credunt veritati. „

*Ad* secundum distinguo: etiam & Christus prædicabat majorem perfectionem, indicans juveni bonum esse quandoque relinquere patrem & matrem ac mundum, ut animo facilius vacet divinis, concedo: & sua sententia reprobabat honorem patri & matri debitum, nego. Hoc enim præceptum in Evangelio, suo confirmat calculo: Igitur consilium duntaxat dabat juveni, ut ad majorem tenderet perfectionem. Solutio est divi Augustini, qui ibidem sic loquitur: " Manife„ stum est & honorem parentum in gra„ du suo esse servandum, & eos tamen „ in divini amoris comparatione, præ„ sertim si impedimento sunt, nulla dubitatione oportere contemni. „

*Non* absimili modo S. Doctor eo in libro conciliat utrumque testamentum, cum agitur in veteri de amore, quo vir suam debet prosequi uxorem, Genes. scilicet 2. his verbis: *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*; in novo vero de ejusdem uxoris derelictione Matth. 19. *Omnis*, inquit Christus, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Ita enim Adimanto respondet:

ostendit primo auctoritate Apostoli viros debere diligere uxores, nisi eorum prępediant salutem: " Quia & conjunctio „ mariti & uxoris a Domino est & re„ lictio uxoris propter regnum cœlorum „ est a Domino. „ Tum subjicit: " „ Nec ista capitula Evangelica inveniun„ tur sibi contraria, nec Evangelium „ veteri Testamento: quia ibi uxor „ conjungitur viro, ut simul mereantur „ regnum cœlorum: & ita uxor relin„ quenda esse præcipitur, si virum im„ pediat ad possidendum regnum cœlo„ rum. „

*Ad* tertium, factum est satis supra; majoris tamen causa claritatis

*Respondeo* distinguendo: Deus iniquitatem Patrum visitat in filios, si ipsi peccatorum parentum conscii sint, concedo: sin minus, nego. " Intelligitur, ait Au„ gustinus Adimanto objectionem facienti, „ eos puniri peccatis parentum, qui in „ eadem perversitate parentum perseverare „ voluerunt. Tales enim non sævitia, „ sed potius justitia Dei, & sua iniqui„ tate puniuntur. „

*Ad* quartum distinguo: & pœna talionis populo carnali licita erat, concedo: eam vero Christus abnegavit, quia ad perfectum ducit lex Evangelica. Et eam Christus pœnam damnavit absolute, nego. Lex justitiæ in veteri Testamento ea erat, ut quisque per hæc quæ peccabat, per hæc & puniretur: unde pœna talionis erat licita, sed eam Christus voluit rescindi, immo voluit ut unusquisque etiam inimicis benefaceret. Audiamus de hoc momento S. Augustinum qui ibidem hanc præoccupat objectionem, his verbis: " Quoniam primo carnales ho„ mines ardebant multo amplius se vin„ dicare, quam erat illa injuria, de „ qua querebantur, constitutus est eis pri„ mus lenitatis gradus, ut injuriæ ac„ ceptæ mensuram nullo modo dolor „ vindicantis excederet; sic enim & „ donare aliquando posset injuriam, qui „ eam primo non superare didicisset. „ Unde Dominus jam per Evangelii gra„ tiam ad summam pacem populum ad„ ducens, huic gradui superædificavit „ alterum: ut qui jam audierat non „ ampliorem vindictam, quam quisque „ læsus esset, reddere, placata men„ te totum se donare gauderet. „

*Ad* quintum: Deus non est visibilis secundum vires naturæ in hac vita, & ordinarie loquendo, concedo: secus, nego. Et sic duo Testamenta non sibi mutuo opponuntur, maxime vero quia visio Patriarchis concessa, erat dumtaxat mediata; quandoquidem Deus loquebatur per Angelos, qui etiam assumebant corpora, ut se redderent hominibus sensibiles. Cæterum si ab aliquibus visus est, ut a Moyse & D. Paulo, ex privilegio concessum est, & hoc viribus gratiæ extraordinariæ, atque visione pure intellectuali.

*S. Augustinus*, non dimittit adversarium, sed huic Adimanti objectioni facit satis: " Filius qui est Verbum Dei, non „ solum novissimis temporibus cum in „ carne apparere dignatus est, sed etiam „ prius a constitutione mundi, cui voluit „ de Patre annuntiavit, sive loquendo, „ sive apparendo, vel per Angelicam ali„ quam potestatem, vel per quamlibet „ creaturam .... cum tamen ipse per se „ ipsum a mundo corde videatur, & per „ illum pater. „

*Ad* 6. distinguo: & sermo est in Deuteronomio de belluarum anima quæ maxime in sanguine sita est, concedo: Deus autem voluit populum carnalem abstinere a sanguine & suffocato, ut intelligeret omnem effugiendam esse crudelitatem; unde Apostolus dicit: caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: in Matth. vero sermo habetur de anima spiritali eaque immortali, quapropter capite 25. habetur: *Ite maledicti in ignem æternum*. Et duo hæc loca intelliguntur de anima spiritali, nego. Cæterum animam carnalibus peccatis adhærens dicitur quoque carnalis, quæ dubio-procul regnum Dei non possidebit. Vel etiam affirmari potest hæc verba 1. Cor. 15. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, intelligi de carne nondum per resurrectionis gloriam immutata juxta illud ejusdem Apostoli, *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*, ita S. Aug. ibidem.

*Contra*: Quædam alia contradictoria reperiuntur in veteri Testamento: Deuter. 12. v. 20. permittitur populo vesci carnibus, juxta illud: *Occide de armentis & pecoribus quæ habueris, & comedes in oppidis tuis, ut tibi placet*: Rom. vero 12. v. 21. le-

21. legitur: *Bonum eſt non manducare carnem*. Secundo Deuter. 34. v. 3. injungitur populo abſtinere a carnibus certorum animalium: in novo vero Teſtamento legitur: *Manducate quæ apponuntur vobis*. Tertio circumciſio præcipitur in vet. lege: prohibetur vero in nova. Quarto, præcipitur Moyſi deſtruere Amorrhæos aliaſque gentes Exod. 23. v. 22. Chriſtus vero e contra dicit: *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos*. Quinto in lege ſcriptum eſt: *Ego ſum qui divitias do amicis meis, & paupertatem inimicis meis*: E contra vero Matth. 5. habetur: *Beati pauperes ſpiritu*: Et iterum *qui reliquerit domum .... Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*. Sexto, Amos 3. v. 30. *Si erit malum in civitate quod non fecerit Dominus*. Jacob vero dicit: *Deus intentator malorum eſt*. Denique lex vetus dicitur miniſtratio mortis 2. Cor. 3. v. 7. Ergo &c.

*Reſpondeo* eodem modo ac ſupra. Unde ad 1. diſtinguo: Bonum eſt non manducare carnem, ſi adſit ſcandalum, concedo: ſecus, nego. Apoſtolus loquitur ſolum in primo ſenſu, unde dicit: ſi caro ſcandalizat, carnem non manducabo in æternum. Ita hunc interpretatur locum S. Auguſtinus contra Adimantum, ſic enim „ loquitur; " Non ergo amplius invicem „ judicemus; Sed hoc judicate magis, ne „ ponatis offendiculum fratri, vel ſcan„ dalum .... ſi enim propter cibum fra„ ter tuus contriſtatur, jam non ſecun„ dum charitatem ambulas. Noli cibo „ tuo illum perdere pro quo Chriſtus „ mortuus eſt. „

*Ad* 2. ſimiliter diſtinguo, & cæremoniæ legales abrogatæ ſunt per Chriſtum; ad libertatem filiorum Dei, concedo: ſecus, nego. Ita Auguſtinus ibidem contra Adimantum: " Advenientibus enim „ rebus, *ait*, quarum erant umbræ illæ „ obſervationes, id actum eſt, ut oſten„ deretur in ipſis umbris non eſſe ſpem „ ponendam, ſed in ipſis rebus, quas il„ læ umbræ ſignificabant eſſe venturas, „ id eſt, Chriſtum, & Eccleſiam & pro„ pterea illa jam omnia inania erant; Nec „ tamen ea tanquam noxia removenda, „ ſed tanquam ſuperflua contemnenda. " Eodem modo reſpondetur ad 3. Ad 4. Deus ſupremus omnium Dominus voluit ſpoliare gentes in vindictam peccatorum, ditare vero populum ſuum dilectum. Ad 5. ſequitur ſolutio; Deus enim voluit dare divitias corporales amicis ſuis, eas vero ab inimicis abripere; ita tamen ut Fideles cor non apponant rebus corporalibus, unde promittitur beatitudo iis qui utuntur hoc mundo, ſed non poſſident hunc mundum in terrenis quieſcendo. Ad 6. malum culpæ non eſt a Deo, ſecus vero malum pœnæ, & hoc modo in vindictam reſpectu peccatorum; modo ad probationem reſpectu juſtorum. Ita Aug. ibidem: " Divina enim provi„ dentia, *inquit*, cuncta moderante & gu„ bernante, ita homo male fecit quod „ vult, ut male patiatur quod non vult. „ Deus ergo malum fecit, quod non ipſi „ Deo malum eſt, ſed iis in quos vindicat. „ Itaque ipſe, quantum ad ſe pertinet, „ bonum facit, quia omne juſtum bonum „ eſt, & juſta eſt illa vindicta. „

*Ad* ultimum diſtinguo, lex vetus erat miniſtratio mortis, id eſt, ad perfectionem non ducebat, concedo; id eſt mortem operabatur, ſubdiſtinguo, per accidens, in quantum concupiſcentiæ malum oſtendebat ante legem non cognitum, concedo; per ſe, nego. Solutio eſt Apoſt. Rom. 7. his verbis; *Occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*. Ita etiam Auguſtinus lib. 2. contra adverſarium legis & Prophetarum cap. 7. " Sine lege enim peccatum „ mortuum erat. Ego autem vivebam ſine „ lege aliquando, ſed cum veniſſet man„ datum, revixit peccatum ... Pecca„ tum occaſione accepta per mandatum, „ ſeduxit me & per illud occidit ... lex „ ſancta, & mandatum ſanctum, & ju„ ſtum, & bonum, & tamen quia de ipſo „ bono interficitur inobediens anima, ubi „ Dei non adjuvat gratia; miniſtratio „ mortis facta eſt lex in veteri Teſtamen„ to propter occidentem litteram; & mi„ niſtratio vitæ facta eſt gratia in novo Te„ ſtamento propter vivificantem ſpiritum.„

*Reponunt*: Moyſes non fuit inter veteres hiſtoricos vetuſtior; ergo ruit unum fundamentum præcipuum pro genuitate librorum veteris Teſtamenti. Probatur Ant. Primo quidem Act. 7. v. 27. Moyſes dicitur eruditus omni ſepientia Ægyptiorum qui, ut liquet, ante ipſum ſcrip-

ferant, & ab eis potuerunt Græci haurire quidquid in sua sapientia Philosophica affulget. Secundo, quidam existimant Moysen trecentis annis Inacho posteriorem. Igitur Græci quorum Inachus Rex erat antiquissimus, potuerunt sapientiam & scientiam habere ab aliis fontibus quam a libris Mosaicis.

*Respondeo* negando Ant. ad 1. distinguo, Moyses eruditus est sapientia Ægyptiorum, id est, institutus est ad vitam degendam secundum Ægypti consuetudines, nam filia Pharaonis ipsum adoptaverat in filium, concedo: Id est, Moyses non fuit primus scriptor, nego. Ægyptii nullas habebant litteras & geroglyphicis utebantur, hoc ipsum Philo asserit lib. 1. de vita Moysis: non verisimile autem apparet Ægyptios scientiis multum floruisse: Equidem Arithmeticam, Geometriam, Musicamque habebant, sed Philosophiam plurimum obscuram. Quidquid sit, nullos Scriptores etiam apud Ægyptios, aliasque barbaras gentes ante Moysen fuisse constat, quandoquidem litteras ante ista tempora nullas habebant Ægyptii, easque accepere ab Iside filia Inachi Argivorum Regis: sub isto autem Rege floruit Moyses, filiosque Irael ex Ægypto eduxit. Ita referunt Tatianus & Clemens Alex.

*Respondeo* II. Abraham cæterosque Patriarchas ipso Moyse priores cautos fuisse sapientia eaque altissima; ab eis vero eam acceperat Moyses, ita ut ab eis per traditionem instructus de sapientia, tum Ægyptiorum, tum Chaldæorum apud quos peregrinatus fuerat Abraham, merito dicatur in omni Ægyptiorum sapientia institutus: solutio est D. Aug. qui lib. 18. de civit. Dei, cap. 39. sic loquitur: „ Nulla igitur gens de antiquitate sapientiæ suæ super Patriarchas & Prophetas nostros, quibus inerat sapientia divina, ulla se vanitate jactaverit, quando nec Ægyptus invenitur, quæ solet falso & inaniter de suarum doctrinarum antiquitate gloriari, qualicumque sapientia sua Patriarcharum nostrorum tempore prævenisse sapientia: *Loquitur de Inacho & gente Græcana.* " Postea sic prosequitur: Neque enim quisquam dicere audebit mirabilium disciplinarum eos peritissimos fuisse, antequam litteras nossent, *Græci*. Id est, antequam Isis eo venisset, easque ibi docuisset. Ipsa porro eorum memorabilis doctrina, quæ appellata est sapientia, quid erat nisi maxime astronomia, & si quid aliud talium disciplinarum magis ad exercenda ingenia, quam ad illuminandas vera sapientia mentes valere solet? Nam quod attinet ad Philosophiam quæ se docere profitetur aliquid, unde fiant homines beati, circa tempora Mercurii, quem Trimegistum vocaverunt, in illis terris ejusmodi studia claruerunt: longe quidem ante sapientes, vel philosophos Græciæ, sed tamen post Abraham, & Isaac, & Jacob, & Joseph; nimirum etiam post ipsum Moysen. Eo quippe tempore, quo Moyses natus est, fuisse reperitur Atlas ille magnus Astrologus, Promethei frater, maternus avus Mercurii majoris, cujus nepos fuit Trimegistus iste Mercurius. „

*Ad* 2. probat. dico falsam esse chronologiam quæ Moysen 300. annis Inacho juniorem constituit, & magis adhærendum esse Juliano Africano, Tatiano, & Clementi Alex.

*Urgent* falsum est veteres multa hausisse in libris Moysis. Ergo &c. Probatur Ant. Marshamus in canone Chronico, „ pag. 152. scribit: Verisimile non videri Philosophiam Platonicam & Pythagoricam ex fonte judaico derivatam fuisse . . . enimvero ante captivitatem Babylonicam, septem sapientum ætatem, Græci non solum Philosophiæ, sed & rerum suarum magis exterarum incuriosi fuerunt. Post reditum e Babylone Judæorum respublica sub Persis adeo obscura fuit, ut vix nomen eorum ætate *Herodoti* Græcis auditum fuerit. „ Secundo ipse Lactantius negat Pythagoram & Platonem ad Judæos accessisse. Tertio, Idem Marshamus contendit Ægyptios ab oraculo Apollinis suam habuisse sapientiam.

*Respondeo* I. hæc omnia unum duntaxat probare, nempe Græcos non hausisse omnia quæ scripserunt in libris Mosaicis, maxime ea quæ spectant Mathematicas, videlicet, Geometriam, Arithmeticam & Musicam: Sed suffurari potuerunt alia multa quæ vel fabularum nominibus & historiis, de deorum attributis, vel

etiam

etiam simplici & directa narratione scripserunt de unitate Dei & providentia, de præmio justorum & pœnis malorum: quod sane deducitur ex eo quod secundum multorum eruditorum sententiam jam extaret aliqua scripturæ græca interpretatio versione 70. Seniorum vetustior, in qua quidem & Poetæ, & Philosophi & Historici multa legere potuerunt de divinitate ejusque attributis; tum scriptis mandare. Sic colligitur ex Clemente Alex. lib. 5. Stromatum: ex Eusebio, lib. 13. præpar. Evang. cap. 12. hoc ipsum dilucide patet ex epistola Demetrii Phalerii, directa ad Ptolemeum Philadelphum Regem Ægypti; quæque refertur a Josepho lib. 12. antiq. cap. 11. & ab Euseb. lib. 8. præpar. Evang. cap. 3. in qua quidem epistola certiorem facit Regem Demetrius jam extare volumina hebraica, sed non sufficienti diligentia & calamo, tum collecta, tum etiam scripta. Qua de causa Rex exquisivit 70. Seniores, ut completam haberet Librorum sacrorum interpretationem.

*Respondeo* II. distinguendo, Græci non habuerunt Philosophiam adæquatam a Judæis, concedo: aliquam & quoad partes divinum numen spectantes, nego. Cæterum ante captivitatem floruerant Judæi & per Judices, & per Reges: post captivitatem vero floruerunt per Duces & etiam per Reges aliquos posthumos, unde Græci multa in eorum libris haurire potuerunt. Ad Lactantium respondeo quod licet Pythagoras & Plato ad Judæos non accesserint, potuerint tamen eorum libros legere, maxime cum Judæi & Persarum, & ipsorum Græcorum servi mancipales fuerint; namque tributa solvebant Regibus & Syriæ & Ægypti. Ultima instantia non urget, nihil enim ex oraculo dæmonis pro veritate concludendum est.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Libri V. T. sunt genuini.*

**Primo**: Ipsum Deum habent auctorem, quippequi legem Angelorum ministerio Moysi dederit; nam Exod. 17. injungit illi victoriam supra Amalecitas reportatam scribere cap. 24. mandata scripta consignare: Quid plura, libri V. T. non semel laudantur in novo Testamento a Christo & ab Apostolis: Ergo &c.

*Secundo*: Genuitatem istorum librorum non levius annuntiat conformitas quam habent cum historicis prophanis qui in eis multa hauserunt; de divinitate quidem, ut Plato; de pœnis vero malorum, & præmio justorum, ut Virgilius & Ovidius.

*Tertio*: Id ipsum confirmat librorum revelatio, cum Moyses multa scripserit de creatione, & de mysteriis gratiæ & incarnationis, quæ solo lumine desuper infuso scire potuit. Hoc idem astruit eorum antiquitas & sanctitas: hoc signa & miracula ab ipso Moyse, a Prophetis & aliis Scriptoribus facta, non enim Deus miracula pro mendacio confirmando fieri sinit.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

**Primo**: Quædam opponuntur a Manichæis contra genuitatem librorum Moysis, sed ea soluta manent in iis quæ de existentia Dei lato calamo scripsimus: ultro fatemur legem veterem 2. Cor. 3. dici mortis ministrationem, sed per accidens, quatenus aperit concupiscentiæ peccata & prohibet, homines enim ex innata corruptione nituntur in vetitum.

*Secundo*: Tametsi Moyses in sapientia Ægyptiorum institutus sit, non inde sequitur ante eos non scripsisse de legibus & de Dei attributis. Sed ad summum de Mathematicis, ut de Geometria, Arithmetica & Musica: neque vero propugnamus illos cuncta in libris Moysis scribenda hausisse.

*Tertio*: Falsum est Moysen trecentis annis Inacho Rege Græco posteriorem, cum Julianus Africanus, Tatianus, & Clemens Alexand. quibus in hoc potissimum fides debetur, contrarium asserant.

## SECTIO SECUNDA.

*Utrum libri novi Testamenti sint genuini?*

**Gnostici** impugnarunt existentiam librorum novi Testamenti: Celsus & Manichæi etiam bellum indixere ejusmodi

libris, asserendo Evangelistas non esse concordes, multaque mendacia conjecisse eorum auctores. Idem a fortiori existimant Gentiles, Judæi & Apostatæ. Grossius in voto pro pace Ecclesiastica, titulo de canonicis Scriptis videtur asserere libros novi Testamenti divino afflatu non fuisse exaratos, quamvis pie & fideliter scriptos. Spinosa negat absolute inspiratos esse, dicendo auctores eos scripsisse tantum ut Doctores privatos. Ipse Erasmus putat Scriptores illos in omnibus non fuisse a sancto Spiritu adjutos. Ejusdem est sententiæ Spalatensis, dicens libros novi Testamenti varios continere humanos lapsus. Quæ quidem sententiæ inficiantur genuitatem& validitatem librorum novi Testamenti, contra quos omnes sit

## CONCLUSIO.

Libri novi Testamenti in canone Ecclesiæ adsciti, sunt genuini.

*Probatur variis argumentis.*

## PRIMUM ARGUMENTUM

*Petitur ex testimonio auctorum coævorum.*

Illi libri sunt genuini qui facti sunt & compositi eo tempore quo dicuntur tales, quique tales semper habiti sunt: Atqui res sic se habet: Ergo &c. Probatur minor & quidem multipliciter.

*Primo*: Clemens Romanus, qui Apostolorum tempore florebat, varia deprompsit testimonia ex Evangelio in suis ad Corinthios epistolis. Similiter & Ignatius Martyr: Item & Polycarpus Joannis auditor in epistola sua ad Philippenses, Papias Polycarpi familiaris, Justinus Martyr in Apologia 2. Sæpe Mattheum citat: de Evangelio Marci mentionem facit Papias apud Eusebium, lib. 3. cap. ult. Lucam designat Irenæus, & ante ipsum Paulus in secunda ad Corinthios epistola: Josephus lib. 2. cap. 8. loquitur de Joannis prædicatione, & de ejusdem morte ab Herode imperata, similiter & Suetonius in Claudio, cap. 25. Plinius Junior in epistola ad Trajanum: Celsus Paganus qui tertio vivebat sæculo testatur Christum multa patrasse miracula: idem fatetur Suetonius, tametsi ea magicis artibus tribuat. Denique nullus Paganus exprobravit Scriptoribus Catholicis falsa in suis libris dedisse. Eamdem veritatem propugnat Clemens Alexand. lib. 6. Stromatum, cap. 7. & iterum Irenæus lib. 3. cap. 11. August. lib. 11. contra Faustum, cap. 2, Ergo &c.

*Secundo*: Probatur eadem minor ratione: Illi libri semper tales habiti sunt, quales apparuere, quorum auctoritate perpetuo usa est Ecclesia in Conciliis ad confutandas hæreses, usi sunt Patres ad fidem contra impugnantes defendendam: Atqui & Ecclesia in Conciliis, ut patet ex Canonibus, & Patres in suis sententiis, ut liquet ex eorum scriptis, usi sunt libris novi Testementi & ad revincendos hæreticos, & ad fidem aut restaurandam, aut fovendam, & defendendam: his usus est Origenes contra Celsum, Tertullianus adversus Marcionem, Athanasius in debellandis Arianis, & sic de subsequentium sæculorum Patribus: Ergo &c.

*Tertio* eadem minor confirmatur isto ulteriori ratiocinio-Libri novi Testamenti non fuerunt conscripti neque ante, neque post Apostolos, sed eorum tantum tempore: Igitur tales semper habiti sunt, quales assignantur ab Ecclesia. Probatur Ant. si ante Apostolos fuissent scripti, Scriptores sacri de falsitate fuissent convicti a Paganis fidei nostræ ejuratis hostibus; si vero post, non fuissent admissi a coætaneis Apostolorum, qui tamen unanimiter eos recepere. Ita Clemens Romanus, epist. ad Cor. Polycarpus epistola ad Philippenses, & Aug. lib. 33. contra Faustum, cap. 6. asserunt: unde, inquit, S. Doctor, si ejusmodi libri incerti sunt & dubii, nihil est profecto in fide catholica certum. Sed absurdum consequens: Ergo & antecedens.

## SECUNDUM ARGUMENTUM

*Petitur ex eo quod vera referant libri novi Testamenti.*

Illi libri sunt genuini qui vera referunt: Atqui vera referunt libri novi Testamenti: Ergo &c. Probatur minor multis momentis,

*Primo quidem* libri novi Testamenti ea refe-

referunt de divinitate, de unitate Dei & Trinitate, de præceptis & moralitate, quæ jam jam multis retro seculis annunciaverant Prophetæ, quorum libri per multa sæcula in variis imperiis circumferebantur, quique fuerunt in summa veneratione vel apud ipsos Reges Paganos: Igitur vera annunciant.

*Secundo*: Illi libri quemdam spirant veritatis odorem: in eis apparet simplicitas, & summus rectitudinis amor: vetant malum, suadent vero & præcipiunt omne bonum: immo & consiliis ducunt ad perfectionem: Sed hæc omnia redolent veritatem: Ergo &c.

*Tertio*: Illi libri veri sunt qui a diversis auctoribus, diverso tempore, loco & ætate distantibus & tamen inter se consentientibus scripti sunt: Atqui libri novi Test. sic scripti sunt a diversis auctoribus, & tamen inter se consentientibus: Ergo &c. D. Augustinus hanc probat minorem lib. 18. de civit. Dei cap. 41. ubi postquam dixit antiquos Philosophos & Magistros in inquirenda veritate plurimum discordes, subdit veritatem a multis, nonnisi divina protegente auctoritate, inveniri, sic enim loquitur: " Auctores nostri, in quibus „ non frustra sacrarum litterarum figitur „ & terminatur canon, absit ut inter se „ aliqua ratione dissentiant. Unde non „ immmerito cum illa scriberent, eis Deum „ vel per eos locutum, non pauci in scholis atque gymnasiis litigiosis disputationibus garruli, sed in agris atque in urbibus cum doctis atque indoctis tot tantique populi crediderunt. Ipsi sane pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret, quod religione charum esse „ oporteret: nec tamen ita pauci, ut eorum non sit miranda consensio. „

*Quarto*: Auctores illorum librorum, nec decepti sunt, nec decipere alios voluerunt, aut potuerunt; si quidem fuerunt viri levioris disciplinæ, & ab omni tum argenti, tum auri, tum cupiditate alieni, qui in ipsos sævientes benedicebant, quique sanguinem suum pro defensione doctrinæ Christi fuderunt. 2. Noluerunt decipere, erant enim & simplices & candidi, quippequi infirmitates & injurias magistro suo illatas non tacuerint, qui res coram Judæis licet adversariis per actus publicos retulerunt: qui denique, nec minis, nec pollicitationibus a proposito deterreri potuerunt. Quid plura? Eamdem quam prædicarunt doctrinam amplexi sunt viri omni exceptione majores, & hoc quidem solo veritatis amore & conscientiæ stimulis ducti; qui etiam & honores & voluptates atque mundi illecebras spernentes, eandem portentis & miraculis doctrinam confirmarunt.

*Quinto*: Illi libri multa de Christo referunt, de quibus vel ipsi auctores Ethnici testimonium perhibent, quod est magnum veracitatis argumentum: juvat hic aliqua texere exempla.

*Sacri Evangelista* scribunt Christum vixisse in Judæa, hoc ipsum referunt auctores pagani, scilicet Suetonius, Tacitus, Plinius Junior, Porphyrius, Phlegon, Celsus, Numenius, Lucianus, nec non Imperatores, Trajanus, Antoninus Pius & Marcus Philosophus. Non omittendus sane Josephus qui lib. 18. antiq. Jud. cap. 4. mira de Christo eloquitur.

*Sancti Evangelista*, scriptis mandarunt Christum in Bethleem esse natum ex matre paupercula, eumque in Ægyptum profugisse. Id quoque agnoscit Celsus, tametsi Christiani nominis infectator infensissimus. Quin ex tabulis censualibus Romanorum, ad quas provocant Justinus, Tertullianus, & Chrysostomus, ex censu etiam illo, quem, nascente Christo, mandavit Imperator Augustus, aperte constat Christum natum esse in Bethleem. Nec referre impræsentiarum pigebit Mahumetem ultro fateri Jesum ex illibata Virgine natum.

*Scriptores Canonici* enarrant stellam miraculosam in ortu Christi apparuisse, Magos ex Oriente ad cunas Jesu cum adoraturos, venisse, Herodem in Judæa regnantem in pueros a bimatu & infra a Christi adventu natos sævisse. Porro hæc vera & extra omnem dubitationis aleam posita esse constat Ethnicorum testimoniis. Namque novum Sidus post Christum natum in cœlis præfulsisse, ad eumque Magos accessisse fatetur Julianus Apostata, quamvis odio in Christum percitus hujus stellæ ortum, in causas naturales refundat. Macrobius scriptor Ethnicus lib. 2. Saturnalium cap. 4. suso calamo describit cladem impiam qua Herodes infantulos

contran-

obtruncavit, his verbis : " Cum audisset, „ Augustus, inter pueros, quos in „ Syria Herodes Rex Judæorum intra „ biennium occidi jussit, filium quoque „ ejus occisum, ait : Melius esse Hero„ dis porcum esse, quam filium. „

*SS. Matthæus*, Marcus, Lucas & Joannes multa commemorant Christi miracula, quibus ipse suam obsignavit missionem. Sed & huic enarrationi non refragantur infideles, videlicet Celsus apud Origenem lib.2. contra illum, Julianus apud S. Cyrillum lib. 6. adversus hunc Apostatam, qui omnes ultro fateutur Christum aliqua patrasse miracula : hoc ipsum affirmat Mahumetes in Alcorano : immo testimonium ab ipsis Judæis inimicis oculatis testibus habemus.

*Quid plura referam*? Stupendam solis defectionem & terribilem terræ concussionem quæ Christo moriente contigerunt, scribunt Evangelistæ; narrantur quoque a Phlegonte Ethnico Scriptore lib. 13. Olympicorum Chronicorum. Igitur, vel ipsis fatentibus paganis vera scripserunt novi Testamenti Evangelistæ.

## TERTIUM ARGUMENTUM

*Petitur ex concordantia novi cum veteri Testamento*.

ILLI libri sunt genuini qui concordantur cum oraculis Prophetarum, promissionibus Patriarchis factis, & hoc multis retro sæculis ante Christum natum, quem omnes cæteras Test. figuras tum in sacrificiis, tum in sacramentis expressas præludunt : Atqui tales sunt libri novi Testamenti : Ergo &c. Major patet, quomodo enim citra miraculum fieri posset, ut tantopere in se distantia concordarent, si veritas omnium fortior, omnibusque temporibus, quinimmo & hominum passionibus dominans non adesset ? Probatur igitur minor in qua solum reperitur difficultas.

*Primo quidem*, Quia eamdem fidem, eamdemque doctrinam, saltem quoad substantiam, continent libri novi Testamenti cum doctrina veteris Testamenti : Eumdem quidem Deum & Christum, eadem præcepta, eumdemque prædicant finem & beatitudinem.

*Secundo* : Novum Testamentum omnes terminat veteris figuras : Messiam enim quem prænuntiaverunt Prophetæ, præsentem exhibet : sacramenta virtute majora succedunt legis Mosaicæ Sacramentis : Nova lex habet Sacrificium quæ Sacrificia Mosaica rimatur quidem, sed virtute nedum adæquat, verum etiam longe præcellit, juxta illud Heb. 10. de Christo summo Sacrificatore : *Una enim oblatione in sempiternum consummavit sanctificatos*. Quam quidem doctrinam Patres certatim propugnant, explicant, atque defendunt.

*Athenagoras* in sua pro Christianis legatione sic loquitur : " Fidei nostræ testes ha„ bemus Prophetas, qui Christum de Deo „ & rebus divinis disseruerunt. Si ratio„ nibus niteremur, merito humanam esse „ persuasionem nostram aliquis putaret : „ verum insuper Prophetarum voces ani„ mare nostras : unde Irenæus lib. 2. cap. „ 57. dicit ad Prophetarum libros, remit„ tendos esse eos qui nolunt miraculis, „ quibus fides Christi propagata est, cre„ dere. „

*Origenes* lib. 1. contra Celsum de adversario suo queritur quod Judæi credant vaticiniis Prophetarum, & tamen nolint credere iis quæ sequuntur ad Prophetas de Jesu Nazareno : Eamdem doctrinam confirmat Tertullianus lib. adversus Judæos, & Cyprianus in suis vicissim libris adversus eosdem.

*Lactantius* lib. 5. divinarum institutionum, cap. 3. sic loquitur : " Disce igi„ tur, si quid tibi cordis est, non idcir„ co a nobis Deum creditum Christum „ quia mirabilia fecit, sed quia videmus in „ eo facta esse omnia quæ nobis annuncia„ ta sunt vaticinio Prophetarum ........ „ Prophetarum testimonio, qui omnia „ quæ fecit, & quæ passus est mul„ to ante cecinerunt, fidem divinitatis ac„ cepit. „

*Succinit* egregie S. August. lib. 18. de civit. Dei, cap. 40. his verbis : " Cui enim „ narranti melius præterita credimus, „ quam qui etiam futura prædixit, quæ „ præsentia jam videmus„ Unde lib. 12. con„ tra Faustum, cap. 45. Non contemne„ rentur .... quæ Apostoli annunciabant, „ demonstrabantur hæc a Prophetis ante „ fuisse prædicta. „ Non ergo mirum si & Christus & Apostoli, ut doctrinam

suam

suam tuto confirmarent, veterem Scripturæ legem & Prophetas toties appellarunt. Legatur v. g. sanctus Matth. cap. 18. vers. 21. laudat Isaiam, cap. 2. vers. 6. Michæam vers. 15. ejusdem capitis: Oseam, & vers. 18. Jeremiam, ita non solum ille, sed & cæteri Apostoli scriptores post Christum Magistrum multa adduxerunt veteris Testamenti vaticinia, quæ etiam notata sunt ad marginem accuratarum novi Testamenti editionum, frustra a nobis omnia appellarentur.

*Idem* S. Doctor hanc prosequitur probationem lib. 10. de civit. Dei, cap. 32. relatis enim diversis Philosophorum sententiis, qui, inquit, neque in beatitudine astruenda, neque in mediis ad eam conducentibus, vera scripsere, subdit: " „ Non talia sancti homines in ista universali animarum liberandarum via gradientes, tanquam magna prophetare curarunt: quamvis & ista eos non fugerint, & ab eis sæpe prædicta sint, ad eorum fidem faciendam, quæ mortalium sensibus non poterant intimari, nec ad experimentum celeri facilitate perduci. Sed alia erant vere magna atque divina, quæ quantum dabatur, cognita Dei voluntate, futura nunciabant. Christus quippe in carne venturus, & quæ in illo jam clara perfecta sunt atque in ejus nomine impleta, pœnitentia hominum, & ad Deum conversio voluntatum, remissio peccatorum, gratia justitiæ, fides piorum, & per universum Orbem in veram divinitatem multitudo credentium, cultura simulacrorum dæmonunque subversio & a tentationibus exercitatio, proficientium purgatio, & liberatio ab omni malo, judicii dies, resurrectio mortuorum, societatis impiorum æterna damnatio, regnumque æternum gloriosissimæ civitatis Dei, ejus conspectu immortaliter perfruentis: in huius viæ scripturis prædicta atque promissa sunt quorum tam multa completa conspicimus, ut recta pietate futura esse cætera confidamus. „

*Juvat* nunc ex ipsis Scripturarum fontibus ostendere istam concordiam.

*Primo*: Christus dicitur de semine Abraham Matth. 10. & ita prædictum fuerat Gen. 12. his verbis; *In te benedicentur universæ cognationes terræ*.

*Secundo*: Christus dicitur natus de Virgine Matth. 1. 18. illud ipsum Isaias cap. 7. prophetaverat, his verbis: *Ecce Virgo concipiet*. Ibidem annuntiatur ut Princeps pacis, ut Emmanuel, & Pater futuri sæculi: quod mirum in modum videmus a septem supra decem sæcula & amplius adimpletum.

*Tertio*: Matthæus refert Magos venisse ab Oriente ad Christum adorandum. Istud habetur in prophetia Isaiæ cap. 60. his verbis: *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, &c.*

*Quarto*: Christus appellatur Filius Dei, Matth. 3. Joan. 1. Illud autem prædixerat David Psal. 2. 7. his verbis: *Ego ante Luciferum genui te*.

*Quinto*: Christus passim in Evangelio vocatur miraculorum patrator: De hoc momento multus fuerat ante sermo apud Isaiam cap. 41. his verbis de Christo prolatis: *Tunc aperientur oculi cæcorum, &c.*

*Sexto*: Referunt Evangelistæ, primo quidem Christum sanctam civitatem ingressum fuisse cum pompa & acclamatione: Item Principes & Seniores convenisse ut eum morti traderent, deinde crucifixum & postea a mortuis resurrexisse & ascendisse in cœlum. Zachar. 9. sermo habetur de ejus triumpho: Psalmo 2. de Concilio Judæorum adversus Iesum. Jerem. 11. 9. de ipsius morte: Psalmo 3. de ipsius Resurrectione, & Psalm. 23. 7. de ejus Ascensione: Ergo &c.

## QUARTUM ARGUMENTUM

*Petitur ex inspiratione librorum novi Testamenti.*

ILLI libri sunt genuini qui fuerunt a Deo inspirati: Atqui tales sunt libri novi Testamenti: Igitur sunt genuini. Major patet, quod enim est a Deo, verissimum est: probatur igitur minor & quidem multipliciter.

*Primo, ex Scriptura sacra.*

MATTH. 10. cap. 19. habetur Christum Apostolos sic fuisse allocutum: *Non enim vos*

*vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Luc. 12. 15. *Ponite ergo in cordibus vestris non praemeditari quemadmodum respondeatis, ego enim dabo vobis sapientiam cui non poterunt resistere*. Tum Joan. 14. v. 26. *Paraclitus enim Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis*. Rursus 1. Cor. 2. *Sermo meus & praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus & veritatis*. Et ad Gal. 2. *Notum facio Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem;neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*.

*Secundo, ex Conciliis & sanctis Patribus.*

CONCILIUM GARTHAG. III. can. 47. & Trid. in decreto speciali declarant libros novi Testamenti fuisse Deo inspirante scriptos.

*Huic* veritati assipulantur S. Clemens Papa in sua ad Cor. epist. S. Justinus apol. 2. S. Iren. l. 1. adversus haer. cap. 46. & 47. S. Clemens Alex. exhortatione ad Gentiles S. Ambrosius epist. ad Justum S. Hieronymus comment. in epist. ad Philemonem. S. Epiphanius haer. 76. S. Chrysostomus homil. 37. in Genesim S. Augustinus lib. de consensu Evang. cap. 35. Sanctus Gregorius Magnus in Proemio Moralium. De libro Job eius verba referre non abs re erit: Sic loquitur de auctore libri: " Quis haec scripserit, valde " supervacue quaeritur, cum tamen auctor " libri Spiritus sanctus fideliter credatur. " Ipse igitur haec scripsit, qui haec scribenda dictavit: ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit. "

*Tertio, ex Actibus Martyrum.*

ACTUS Martyrii Saturnini, & Scillitanorum, qui in Africa sub Severo Claudio Consule anno 303. passi sunt, sane subindigitant veritatem: Similiter & Martyrii historia SS. Abylinensium, qui omnes mortem potius subire quam Scripturas sacras Paganis tradere maluerunt. Quorsum haec? Nisi quia ut divinas illas habebant. His testimoniis accedit consuetudo Ecclesiae, quae in Conciliis usa est sanctis Scripturis, uti verbo Dei, tum ad confutandos Haereticos, tum ad fidei veritates confirmandas; Ergo &c.

*Quarto*: Illi libri sunt inspirati & divini, qui solum a D. O. M. promanare potuerunt: Atqui tales sunt libri novi Testamenti: Ergo &c. Probatur minor. Illi libri continent & mysteria quae omnem humanum superant captum, & praecepta moralia vires hominis in se relicti excedentia, nullus quippe sine gratia & concupiscentiam vincere, & injurias condonare valet; Igitur a Deo solum promanare potuerunt. Ex professo redibit sermo.

## QUINTUM ARGUMENTUM

*Petitur ex miraculis patratis pro confirmatione doctrinae librorum novi Testamenti.*

ILLI libri sunt genuini & verissimi, quorum doctrina multis confirmata est miraculis, immo & totius mundi ad Christum conversione: Atqui res sic se habet: Ergo &c. Major patet; Nam miracula sunt solum pro astruenda veritate: Minor utique ex motivis credibilitatis quae supra attulimus: Sufficiat ergo impraesentiarum unicum producere Augustinum, qui duo probat contra Gentiles l. 10. de civ. Dei cap. 16. & 12. In primo quidem ostendit miracula Deorum inanium esse falsa, nec aliud esse praeter naturae deficientis effectus, ut monstra, vel quod peius est artis magicae vel Thurgicae fructus. In posteriori vero probat miracula a Deo patrata sola esse verissima. " Neque " enim, *ait*, audiendi sunt, qui Deum " invisibilem visibilia miracula operari " negant; cum ipse etiam secundum ipsos fecerit mundum quem certe visibilem negare non possunt. Quidquid igitur mirabile fit in hoc mundo, profecto minus est quam totus hic mundus. " Ergo &c.

*Obtunduntur spicula Infidelium.*

OPPONUNT Scripturam sacram esse ab hominibus, cum ab ipsis eam habeamus: Igitur non a Deo. Confirmatur: non ab Angelis eis dictata est, cum hoc nullibi lega-

legatur, superest igitur quod eam vel ad nutum phantasiæ, vel opera mali geni. tradiderint; non enim semel contigit homines consuluisse dæmones, ut liquet de Magis Pharaonis, de quibus multus est sermo Exod. 8. 9. & 10.

*Respondeo* distinguendo: Scriptura sacra ab hominibus inspiratis prodiit, concedo: non ispiratis, nego. Multa momenta probant Scripturam sacram ab hominibus a Deo inspiratis promanasse. Primoquidem ecquis sibi persuadeat Prophetas, Evangelistas, Apostolos ex parte rudes & illiteratos, a pueris aut Agricolas, aut Pastores, aut Artifices, aut Piscatores tam sublimem & admirabilem doctrinam cœlitus non accepisse? Secundo, multa, ut Prophetæ, menti humanæ prorsus impervia & abscondita annuntiavere, quod citra revelationem facere non potuerunt. Tertio, Mysteria quæ captum hominum ita superant scripserunt, ut in iis capiendis, si non adsit gratia illuminans, cæcutiat intellectus creatus.

*Ad* confirmationem: Scriptum est in Actibus, Moysen dispositione Angelorum a Deo accepisse legem quam suo tradidit populo: neque vero minus claret historiam creationis ante ipsos homines factę, & primis parentibus postea coevæ absque revelationis ope potuisse scriptis mandari. Quod autem aut Athæi, & malevoli alii malo alicui genio tribuere audeant, hoc dubio-procul absque fundamento asseritur, cum & sermones & scripta nihil nisi puritatem, pietatem, sanctitatem spirent. Quam quidem doctrinam tot & tantis miraculis consignarunt, ut Deum solum Auctorem habuisse constet, maxime cum hujusmodi prodigia ad unius Dei cultum instituendum, & ad abolendam sacrilegam dęmoniorum superstitionem ediderint viri, quorum mores innocentissimi erant, & quorum sibi semper constans vitæ tenor summam erga unum Deum reverentiam, erga homines benevolentiam, erga magicas artes magnam execrationem omnium oculis ingerebat. Quis cordatus credet homines omni humano destitutos auxilio, sæviente mundo, terrente diabolo contra auctoritatem Principum, contra superstitiones Sacerdotum & populorum, contra argumenta Philosophorum, eloquentiam Oratorum, corruptionem passionum ubique grassantem potuisse nulla virtute divina adjutos tam felici exitu legem, quam litteris mandarunt, defendere, propugnare, stabilire, ac tandem omnem potentiam humanam reluctantem, flamma & ferro atrociter sævientem devincere, eamque cruci quam oppugnabant, subjicere.

*Replicant:* Miracula in gratiam religionis patrata non sunt vera miracula, sed solum aut virtute naturali, aut ope dæmonum prodigia facta, ut legere est de portentis a Magis Pharaonis editis. II. Infideles suos itidem habere & vates & oracula gloriantur. III. Vel ipsi Mahumetani Alcoranum a Deo inspirante prodiisse, immo & signis consignatum jactitant, quam legem universi prope orbis terrarum populi tanto animi obsequio osculant, ut levissimum in comparatione Christi cultorum prævalere tantæ multitudini citra temeritatem dici non possit.

*Jamjam* in tractatu attributorum dissert. 1. de existentia Dei fecimus satis illis & similibus putridis argumentis; verum ad abundantiam juris iterum respondere juvat.

*Respondeo* negando miracula facta tum in veteri, tum in novo Testamento ad legem Dei confirmandam non esse vera miracula. De prioribus constat, cum Moyses non clanculum, sed coram populo, sed astantibus Ægyptiis ea fecerit; neque tamen ullum adversus prodigiorum veritatem reclamasse legitur. De posteriorum genuitate non minus liquet; tametsi enim quidam inter Judæos obduratissimi miracula Christi virtuti dæmoniorum tribuerint, præter quam quod ipse Jesus hanc insulsam propulsaverit calumniam, dicendo eos contradictoria eloqui, cum implicet dæmonem signa facere ad evertendum suum regnum, in hoc quippe tendebant Domini nostri miracula, alii cedebant signis, & ita fidei obediebant, ut teste Eusebio lib. 3. Hist. Eccles. cap. 31. universa Hierosolymorum Ecclesia ex solis Hebræis, qui ad fidem christianam conversi erant, ab ævo Apostolorum ad tempora usque Adriani Imperatoris, qui Judæos & Christianos Hierosolymis expulit, fuerit conflata.

*Ad* secundum distinguo: Infideles habue-

buerunt sicut Synagoga Vates & oracula falsa, concedo: vera, nego. Revera quidem, tempora quibus deos Gentium floruisse dicuntur, fabulosa sunt, & ipsos non nisi numina commentitia fuisse fuso calamo ostendit Tertullianus in suo apologetico. Quantum ad Vates & oracula quæ Gentiles ventilant, circa dubium est, ejusmodi oracula edita esse circa minutos, obscuros, nulliusque momenti eventus, circa quos nullus est adeo mendax Vates, qui confidenter & impune non garriat, immo identidem mentiendo, in verum quandoque non incidat. Unde Cicero lib. 2. de divinatione, hæc, quæ sua ætate circumferebantur oracula deridet, partim ut falso conficta, partim ut casu vera, partim ut ambigua responsa Sacerdotum, incautam & simplicem plebem decipientium. Non sic prophetię, quas veras esse probavit eventus omnis, ut ex concordia veteris Testamenti cum novo ostendimus. Ex quo liquet Scripturas sacras esse genuinas & inspiratas.

*Juvat* hic texere miram Lactantii responsionem: Sic loquitur de Gentibus lib. 2. institutionum cap. 17. " In oraculis " vel maxime fallunt, quorum præstigias " prophani a veritate intelligere non pos- " sunt, ideoque ab illis attribui putant " & imperia, & victorias, & opes, & " eventus prosperos rerum: Denique i- " psorum nutu sæpe rempublicam pericu- " lis imminentibus liberatam, quæ peri- " cula et responsis denuutiaverunt, & " sacrificiis placati averterunt. Sed om- " nia ista fallaciæ sunt; nam cum dispo- " sitiones Dei præsentiant, quippe qui " Ministri ejus fuerunt, interponunt se " in his rebus, ut quæcumque a Deo " vel facta sunt, vel fiunt, ipsi potissimum " facere, aut fuisse videantur; & quo- " ties alicui populo, vel urbi, secundum " Dei statum boni quid impendet, illi " se id facturos vel prodigiis, vel som- " niis, vel oraculis pollicentur, si sibi " templa, si honores, si sacrificia tri- " buantur. Quibus datis, cum illud ac- " ciderit, quod necesse est summam sibi " pariunt venerationem. Hinc templa " devoventur, & novæ imagines con- " secrantur, mactantur greges hostia- " rum, &c. "

*Ad* tertium nego Alcoranum a Deo prodiisse, & veris miraculis consignatum. Tametsi enim quædam pia in eo legantur, duo certa sunt apud omnes. Primum quidem ea Mahumetum a Judaica & Christiana revelatione suffuratum esse. Secundum, eadem partim fabulis, partim etiam putidissimis erroribus commaculasse. Et vero insulsas in Alcorano suo collegit Rabinorum fabulas, tum Sabellianorum, Manichæorum, Arianorum, aliorumque hujus fursuris Hæreticorum nævos. Quod autem corrumperit revelationem Judaicam & Christianam, liquido constat ex multis. I. Docet Abrahamum Templum Mechæ erexisse, ibique cultum Dei juxta Alcoranum instituisse. II. Ismaelem adæquat Isaaco, & quasi præfert, & sic exsufflat Abrahæ factæ promissiones in Isaac. III. Ut de novi Testamenti revelatione loquamur, Mariam, quæ Christum peperit, eamdem facit cum Maria Moysis sorore. IV. Christi divinitatem infrunito ore negat, eumque non fuisse crucifixum, sed alium in ejus locum suffectum esse fabulatur. V. Demum legem totam carnalem & multiplici uxorum apparatu ad nutum cujuslibet prædicat, nec alium promittit Sectatoribus præter paradisum obscœnis voluptatibus exæstuantem & plenum. Neque vero aliud pro jure & justitia habet, quam vim armorum, quibus per fas & nefas sui omnem orbem terrarum suo possint adscire imperio, cum e contra religio Christi tota humilis, tota immaculata, tota sancta; hinc & sola revelata.

*Obstrepunt* iterum: Illæ Scripturæ non sunt inspiratæ, si libri in quibus continentur, non possint dici sacri: Atqui hujusmodi libri non sunt sacri: Et probatur. Sunt tantum compilationes fragmentorum quæ hinc inde absque delectu ab Esdra collecta, disturbato ordine, nullaque habita ratione temporum, in diversa volumina digesta et compacta sunt, ut videre est in libris Prophetarum, maxime in Jeremia. Ergo &c.

*Respondeo* I. Vaticinia Prophetarum, quæ primi Christiani habebant, & ad nostra usque tempora pervenerunt, tanti fuisse ponderis, ut Justinus & alii multi Philosophi ea in Christo adimpleta animadvertentes, velut inspirata crediderint, &

eorum

eorum lectione fidem Christi amplexi sint, quam quidem & proprio consignare sanguine non dubitarunt. Ea ipsa laudavit Christus adversus Iudæos obstrepentes: Ea S. Paulus contra eosdem, neque tamen conquesti sunt non esse genuina, verum potius ut veros Prophetarum fœtus ita habebant, ut multi etiam ex Sacerdotibus obedirent fidei, ut legitur Act. 2. 3. Eadem sancti Patres, nedum adversus Judæos, sed contra Ethnicos ad fidem defendendam laudabant. Non abs re erit quorumdam verba hic texere.

*Christus* Dominus Luc. 24. occurrens duobus discipulis in castellum Emaus euntibus, eorum increpavit incredulitatem, in quam propter passionis scandalum non nihil prolapsi fuerant. *O stulti!* inquit eis, *& tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant.* S. Paulus Act. 26. causam suam defendens & perorans coram Rege Agrippa & Festo Syriæ Præside, eos sic allocutus est: *Auxilio autem adjutus Dei, usque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque majori, nihil extra dicens, quam ea quæ Prophetæ locuti sunt, futura esse, & Moyses: Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo & Gentibus.*

*Jam* ad sanctos Patres veniamus. Athenagoras in legatione pro Christianis ait: " Eorum quæ novimus, & credimus „ habemus Prophetas testes . . . voces „ Prophetarum confirmant nostras rationes. „ Origenes lib. 2. contra Celsum est ejusdem labii; ibi enim vocat validissimam demonstrationem eam quæ ex prophetiis deducitur. S. Cyprianus lib. adversus Judæos in Præfatione ad Quirinum dicit: " Prædictiones Prophetarum valere ad „ prima fidei lineamenta formanda. „ Quid plura? S. Augustinus tract. 35. in Ioan. sic loquitur: " Quid est Christus, „ dicit Paganus? Cui respondemus: „ quem prænuntiaverunt Prophetæ. „

*Respondeo* 2. ad argumentum negando minorem: Ad probationem, distinguo; Libri sacri sunt collecti ab Esdra Propheta, & Ecclesia sancto Spiritu afflata judicavit quinam recipiendi, quinam vero abjiciendi sint, concedo: sicut autem Propheta, sic & Ecclesia in re tanti momenti errare non possunt: Et adulterini pro genuinis suscepti sunt, nego. Hoc fusiori calamo agendo de quolibet libro in particulari explicabimus. Porro non una ratio probat Prophetarum libros esse inspiratos. I. Hoc evincit consensio veteris testamenti cum novo. II. Hoc quoque quod Judæi Christianos laudantes Prophetas pro Christo, libros deflorasse nusquam insimulaverint. Jam vero si non adsit semper in historiis texendis ordo temporum, nulli mirum videri debet, cum Jeremias v. g. in angustia temporum, necessitate compellente, iterata vice suas Baruch. dictaverit prophetias, & ex alia parte Libri sacri in variis Judæorum captivitatibus, varia quoque passi sint naufragia. III. Demum diversus materiarum ordo ne minimum quidem negotium facescit pro authenticitate sacrorum, maxime in prophetiis enarrandis: quin potius illam astruit, cum Prophetis Dei afflatu motis solemne sit modo unum de aliquo oraculum, modo alterum de alio momento proferre: Scriptum est enim Ezech. 1. *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.*

*Dices*: Prophetarum libri non urgent Ethnicos, cum suspectos & malæ fidei habeant Judæos: Ergo &c.

*Respondet* S. Augustinus lib. 13. contra Faustum: " Dicere non esse aptam Gen„ tibus Hebræam Prophetiam, cum vi„ deamus omnes Gentes per Hebræam „ Prophetiam credere in Christum, ridicula insania est. „

*Aliæ objectiones proponuntur & solvuntur.*

Objicitur: Plures circumferuntur libri sub nomine Apostolorum, puta Thadæi & similia. Igitur Libri novi Testamenti non sunt genuini. Confirmatur. Patres, ut Ignatius, Clemens Romanus, Polycarpus etiam citant ea quæ continentur in libris apocryphis; sic Clemens mentionem facit de libris Sybillinis, quod argumentum est libros non esse genuinos, quia veri a falsis discreti non apparent. Rursus confirmatur. Veteres Ecclesiæ Doctores nullam faciunt mentionem de no-

vi Te-

vi Testamenti libris, ut Patres mox laudati, item nec Polycarpus, Athenagoras, Theophilus, Tatianus, in primis nec Hermas Apostolorum discipulus.

*Respondeo*, ex probationibus patere Libros novi Testamenti esse genuinos. Ad 1. distinguo: Et libri apocryphi non fuerunt ab Ecclesia recepti ut canonici, concedo: secus, nego. Nullus igitur generalis consensus probavit ejusmodi libros, quinimmo multos in eis scatere errores, multaque mendacia compertum habemus.

*Ad* 2. distinguo: Patres quandoque libros apocryphos citarunt historice narrando, vel etiam ad majorem veritatis confirmationem sententiis aliquibus veris usi sunt, concedo: & illos citarunt tamquam canonicos, nego. Quædam igitur ex his quandoque laudavere Patres, multa siquidem bona continent libri apocryphi, quæ vel in Prophetis, vel in Apostolorum scriptis illorum auctores sumpserunt, unde non mirum si a sanctis Doctoribus quandoque celebrentur; sed non ea profecto mente ut essent canonica Scriptura.

*Dices*: Ejusmodi libri habent aliquid ex Prophetis desumptum: Igitur pares sunt cæteris libris.

*Respondeo* negando consequentiam & paritatem. Disparitas est, quod libri novi Testamenti Ecclesiæ propositione firmati sint, & ejusdem consensu recepti, secus vero alii.

*Ad* 3. nego Patres nullam fecisse mentionem de libris novi Testamenti; siquidem Papias d'fingnit Evangelium Marci ab Evangelio Matthæi; hic autem erat Apostolorum discipulus. Ita Eusebius lib. 3. historiæ cap. 39. Irenæus quatuor Evangelistas bis nominat cap. 16. Justinus apolog. 2. laudat hæc Joannis verba: *Deus erat Verbum*. Unde respondeo II. distinguendo: Patres primorum sæculorum nullam fecere mentionem de libris novi Testamenti aliquando, & cum res non postulabat, concedo: semper, nego. Tria distinguntur Patrum opera, quædam ad Catechumenorum instructionem: quædam ad fidei defensionem: quædam vero ad mores instituendos. In primis aut nullo modo, aut subobscure loquebantur de mysteriis & libris Scripturarum, ne Christi thesaurus foret in prædam Gentilium, qui quandoque audiebant Apostolorum discipulos de regno Dei sermocinantes: vel etiam propter Catechumenorum debiliorem & titubantem fidem, quibus certe non omnia & præcipua committenda erant mysteria. In secundis palam & publice, immo & clare loquebantur de mysteriis: rarius in tertiis & posterioribus.

*Contra*: Libri novi Test. non sunt Veraces: Igitur nec genuini. Probatur Ant. multipliciter: Primo quidem, quia discipuli iterum atque iterum decepti falsa scripsere; Judæi enim vocabant Christum seductorem. Secundo, veritatem redolere nequeunt scripta virorum imperitorum, quales erant Apostoli, qui pene omnes piscatores erant. Tertio, Julianus & ante ipsum Celsus in magicas revocat artes miracula ab Apostolis pro veritatis confirmatione patrata. Denique potuerunt Apostoli simulare veritatem, & vita admodum pœnitenti & dura mendacium tegere.

*Respondeo*, istas objectiones ex supra dictis solutas manere, immo & evanescere. Prima quidem propellitur miraculis & resurrectione Christi, ac totius mundi conversione, quæ quidem sunt argumenta ejus, tum divinitatis, tum sanctitatis irrefragabilia. Ad cætera in promptu est eadem responsio; in hoc enim plurimum mirabile fuit, pauperes spiritu piscatores evangelizasse regnum Dei, quod certe fieri non potuit, nisi Deo magistro inspirante, docente, & protegente. Ceterum & miracula, & ipsa Apostolorum sanguinis effusio probant eos vera scripsisse.

*Reponunt* Religionis hostes: Libri novi Testamenti non fuerunt inspirati: Igitur nec genuini. Probatur Ant. Primo quidem, quia inter se pugnant: alia enim proponit Mattheus, alia vero Lucas: si autem a Deo promanassent auctore, profecto nihil esset in eis diversum, quando quidem diversitas a diversitate causarum procedit.

*Respondeo*, negando Ant. Ad probationem jam supra factum est satis: attamen ad abundantiam juris distinguo: libri N. T. diversa proponunt, id est, unus auctor refert ab alio omissa, vel non satis explicata, concedo: diversa contrarie, aut contradictorie, nego. Diversitas duplex distinguitur, alia omissionis & explicatio-

tionis: alia vero contrarietatis, seu etiam contradictionis. Prior in eo sita est, quod quædam referantur in uno, quæ ab alio, vel omissa sunt, vel non sufficienter & secundum omnes circumstantias explicata: posterior vero quando aliquid affirmetur alicui puncto ab alio Scriptore laudato penitus diversa, ut si v. g. Matth. dixisset de latronibus quod uterque semper & usque ad mortem convitiatus fuisset Christum; tunc in hac hypothesi Lucas referens unius Latronis conversionem, non vera protulisset. Prima diversitas solum reperitur apud Evangelistas; sic Lucas sanguinis sudorem enarrat, quem omiserat Matthæus: Matthæus vero fusius explicat beatitudines a Christo in monte prælaudatas & publicatas, quam ipse Lucas: iste enim quatuor tantum posuit, per abbreviationem & non per contrarietatem, si quidem in octo a S. Matthæo allatis continentur.

*Instant*: Libri N. T. adversantur libris antiquæ legis, qui tamen erant inspirati: Igitur illi spiritum sanctum non habuerunt auctorem: Probatur Ant. Multa sunt in V. T. quæ non solum bona non credimus, verum etiam quæ mortifera reputamus: sic v. g. Apostolus Gal. 5. de circumcisione aiebat: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*.

*Respondeo* negando Ant. Ad prob. distinguo: Et illa quæ objiciuntur erant bona suo tempore, concedo: erant mala, nego. Lex vetus abrogata est, quia, veniente veritate, cessant figuræ, unde nunc est mortifera: utrumque affirmat novum Testamentum: Igitur non adversatur veteri.

*Persistunt*: Illi libri non videntur inspirati, qui indigent ulteriori auctoritate, ut confirmentur: Atqui libri N. T. indigent ulteriori auctoritate, scilicet veteris Testamenti, ut confirmentur; Apostoli enim varia, tum Moysis, tum Prophetarum oracula assumunt, ut sua scripta non solum apud Judæos, verum etiam apud Gentiles credibilia reddant.

*Respondeo* distinguendo: Si ejusmodi libri ulteriori indigeant auctoritate ad suam veracitatem quoad se comprobandam, concedo: si solum quoad homines, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam: libri N. T. ea solum nituntur auctoritate quæ est divina, unde non indigent absolute loquendo ulteriori auctoritate, ut credibiles dicantur: quia vero homines variis moventur desideriis, & parum admodum sit in eis lumen, præsertim circa divina intelligenda, non est inconveniens variis momentis illis explanare veritatem: unde ipse Christus utebatur oraculis Prophetarum, similiter & ad ejus imitationem Apostoli, ad probandam, tum divinitatis, tum incarnationis veritatem; maxime apud Judæos quippequi admitterent V. T. Scripturas, unde opus erat ut Verbi divini præcones eis ostenderent figuras veteris legis esse in Christo adimpletas: apud Gentiles etiam, ut concordia utriusque Testamenti, quæ inter tot & tam distantia sine miraculo adinveniri non potuit, intelligerent veram esse Christi legem, verosque novi Test. libros.

*Replicant*: Quæ sunt inspirata, fiunt absque humana industria; solum gravia & supernaturalia referunt: Atqui tales non sunt libri novi Testamenti. Primo quidem, quia Apostoli morem in scribendo aliorum auctorum gesserunt, scilicet inquirendo, laborando & referendo, vel quod ipsi viderant, ut Joannes qui aquam e latere Christi promanantem se vidisse profitetur, quinimmo & scripsisse sicut viderat: vel etiam quæ audierant, sic Marcus scripsit Evangelium ut audivit a Petro, Lucas vero ut didicerat a Paulo. Secundo, multa sunt naturalia & cæteris hominibus communia, ab Apostolis tamen conscripta, ut in epist. ad Timoth. 2. cap. 4. 11. in qua sic loquitur Apostolus: *Lucas est mecum solus*. Igitur quædam scripserunt quæ ad fidem non pertinent, adeoque nec ad revelationem. Tertio, quædam levioris momenti referuntur, ut salutationes: Igitur ista non fuerunt inspirata, alias si quæcumque in Scripturis continentur, divinæ subessent inspirationi, non foret discrimen inter graviora & levia: nec mysteria rebus humanis forent majori fide digna, quod est inconveniens.

*Respondeo* distinguendo: Quæ sunt inspirata, tam quoad substantiam, tam quoad modum non sunt ab humana industria, transeat: quæ sunt solum inspirata quoad modum, nego. Et sic distincta mino-

minore, nego consequentiam. Multa sunt in Scripturis distinguenda: quædam quæ ab inspiratione, tam quoad substantiam, quam quoad modum profluunt, qualis est revelatio SS. Trinitatis. Enim vero mysterium istud quoad se omnem superat captum humanum; immo & quoad modum, neque enim, aut labore, aut industria cognosci potest. Quædam vero sunt naturalia quoad se, ut salutationes,& sermonum enarrationes; & ista sunt ab inspiratione solum quoad modum, in quantum Spiritus sanctus aderat scriptoribus per assistentiam, ne ut jam jam dictum est, errarent, tum in scribendo, tum facta enarrando: ista autem non sunt tam inspirata quam ea quæ a Deo procedunt & quoad substantiam, & quoad modum: & sic patet responsio ad omnia argumenta; nam & leviora ut divinæ subsunt inspirationi sunt æque certa ac majora, quia idem est Verbum divinum loquens: quamob rem sequitur solum res humanas quoad se & in abstracto consideratas, non esse tanta fide dignas; secus vero ut divinæ subsunt revelationi.

*Respondeo* II. distinguendo: Apostoli morem cæterorum auctorum gesserunt quoad scripta materialiter sumpta, concedo: formaliter sumpta, nego. Quæ in Scripturis sacris mandata sunt, possunt considerari dupliciter, nempe, vel quoad se, vel quoad enarrationem & scriptionem. Primo modo nihil habent commune cum cæteris auctoribus prophanis, quando quidem isti scripserunt, vel quæ audierunt, vel quæ ipsi capiebant, vel etiam quod studio adinvenerant: & hoc semper naturali ducti lumine: Scriptores vero canonici retulerunt, vel quæ immediate didicerant a Deo, vel quæ Spiritu sancto afflati & assistente scriptis mandarunt. Jam veró Scripturæ alio possunt considerari modo, nempe præcise ut ordine quodam litteris & stylo conscribuntur; & ad hoc requiritur labor & industria sicut in cæteris: Et in hoc admittitur comparatio.

*Ad* id vero quod dicitur, Marcum scripsisse quæ audierat a Petro, distinguo: a Petro inspirato, concedo: secus, nego. Igitur & Marcus scripsit quæ a Petro inspirato didicerat: ipse vero eodem Spiritu assistente suum composuit Evangelium, & sic error nullomodo irrepsit in ejus scripta ex omni parte inspirata, adeoque & canonica.

*Sed* contra: Apostoli fuerunt Prophetæ & Doctores: quædam igitur scripserunt secundum revelationem, quædam vero secundum doctrinam: Igitur quando locuti sunt ut Doctores, non locuti sunt, ut inspirati, adeoque omnia non sunt in Scripturis divina.

*Respondeo* distinguendo: Locuti sunt Apostoli directi a Spiritu sancto ne errarent, concedo: secus, nego. Habuerunt igitur in doctrina sua infallibilitatem.

*Replicant*: Multæ rationes in Scripturis N. T. referuntur, quæ magis redolent doctrinam & opinionem quam revelationem: sic Paulus disserens de castitate 1.Cor.7. ait, *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do*. Igitur non habebat de virginitate servanda revelatione. Rursus Atheniensibus rationibus humanis & ipso Poetarum effatu probat veri Dei optimi unitatem: Ergo &c.

*Respondeo* ut supra, Apostolos protegente & assistente Spiritu sancto vera semper scripsisse.

*Ad* 1. exemplum distinguo: Paulus non habebat revelationem de Virginitate præcipienda, concedo: de eadem proponenda, nego. Nam subdit statim: *Puto quod & ego spiritum Dei habeam*. Sequitur igitur solum nullum fuisse a Christo emanatum præceptum de servanda virginitate, secus vero Consilium: nam & ipse ad hanc perfectionem adhortatus est homines, Matth. 19. & post ipsum Apostolus.

*Ad* II. distinguo ut supra: Et S. Paulus infallibilitatem habuit, ut certis Poetarum auctoritatibus & rationibus probaret idololatris Dei unitatem, concedo: cum enim isti nullas admitterent Scripturas, auctoritate ipsorum Philosophorum & Poetarum atque ratione de superstitione erant convincendi. Et Doctor gentium non habebat in scribendo infallibilitatem, nego.

*De modo quo Deus se gessit respectu Scriptorum canonicorum.*

AD plenam & claram objectionum solutionem, operæ pretium est dicere quomodo

do S.Spir. se gesserit erga Scriptores canonicos. Deus igitur potest loqui multiplici modo, scilicet vel antecedenter, videlicet inspirando, revelando, & demostrando quid scribendum, quidve dicendum sit, ita ut scriptor nihil proprio marte, aut scriptis mandet, aut faciat; quodquidem fieri potest vel per revelationem, sic S. Paulus in extasi raptus multa audivit arcana: vel per visionem imaginariam, ut cum Petrus linteum serpentibus & quadrupedibus plenum e cœlo demissum vidit, & postea in idem receptum, qua quidem visione Spiritus sanctus gentilium vocationem illi manifestabat. Quandoque etiam hoc fit per alsu nptionem specialem a spiritu Dei, sic David Spiritus sancti impulsu & impetu exclamans, ait *: Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax;* nonnumquam per allocutionem sensibilem, ut Angelus qui loquebatur Moysi in rubo, quę quidem allocutio facta est in vigilia: vel etiam quando Deus os ad os loquitur, sicut Moysi & Paulo locutus est: vel denique per inspirationem internam eamque specialissimam, ut diximus de excessu David.

*Alio* modo loquitur Spiritus S. scilicet concomitanter, & non ita distincte, sed ad modum dirigentis, ne erret Scriptor: unde est motio & inspiratio specialis, eaque continua, ut Scriptor canonicus in omnibus veritatem dicat. Etiam se habet Spiritus sanctus, respectu Scriptoris canonici, dictando verba & sensus, maxime cum de mysteriis agitur. Quandoque sensum & non verba dictat, sic Samuel multa audivit contra Eli Magni Sacerdotis domum, & scriptis ad suum modum redegit, atque enarravit. Quandoque inspiratio est tantum ad veritatem locutionis, ita ut & substantia rerum gestarum, & eas scribendi modus sit humanus, sicuti in historiis referendis patet; v. g. Machabæi potuerunt describere prælia & facta sua: certe sensum non dictavit Spiritus sanctus, illi namque narraverunt & quæ viderant, & quæ ipsi fecerant. Neque etiam scribendi modus apparet a Deo infusus: tum quia historias scripserunt sicut alii auctores: tum quia stylus diversus est in diversis Sripturarum historiis; alius quippe apparet in libris Regum, alius in libro Judith & Estheris, alius in libris Machabæorum: alius in Evangeliis & in epist. ad Hebr. Porro si Scripturæ forent inspiratę quoad omnia, idem utique foret in omnibus scribendi modus. Relinquitur ergo quasdam Scripturas immediate esse a Spiritu sancto quoad substantiam, quasdam quoad verba & sensum: quasdam quoad modum, omnes quoad veritatem: Ita communiter Theologi.

*Dices*: Quidam primorum sæculorum Patres tenent omnes Scripturas esse a Spiritu sancto & quoad verba, & quoad sensum promanatas.

*Respondeo*, hoc verum esse pro Scripturis quæ vel de lege, vel de mysteriis tractant: neutiquam vero de his quæ humanas referunt historias. Posset tamen dici etiam de istis a Spiritu sancto & quoad sensum spiritualem & moralem, & quoad verba promanasse, in quantum Spiritus sanctus mentem, linguam & calamum Scriptorum dirigebat, juxta illud Prophetæ Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.* Nec mirum, Prophetæ & Apostoli pro Deo scribentes erant Spiritu sancto pleni, nec quicquam nisi ipsius impulsu & directione scriptis mandabant, & sic omnes, quæ circumferuntur de hoc momento in Ecclesia opiniones, conciliantur.

*Solvuntur objectiones contra concordiam Scripturarum.*

OPPONUNT fidei adversantes: Illi libri non sunt genuini, qui nullam, aut saltem sufficientem concordiam habent cum veteris Test. Scripturis: Atqui tales apparent Scripturæ N. T. Ergo &c. Major patet: cum enim novum Testamentum fundetur in Veteri, si non habeat cum isto relationem, nec utique habebit & veritatem. Probatur igitur minor, & quidem multipliciter. Primo, non est concordia cum prophetiis, namque omnia obscura admodum videntur. Secundo, cuncta quoque non semel apparent, quandoquidem prophetiæ, ut plurimum, sensum litteralem præ se ferunt, qui respicit res et personas. Tertio, plures contrarietatem spirant: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem. Ad probationem distinguo: Prophetiæ sunt obscuræ collective sumptæ, nego. Distributi-

ve, subdistinguo: & habent ab Ecclesia, tum propositionem, tum explicationem, concedo: secus, nego. Prophetiæ possunt considerari duplici modo, nempe in globo & collective, & sic una est confirmatio alterius, immo & explicatio. Sic cum dicitur Christus natus ex Maria Virgine, tunc concipitur illud Isaiæ effatum: *Ecce virgo concipiet*; ad Christum pertinere. Præterea quid mirum si Scripturæ obscuræ sint, non enim, ipso teste Christo, datum est omnibus hominibus noscere mysteria, ne vel simplices, vel etiam malevoli ipsas irriderent, sed majoribus & fidelibus concredita est fides explicita mysteriorum Religionis. Cæterum habemus Ecclesiam quæ fidem & exponit & explicat.

*Ad* 2. distinguo: Quæ dicitur in Scripturis possunt diversis applicari secundum diversos sensus, concedo: secundum eumdem, nego. Ultro fatemur Scripturas N. T. ipsi soli convenire secundum sensum litteralem, sed secundum spiritualem jure merito applicantur V. Testamento, v. g. Jerusalem litteraliter significat urbem Palestinæ; secundum sensum spiritualem designat Ecclesiam Christi. Dictum est autem supra Scripturas varios habere sensus.

*Ad* 3. distinguo: Scripturæ quandoque videntur contrariæ materialiter, concedo: formaliter, nego. Materialiter quidem, quatenus voces & phrases, immo & expressiones sæpe diversæ sunt: Sed diversitas levis est, & si quæ formaliter apparet, utique in levioribus sita est, nusquam vero in substantia. V. g. est de substantia fidei ut Magi venerint de longinquo ad Christum adorandum: sed ex qua præcise regione & mundi plaga, non est satis certum.

*Replicans*: Ipsi Christiani non conveniunt de expositione Scripturarum: Igitur non est concordia veteris cum novo Testamento: Idem sit judicium de cæteris ac de prophetia Jacob: Atqui alii illam explicant de sola Tribu Juda, alii vero de tota natione Judæorum: Ergo. &c.

*Respondeo*, distinguendo: Theologi Catholici quandoque non conveniunt de levioribus, transeat; de capitali, nego. Palmare prophetiæ Jacob caput est, ut Christus veniat ablato sceptro a Judæis, secundum autem omnium opinionem, in adventu Christi potestas Judaica prorsus fuit ablata & extincta.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Libri novi Testamenti sunt genuini.*

PRIMO: Tales invenerunt Patres quales habiti sunt, & nos habemus: Clemens Romanus in suis ad Corinthios Epistolis, Ignatius vicissim in suis ad Romanos, Trallianos & alios multa laudant loca, quæ adamussim in codicibus sacris leguntur.

*Secundo*: Consentiunt cum libris V. T. de Deo uno, & maxime de incarnato. Et vero Matth. 1. Christus dicitur de Virgine natus: hoc ipsum prænuntiatur Isaiæ 7. his verbis: *Ecce Virgo concipiet &c.* Et sic de adoratione Christi a Magis, de conversatione eius cum hominibus, miraculis, passione, & resurrectione.

*Tertio*; 2. Petri 3. Scriptores canonici dicuntur expresse a Deo inspirati. Hinc sacra Synodus Tridentina decreto speciali definit inter Libros N. T. in canone adscitos esse divinam Scripturam, quam uti talem sub anathematis comminatione credere præcipit.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Esto quod hujusmodi libri ab hominibus scripti sint, sed auctores homines locuti sunt inspirati a Deo, ait S. Petrus Epist. 2. cap. 3.

*Secundo*: Neque vero negamus libros aliquos Scripturæ esse apocryphos; sed hoc innuit, Ecclesiam, quæ uti tales declaravit, infallibilem esse in assignandis genuinis.

*Tertio*: Quandoque Evangelistæ non nihil inter se discrepare videntur, sed in levioribus, non quoad substantiam, vel etiam ex eo quod quædam puncta ab uno Evangelista omissa sunt, quæ alius recensere æquum duxit. Cæterum tametsi quædam humana facta in novo Testamento recenseantur, hoc unum probat, omnes Scripturas non esse Spiritu sancto dictante: sed contendimus esse a Deo assistente, adeoque nullum in illas irrepsisse errorem.

ARTI-

## ARTICULUS QUARTUS.

*Utrum ad Ecclesiam pertineat declarare quænam sint veræ Scripturæ.*

HOc quidem momento jam delibavimus, ostendendo ultimam fidei resolutionem fieri in Ecclesiam: quamobrem sufficit in præsentiarum dicere ad ejusdem veritatis confirmationem, illud Christi oraculum Matthei 11. vers. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Rursus ibidem cap. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; quæcumque dixerint vobis servate & facite*: Apostolus ad Gal. 2. hæc habet quæ plurimum Ecclesiæ auctoritatem extollunt: *Ascendi Hierosolymam cum Barnaba, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus; seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem*: Suffragantur SS. Patres. Aliquorum celebriorem auctoritatem afferre non pigebit. Irenæus lib. 3. adversus hær. cap. 3. ait loquens de Ecclesia Romana: " Ad hanc " Ecclesiam propter principaliorem prin- " cipalitatem necesse est convenire omnem " Ecclesiam, hoc est, omnes, qui sunt " undique Fideles, in qua semper conser- " vata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. " Eminet Cyprianus lib. 1. Epist. 3." " Nec enim aliunde hæreses obortæ sunt, " aut nata Schismata, quam inde quod Sa- " cerdoti Dei non obtemperatur, nec unus " in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tem- " pus judex cogitatur. " S. Augustinus agmen istud gloriosum claudet aureis istis verbis lib. contra Epistolam Fundamenti cap. 5. ubi sic exclamat: " Evangelio non " crederem, nisi Ecclesiæ me commoveret " auctoritas. " Quamobrem ordo rerum postulat ut de diversis Scripturarum canonibus ab Ecclesia probatis disseramus.

*De diversis Scripturarum canonibus, ab Ecclesia receptis.*

CANON definitur sacrarum Scripturarum catalogus publica auctoritate & unanimi consensu, sive antiquæ Ecclesiæ, quæ dicitur Synagoga, sive novæ, quæ & Christi, approbatus & receptus est.



*Duplex* pro utroque Testamento Canon refertur; unus proto-Canonicus, alter vero Deutero-Canonicus. Prior continet libros de quibus numquam fuit dubium, posterior vero cæteros.

### §. I.

*De Canone librorum veteris Testamenti.*

CANON proto-Canonicus continet 22. Libros, quinque scilicet Moysis, Prophetarum 13. in quibus quidquid a morte Moysis, usque ad Artaxerxem Longimanum actum est, describitur: quatuor alios cantica & morum præcepta referentes. Ita Josephus lib. 1. adversus Appium de Canone primo Hebraico, sic cum illo censent in lingua Hebraica versatissimi, Melito, Origenes & Hieronymus.

*Origenes* apud Eusebium lib 6. cap. 25. illos sequenti ordine numerat. I. Genesim. II. Exod. III. Leviticum. IV. Numeros. V. Deuteronomium. VI. Librum Josue. VII. Judicum & Ruth. VIII. Duos priores Regum. IX. Duos posteriores. X. Paralypomenon. XI. Utrumque Esdræ. XII. Psalmos. XIII. Proverbia. XIV Ecclesiastem. XV. Cantica. XVI. Isaiam. XVII. Jeremiam una cum Threnis & Epistola. XVIII. Danielem. XIX. Ezechielem. XX. Job XXI. Esther. XXII. Omisit unum, qui non est alius quam minorum Prophetarum liber.

*S. Hieronymus* in Prologo Galeato in tres partitur classes Libros sacros veteris Testamenti. Prima legem continet, scilicet Pentateucum. Secunda Prophetas; sed Baruch & Epistolam Jeremiæ omisit. Tertia, Agiagrophorum libros eodem ordine recenset cum Origene. In antiquis Catalogis Esther non invenitur; certum est tamen apud Judæos fuisse Librum hunc ut sacrum habitum; id enim testantur Origenes & Hieronymus in Hebræo versatissimi. Cæteri qui non sunt in hoc Canone ut Sapientia, Ecclesiasticus, Judith, Tobias, Machabæi ab antiquis Doctoribus apocryphi dicuntur.

*Moyses* volumen legis non in arca, sed in latere recondi jussit, ut habetur Deuteron. cap. 31. & num. 26. Idem volu-

men, ut refertur lib. 2. Paralypom. cap. 34. num. 14. ab Elcia repertum est, non in arca quidem, sed in domo Domini, destructa Hierosolyma arcam abscondit Jeremias in spelunca, ut habetur lib. 2. Machab.cap. 2. nu. 1. & 5. nec inde eruta legitur. Porro libri Ezechielis, Danielis, Esdræ, Nehemiæ, & Estheris, postea fuerunt scripti; unde non apparet, ut vult Epiphanius, fuisse reconditos in ipsa arca. Joseph. lib. 3. antiq. Jud. cap. 4. & lib. 10. cap. 5. dicit libros fuisse reconditos in Templo, & de arca tacet.

*Certum* est fuisse Canonem Librorum sacrorum apud antiquos Judæos, sed à quo sit factus, maxime controvertitur: nam & propter obscuritatem temporum, persecutionum strages & captivitatum angustias hinc inde dispersi sunt: sed omissis variis discussionibus auctorum sit,

*CONCLUSIO PRIMA.*

Probabilior opinio est Canonem Judæorum fuisse ab Esdra factum.

*Probatur multis momentis.*

PRIMO: Ille Canonem Librorum sacrorum condidit, qui Libros sacros quæsivit post captivitatem, collegit, examinavit, a mendis purgavit, in novum ordinem digessit, auctoritate publica, scilicet Prophetarum, Doctorum & Synagogæ fretus: Atqui probabiliter hoc fecit Esdras, quandoquidem erat Sacerdos & in lege peritissimus, hinc a captivitate solutus legem populo alternata vice legit & promulgavit, ut ipse in suis Libris refert; quod sane facere non poterat, nisi collegisset sanctos Libros: Igitur de facto eos in ordinem digessit, adjuvante Juda Machabæo, qui recentiores antiquis adjecit, ut Tobiam, Iudith, Sapientiam, & alios: & hoc ad ornandam Bibliothecam, ad instructionem & consolationem populi.

*Secundo*: Necessarius erat Canon ad consolationem, & erat mos antiquus texere; ita habetur lib. 2. Machab. cap. 2. vers. 13. his verbis: *Inferebantur autem in descriptionibus & commentariis Nehemiæ hæc eadem: & ut construens Bibliothecam congregavit de regionibus Libros & Prophetarum, & David, & Epistolas Regum, & de donariis, similiter autem & Judas, ea quæ deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos. Si ergo desideratis hæc, mitite, perferant vobis.* Licet autem hic nulla mentio fiat Esdræ, supponitur tamen, cum id testentur omnes antiqui Patres: Igitur secundum morem instruxit Catalogum Esdras, seu Canonem sanctorum Librorum: habuitque adjutores Nehemiam & Judam Machabæum: quia vero plura præ cæteris fecit, & erat caput & Sacerdos, ideo Canon antiquus dicitur Esdrinus. Ergo &c.

*Tertio*: Ex Josepho, qui lib. adversus Apion dicit hunc morem fuisse apud Hebræos colligere sanctos libros, eosdem ordinare & purgare a mendis, & hoc solum auctoritate publica, maxime Prophetarum,& Doctorum Legis: ipse vero numerat solum 22. relatos in Canone Judaico.

*Quarto*: Ex SS. Patribus, qui existimant Esdram composuisse Canonem antiquum. Ita Irenæus lib. 3. cap. 25. Tertullianus lib. de habitu mulierum, cap. 3. Hieronymus lib. adversus Helvidium, Chrysostomus homil. 8. in epist. ad Hebr. tum & auctor Synopseos apud Athanasium: Igitur Esdras primos & vetustos libros collegit, Nehemias vero & Judas quosdam recentiores adjecerunt in eodem Canone; & sic conciliantur omnes opiniones: hinc qui dicunt Canonem esse vel a Nehemia, vel a Juda, hoc intelligendum est de aliqua parte.

*Dices* I. Scriptura nullam facit mentionem de Canone Esdrino. II. Antequam Nehemias veniret Jerosolymam, Prophetas & Psalmos non recenserat Esdras, ut patet ex loco Machabeorum in probationibus laudato. Ergo &c.

*Respondeo*, Solutionem patere ex dictis. Et vero Esdras venit Jerosolymam septimo anno regni Artaxerxis longimani, vigesimo vero anno Nehemias, quo tempore adhuc vivebat Esdras, ut patet ex libro Nehemiæ; iste autem cum Juda potuit absolvere Canonem adjiciendo recensitos.

*Certum* est nullum unquam fuisse dubium de 22. primis, penes quos tota est

religio antiqua : recentiores firmavit traditio, & sic patet quomodo, protegente Spiritu sancto, religio nostra ab initio mundi ædificata sit supra firmam petram: in lege quidem naturæ per legem intus dictatam, & probatam Patriarcharum visionibus : a Moyse per legem Scriptam : & si quæ occurrant sententiæ vel additæ, vel diversæ, pauciores sunt, & ad substantiam non pertinent.

*Melito* sequitur auctorem Synopseos & Libros 22. Canonis Esdrini agnoscit: duos Esdræ admittit utique, sicut & LXX. Seniores, qui etiam historiam Susannæ, Belis, Draconis, & Hymnum puerorum fornacis, de quibus aliquando Hebræi dubitaverunt, recipiunt. Synagoga aliquando quidem dubitavit de Ester & Baruch, sicut & Ecclesia nova, sed præcipue de quibus qui dicuntur Deutero-Canonici.

*Canon* posterior, seu Deutero-Canonicus continet sex libros, quatuor scilicet historicos, nempe Tobiam, Judith, librum Paralippomenon, & Secundum Machabæorum; duos vero morales, Sapientiam scilicet, & Ecclesiasticum, quos tandem, matura deliberatione prævia, in Canone adscivit; unde sit

CONCLUSIO SECUNDA.

*Libri præfati sunt Canonici.*

PROBATUR hoc ratiocinio: Illi libri sunt vere Canonici, quos Ecclesia Patrum auctoritate innixa Canoni adscivit: Atqui libros prætatos Canonicos Ecclesia traditione Patrum suffulta declaravit. Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

*Primo* : Ex summis Pontificibus Innocentius 1. epist. ad Exuperium, anno circiter 403. de his meminit, Item Gelasius in Synodo Romana, anno 494. & ante Tridentinum, Canon Eugenianus.

*Secundo* : Ex Conciliis. Synodus Hipponensis, Can. 38. Carthaginensis quarta, Can. & post Florentina, tum & Tridentina sess. 4. immo Ecclesia Græca idem sentit quod Latina de his libris, ut patet ex ejus Synodo celebrata anno 1672. Ergo &c.

*Tertio* : Ex SS. Patribus. Ambrosius librum Tobiæ propheticum appellat in commentariis : & in libro de viduis librum Judith annumerat inter Canonicos; idetiam fecisse Concilium Nicænum testatur Hieronymus. S. Augustinus l. 2. de doctrina Christi Catalogum 44. Librorum veteris Testamenti contexuit : prætatos nominat Isidorus Hispalensis ineunte septimo sæculo in libro proœmiali de libris veteris Testamenti: nominat Theodulphus Aurelianensis nono sæculo in carmine de Bibliis præfixo : nominate Eugenius in decreto suo, anno 1441. ab his & aliis illi libri agnoscuntur ut Canonici; non tamen hoc de fide fuit, nisi post definitionem Tridentini : ea de causa Canon librorum Deutero-Canonicorum Tridentinus appellatur.

§. II.

*De Canone librorum novi Testamenti.*

INTER libros novi Testamenti, quidam sunt etiam de quibus numquam dubitatum est; quidam vero de quibus quondam emersit dubium; unde sit

CONCLUSIO PRIMA.

*Canon proto-Canonicus novi Testamenti continet quatuor Evangelia, Acta Apostolorum, omnes S. Pauli Epistolas, excepta ea quæ est ad Hebræos; primam Petri & Joannis.*

PROBAT 1. Ex SS. PP. qui unanimi consensu illos omnes libros receperunt, Clemens Romanus, Polycarpus, Papias, Justinus, Irenæus, & Clemens Alexandrinus, qui, teste Eusebio lib. 6. cap. 14. prætatos commemorant libros. Tum cap. 25. idem dicit de Origene.

*Probatur* 2. Ex Eusebio qui l. 3. c.23. libros novi Testamenti in duos distribuit ordines. Primus continet laudatos. Secundus vero Epistolam ab Hebr. Jacobi, Judæ, secundam Petri, secundam & tertiam Joannis, Apocalypsim. Tum Epistolam Barnabæ, & alios quosdam apocryphos. Ergo &c.

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Canon secundus complectitur cæteros Vulgatæ.*

**Probatur** 1. Ex Tridentino, quod seff. 4. illos declarat Canonicos. 2. Ex Patribus: Origenes apud Eusebium lib. 6. cap. 25. agnoscit Epistolam ad Hebræos, quam quidem dicit cæteris elegantiorem. Item tres Joan. Eidem tribuit Apocalypsin; meminit etiam primæ Petri: Epistolam Jacobi dicit sub ejus nomine circumferri: citat quoque Epistolam B. Judæ quam solam controversam esse fatetur; eam S. Pauli quæ est ad Philemonem omisit. Tertullianus, secundam Joannis agnoscit & Apocalypsim, sic & epistolam Judæ. Synodus Laodicæna omnes, excepta Apocalypsi, agnoscit. Auctor epistolæ Festinæ omnes, ne uno quidem excepto, istas recipit Scripturas. Auctor Synopsis, Canon Carthaginensis, & Innocentianus, Tertullianus & Augustinus suum eis addunt calculum; denique cæteri sacrorum Librorum Catalogi cum Innocentiano conveniunt; unde non mirum si Synodus Florentina, si Tridentina libros laudatos ut sacros habeant.

*Solvuntur objectiones.*

**Objiciunt**; Heterodoxi: Non potuit Conc. Tridentinum aliquos Libros veluti sacros habere nisi traditione suffultum: Sed ista deficit pro multis quos inter inspiratos annumerat: Et probatur. Deficit maxime pro sex veteris Testamenti, videlicet pro libris Judith, Tobiæ, Ecclesiastici, Sapientiæ & duobus prioribus Machabæorum: quod sic demonstratur. Non reperiuntur in Canone Judæorum, nec eos Synagoga usquam suscepit: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem. Ad probationem nego antec. Tametsi enim Esdras post captivitatem eos in Canone quem, Collectione facta Librorum sacrorum, clausit, omiserit, non inde concludendum ante captivitatem non habitos fuisse ut sacros: quod autem inter ceteros de quibus nulla erat dubitatio non annumeraverit, causa fuit defectu Propheticæ auctoritatis eos approbantis, ut scribit Josephus lib. 1. contra Appionem: " Ab Artaxerxe, *ait*, usque ad nostrum tempus; singula quidem conscripta, non tamen prioribus simili fide sunt habita, eo quod non fuerit certa successio Prophetarum." Quippe quæ, durante captivitate, quandoque cessaverit; hinc libri præfati non inventi sunt in *Aaron*, hoc est, ut loquitur S. Epiphanius lib. de pondere & mensura, in armario Judæorum sic nuncupato, sive ut ipsa fœderis arca vocabatur, eo quod in ea & tabulæ, & virga Aaron Sacerdotis magni, & manna asservarentur.

*Jam* vero quod traditione firmetur librorum laudatorum auctoritas, liquet ex ipsa Ecclesia Occidentali simul & Orientali, quæ eos ut divinos habet: Nam Concilium Carthaginense antiquissimum, inter sacros Libros illos reponit, Orientales vero istam suscepere Synodum. Quinimmo Synodus Bethlehemica adversus Cyrillum Lucarem, qui pecunia captus, adhærebat Calvinistis, quosdam libros qui in Canone Laodiceno desiderantur, cæteris libris sacræ Scripturæ addendos esse pronuntiavit., Cui quidem definitioni Dionysius Constantinopolitanus Patriarcha cum multis aliis, tum Episcopis, tum Presbyteris suffragatus est in responsione ad articulos Calvinistarum, anno 1672.

*Instant*: Libros Judith, Tobiæ, Sapientiæ & Ecclesiastici omittit Canon 84. Apostolorum: neque vero Melito Sardensis, qui secundo florebat sæculo reponit sex prætatos in suo Canone apud viros eruditos magni ponderis, quippequi primus inter Christianos, imperante Marco Antonio, magna adhibita diligentia catalogum Librorum sacrorum texuerit, ut refert Eusebius lib. 4. Hist. Eccl. cap. 26. eos etiam a suo expungit Catalogo apud eumdem Eusebium lib. 6. Hist. Eccl. cap. 25. quem quidem Catalogum secuta est Laodicena Synodus, in qua primo Canonem sacræ Scripturę Librorum Ecclesia cœpit condere: Ergo &c.

*Respondeo* ad primum: Et Canones Apostolici veluti suppositii habentur, concedo: unde nihil roboris habet instantia: & tunc

sunt genuini Apostolorum fœtus, nego. Si hoc enim foret, vel ipsa Ecclesia ad apocryphorum librorum classem non ablegasset tertium librum Machabæorum, quem sicut duos priores habet ut genuinum Canon 84. laudatus.

*Ad* cæceras probationes, dist. Et hoc unum dumtaxat probant, videlicet libros in objectione commemoratos non esse Proto-canonicos, concedo: Deuterono-Canonicos, nego. Melito, Origines, & Synodus Laodicena eos solum in suos Catalogos recensuerunt, quos Canon Judæorum referebat. Quia vero erat aliquod dubium circa sex de quibus emergit controversia, & Ecclesia nihil adhuc circa istud momentum definierat, eos omiserunt. Sed, re maturius discussa, sacrum Concilium Tridentinum post Carthaginense inter sacros Libros annumerare æquum duxit.

*Replicant:* Citra Patrum traditionem egit utraque Synodus: Igitur eorum definitioni non est adhærendum. Probatur antecedens. S. Athanasius in Epistola sua Festali, sex libros non recipit: non auctor Synopsis Scripturæ sacræ, non S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. Non S. Hilarius præfatione in Psalmos, non Amphilochius epist. ad Seleucum relata a Balsamono, non sanctus Gregorius Nazianzenus, non Epiphanius, non Hieronymus, non auctor Hierarchiæ Ecclesiasticæ, non Leontius Bizantinus in libro de sectis, non Anastasius Synita, non S. Joannes Damascenus, non uterque Nicephorus, & multi alii: Ergo &c.

*Respondeo*, nego antecedens. Ad probationem dico ex argumentis negativis nihil rectè concludi; tametsi enim illi commemorati Patres libros præfatos omiserint adhærendo Canoni Judæorum, quod citra fidei periculum fieri poterat, eo quod Ecclesia nihil adhuc definivisset pro illis libris, non tamen mere profanos & commentitios illos esse scripserunt: cæterum Ecclesiæ definitio cæteris præponderat. Quid plura? Traditio non aliquorum dumtaxat Patrum auctoritate, sed omnium, sed summorum Pontificum decretis, sed Conciliorum definitionibus constat. Porro multi Patres, & summi Pontifices, variaque Concilia sex libris suum addunt calculum.

*Eadem* est responsio ad argumentum factum contra genuitatem Epistolæ. I. S. Pauli ad Hebræos. II. S. Jacobi, postremæ B. Petri. III. Sancti Joannis, & S. Judæ quod Eusebius lib. 2. Hist. Eccl. cap. 23. dicit non fuisse ab omnibus Ecclesiis receptas.

## SYNOPSIS ARTICULI.

*Canon Judæorum Proto-canonicus, I. Ab Esdra factus est. II. Libri in illo contenti sunt genuini. III. Primus Canon novi Testamenti continet quatuor Evangelia, omnes S. Pauli Epistolas, excepta ea, quæ est ad Hebræos, primam Petri & Joannis; posterior ejusdem Testamenti cæteros libros complectitur.*

PRIMO: Bellis & captivitatibus exardescentibus dispersi sunt hinc inde Libri sacri: Igitur illis absolutis & finitis valde probabile est Esdram collegisse sacra volumina: hoc ipsum insinuatur lib. 2. Mach. cap. 2. sic propugnat Irenæus lib. 3. cap. 25. sic Hieronymus lib. adversus Helvidium.

*Secundo*: Hujusmodi libri declarantur genuini ab Innocentio I. epist. ad Exuperium, a Concilio Carthaginensi IV. Can. 4. &c.

*Tertio*: Si de Libris proto-canonicis novi Testamenti sit sermo, Papias, Irenæus, Clemens Alexand. eos ut Scripturam sacram habent, sic testatur Eusebius lib. 6. Hist. cap. 14.

*Quarto*: Cæteros contineri in deuterocanone, præter Eusebium definit Concilium Tridentinum in decreto de Scriptura sacra. Ergo &c.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Ultro concedimus libros sex veteris Testamenti, scilicet Judith, Tobiæ, Ecclesiastici, Sapientiæ & duos priores Machab. a Synagoga non fuisse receptos, sed Ecclesia, discussione facta, eos Canoni adscivit.

*Secundo*: Neque negamus eosdem a multis Patribus omitti, verum ab aliis recensentur: videlicet a Patribus Concilii IV. Carth. quod & Orientales, etiam Schismatici recipiunt.

Ter-

*Tertio*: Nihil roboris in contrarium habet Can. 84. Apost. utpote sicut cæteri non genuinus Apostolorum fœtus est, cujus rei argumentum illud affulget, quod idem Canon tertium librum Machab. ut genuinum habet, quem tamen rejicit Ecclesia.

## ARTICULUS QUINTUS.

*De dotibus Scripturæ sacræ in speciali.*

QUÆDAM momentosa de sacris Scripturis utriusque Testamenti dicendo occurrunt, ut omnibus discussis, nihil superest pro veneratione & utilitate textus sacri commemorandum ; unde sit

### SECTIO PRIMA.

*De proprietatibus veteris Testamenti.*

§. I.

*Num lex vetus, recte vocetur Testamentum?*

NOMINE veteris testamenti intelliguntur, res omnes divinæ ante Christi tempora declaratæ hominibus, seu Domini pacta omnia cum hominibus ante Christi adventum facta & inita, quibus Deus ipsis bona promisit sub onere observationis legis, eique homines obedientiam præstitere. Hæc de veteri Testamento sic spectato occurrunt ordine dicenda & enucleanda. Pro resolutione quæstionis præsentis sit

### CONCLUSIO.

Lex vetus recte vocatur Testamentum.

*Probatur multipliciter.*

PRIMO ex Scriptura: Illud recte vocatur Testamentum, quod sic celebratum est tum in veteri, tum in nova lege, tum in Prophetis, tum in Evangelio & Epistolis Apostolorum: Atqui sic celebratur & celebrata est lex vetus: Igitur recte vocatur Testamentum. Probatur minor. Psal. 115. legitur: *Memor fui Testamenti tui.* Item Psal. 131. *Si custodierint filii tui Testamentum meum.* Rursus Eccli. 28. *Memorare Testamentum Altissimi.* Quibus sententiis, istæ ex Scripturis novi Testamenti depromptæ concinunt. Luc. 1. *Jusjurandum*, inquit Zacharias beati Joannis Baptistæ Pater, *quod juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.* Per jusjurandum intelligit vetus Testamentum. Ipse vero Christus Matth. 26. & Marc. 14. vocat sanguinem suum sanguinem Testamenti, id est, adimpletionem, tum veteris legis, tum ejus promissionum: simili nomine lex vetus nuncupatur 1. Cor. 11. & 2. Cor. 3. sic habetur: *in lectione*, inquit Apostolus, *veteris Testamenti*: & ad Gal. duo allegat Testamenta, ita referunt Græcæ & Latinæ editiones. Sic utique loquitur B. Stephanus Act. 7. perorando Judæos: *Dedit illi Testamentum circumcisionis.* Ergo &c.

*Secundo ex sanctis Patribus*, maxime ex Origene, & S. Hieronymo, tum & ex aliis qui sedulo, in novum scripsere Testamentum; omnes quippe, ne uno quidem excepto, legem Moysis ut Testamentum verum & genuinum habent: inprimis D. Thomas qui comment. in cap. 4. ad Gal. ista Apostoli verba, *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera*; dicit istos duos Abrahæ filios duo designare Testamenta, alterum scilicet vetus, alterum vero novum: Ergo &c.

*Tertio ratione*. Testamentum est ultima Patris & firma voluntas de hæreditate filiis distribuenda: Atqui lex vetus est voluntas Dei firma de bonis, tum temporalibus, tum spiritualibus populo Judaico concedendis: Igitur recte vocatur Testamentum. Probatur minor. Ibi Deus promittit sub onere observationis suæ legis pinguedinem terræ & cœli rorem, pro spiritualibus vero Christum Redemptorem, & cum ipso gratiarum omnium supellectilem: Atqui hæc Deus promisit in libris veteris Testamenti, & adimplevit; siquidem populum, ipso; ipso ordinante & protegente, introduxit Josue in terram lacte & melle manantem, Christus vero in temporum plenitudine venit, id est, tempore a Deo præordinato & a Prophetis

phetis multis ante sæculis prænuntiato : ergo &c.

*Solvuntur objectiones.*

Obicies : Conditiones Testamenti non conveniunt veteri legi : Igitur non recte dicitur Testamentum. Probatur Ant. Testamentum ex Ulpiano definitur, mentis nostræ justa contestatio ad id solemniter facta, ut post mortem nostram valeat : unde ad Hebr. 9. Testamentum in mortuis dumtaxat confirmatur, nec valet dum vivit qui testatus est : Atqui Deus est immortalis : Igitur non potuit inire fœdus cum hominibus, quod recte vocetur Testamentum.

*Resp.* distinguendo : & definitio allata per testatoris mortem procedit de Testamentis viatorum, concedo: de Testamento a Deo promanato, subdistinguo: si voluerit incarnari, & ad exaltationem sui erga homines amoris, mori, concedo : absolute loquendo, nego. Et vero Testamentum formaliter dicit tantum firmam & immutabilem de hereditate tribuenda voluntatem, quæ quia in viatoribus firma & immutabilis in morte tantum evadit, ideo Summistæ pro Testamento testatoris mortem exigunt: quia vero Deus est in se immutabilis, & in promissionibus adimplendis fidelissimus, mori non opus erat ad fœdus cum hominibus ineundum: Unde si Filius Dei incarnatus est ut morte sua suum confirmaret Testamentum, magis fuit ad exaltationem sui erga nos amoris, quam ad necessitatem; quem quidem amorem plurimum commendat Apostolus ad Hebr. 9. ubi dicit neque Testamentum vetus, neque novum sine sanguinis effusione adimpletum: Primum quidem effusione sanguinis victimarum, quę Christi præfigurabant sacrificium : Alterum vero ipsius Agni immaculati mactatione : Sic enim habet : *Nec primum sine sanguine dedicatum est, nam Moyses, lecto mandato legis, aspersit sanguine vitulorum & hircorum capita, dicens : Hic est sanguis Testamenti quod mandavit ad vos Deus.*

*Instabis:* Pactio quam Deus cum Moyse Israelitisque fecit in textu primigenio semper vocatur Berith, id est, fœdus, nullibi vero Testamentum, ut S. Hieronymus observat in Gen. cap. 17. in Isaiam, cap. 59. quapropter in sua versione tum Exodi cap. 14. tum Isaiæ 59. tum Jeremiæ 31. tum etiam Malachiæ 32. pactum non interpretatur Testamentum; si vero quandoque sic illud nuncupet, non nisi improprie intelligendum proponit; nam in Malachiam 2. sic loquitur: „ In plerisque Scripturarum locis Testamentum non defunctorum voluntatem „ sonat, sed pactum viventium. „ Quod „ utique observat Augustinus in Psal. 100.

*Respondeo* distinguendo : & vox *Berith*, quandoque meram significat pactionem, quandoque etiam Testamentum, concedo : & significat tantum pactionem, nego. Hebræi propter penuriam vocum, vox *Berith* sumunt in utroque sensu, & utramque significat. Pro Testamento eam sumit Apostolus ad Hebr. 9. immo ipse Hieronymus sic sumit in cap. 14. Numeror. 31. Jeremiæ 11. Danielis, 9. Zachariæ, 3. Malachiæ; unde Exodi 3. v. 36. vertit, *Arcam Testamenti.*

*Respondeo* II. verum esse in locis laudatis, vox *Berith* sumi pro pactione, quia tunc Hieronymus utitur textu greco, qui ubique refert nomen *Berith* per diatechen significans pactum : Cæterum omnia pacta possunt vocari Testamenta, aliquando quidem improprie, aliquando vero proprie, ut patet ex mox allatis.

*Urgebis* : Deus non potest dici Testator : Igitur vetus lex non dicitur rite Testamentum. Probatur anteced. Testator sua transmittit bona ad alios, & ipso facto seipsum illis privat : Atqui Deus nequit seipsum suis privare bonis: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo : Testator qui est creatura sua ad alios transmittit, ipsis seipsum privando, concedo : Testator Deus, nego : & sic distincta minore, nego consequentiam. Hæc est autem inter testatorem creaturam, & Deum differentia, quod creatura, utpote finita, & certis conclusa tum loci, tum quantitatis & perfectionum terminis, non possit sua transmittere bona, nisi ipso facto se spoliet : at vero Deus est summum bonum sui infinite diffusivum, inquit Dionysius, unde communicata aliqua perfectione vel aliquo bono, idem in se manet, & adhuc infinite diffusivus. Nec mirum si sol ipse

tamet-

tametsi creatus omnibus suam communicet lucem, & tamen nihil deperdit neque de fulgore, neque de radiis; a fortiori sol justitiæ, cui nihil accedit, & a quo per privationem nihil detrahitur, quippe qui, dicat S. Bernardus, omnium sit bonorum oceanum, nusquam ex exitu & perfectionum communicatione minuens, nec ex gloria quam illi creatura sancta laudibus & famulatu tribuit minime redundans.

*Insistes*: Testamentum unius ejusdemque Testatoris censetur unum: Atqui Deus non solum Judæis, sed & Christianis sua effudit & effundit quotidie bona: Igitur lex vetus Testamentum dici non debet. Confirmatur: Primo quidem, quia Testamentum stricte sumptum dat jus ad bona in perpetuum; antiqua vero lex dedit solum Testamentum ad tempus. Secundo, si Testamentum vetus dicatur illud quod in Monte Sinai datum est, Pentateucum dumtaxat respicit, secus vero cætera in cæteris libris contenta: Igitur lex vetus prout omnes complectitur libros, Testamentum stricte sumptum nuncupari non debet.

*Respondeo*, distinguendo anteced. Testamentum humanum unicum respicit testatorem, & est in seipso de facto unum, concedo: divinum, nego antecedens & consequentiam. Cum igitur Deus divitias in suis thesauris infinitas habeat, eas quidem & diversis & diversimode elargiri potest: sic Judæis concessit bona temporalia, & etiam aliqua spiritualia, Christianis vero virtute majora, omnibus gloriam æternam: Igitur potuit esse diversorum testamentorum auctor.

*Ad* 1. probationem distinguo: Deus dedit ad tempus bona temporalia Judæis, & æterna per Christum habenda promisit, concedo: secus nego.

*Ad* 2. probationem utique distinguo: Testamentum potissimum spectat libros Legis seu Pentateucum, non excludendo cæteros, concedo: excludendo, nego. Deus speciale quidem iniit fœdus cum Abrahamo, & postea cum Isaac & Jacob, ut legitur in libro Genesis: istud renovavit per Prophetas, maxime per Samuelem; ejusdem promissiones passim in cæteris describuntur libris, qui sane specialem habent ad libros Legis relationem: Igitur Testamentum vetus omnibus in libris continetur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Lex vetus rite nomine Testamenti celebratur.*

PRIMO: Sic nominatur passim in Scripturis, maxime Psal. 131. Eccli. 28. Luc. 1. Matth. 26. Act. 7. &c.

*Secundo*: Concinunt SS. Patres, Hieronymus, S. Augustinus, D. Thomas comm. in cap. 4. ad Gal.

*Tertio*: Ratio suffragatur. Et vero Testamentum est ultima patris voluntas, qua pater hereditatem filiis suis distribuit: Sed Deus bona tum temporalia, tum spiritualia largitus est Judæis ea conditione ut suam servarent legem: Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Mors pro omnibus testantibus requiritur, minime vero in Deo qui est immutabilis, & in promissionibus exequendis fidelissimus.

*Secundo*: Neque vero requiritur in Deo ut celebrando testamentum bonis suis spolietur; idem enim semper in se manens replet omne animal benedictione, absque eo quod & retribuendo immutetur aut minuatur, nec hominum laudes suscipiendo augeatur.

*Tertio*: Inter homines pater unum tantummodo pepigit cum filiis testamentum, quia hæreditas sua inter certos terminos clauditur; e contra vero Dei hæreditas; cum enim sit summum bonum hominibus & legis veteris & novæ in infinitum communicari potest.

§. II.

*Num vetus Testamentum habeat Deum Auctorem?*

HUJUS quæsiti resolutio sequitur ex dictis, ubi probavimus libros veteris Testamenti esse inspiratos, genuinos, & catholicos, quia tamen Manichæi hoc ipsum negant, & malum genium pro istorum librorum auctore habent, ex quo conclu-

cludunt Legem Mosaicam non esse bonam, quam quidem hæresim non sine scandalo & multorum perditione Albigenses, teste S. Antonino, renovarunt: non abs re erit inpræsentiarum utrumque in speciali ad fidei defensionem discutere momentum. Unde sit

*PRIMA PROPOSITIO.*

Vetus Testamentum habet Deum auctorem.

*Probatio prima ex Scriptura sacra.*

SCRIPTURÆ quæ sunt a Deo loquente, manifestante & inspirante, dubio-procul Deum habent auctorem: Atqui Scripturæ veteris Testamenti a Deo ita fluxerunt: Et probatur. Exod. 6. v. 79. 10. 11. 12. habetur: *Dixitque Dominus ad Moysen, &c.* Ibid. cap. 13. *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Sanctifica mihi omne quod aperit vulvam.* Luc. 1. *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordia sua: Sicut locutus est ad Patres nostros.* Rursus ibidem: *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a saeculo sunt, Prophetarum ejus.* Tum Act. 3. *Deus prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum*, Rom. 1. Apost. loquens de seipso, ait: *Segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos.* Cap. 3. *Credita sunt illis eloquia Dei.* Tum Heb. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Demum 2. Petr. 1. habetur: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Ergo &c.

*Probatio ex Traditione Patrum.*

ILLÆ Scripturæ Deum habent auctorem qui solus juxta Patrum placita eas revelavit & dedit: Atqui res sic se habet: Ergo &c. Major patet: Incassum enim explodunt traditionem Protestantes: Et vero quis cordatus aliquam religionis veritatem ab ore Christi promanatam & perpetua hominum pari pietate & scientia præditorum ad nos usque transmissam abnegabit: Si quidem humana inter testimonia nullum magis præponderat quam illud quod & perpetua successione firmatur & unanimi omnium temporum, Doctorum omni exceptione majorum stabilitur. Revera quidem num aliquis Heterodoxus, & nullius nominis vir loquens audietur tamquam vera disseminans dum adversus & sanctorum Doctorum cœtum loquitur. Probatur igitur minor, universa percurrendo sæcula.

*Ex primo sæculo.* Clemens Papa in sua genuina ad Corinth. Epist. sic habet: „ „ Scripturas diligenter inspicite, quæ Spi- „ ritus sancti vera sunt oracula. „

*Eusebius* lib. 5. cap. 23. de Dionysio qui primo floruit sæculo sic scribit: " „ Dionysius Corinth. Episcopus sacras Scripturas explicat. „

*Ex secundo.* Justinus dialogo cum Tryphone, ait: „ Gratia mihi, ut ejus Scri- „ pturas intelligam, data est. „

*Irenæus* eumdem prope tenet sermonem lib. 2. his verbis: " Scripturæ a verbo Dei „ & Spiritu ejus dictæ sunt. „

*Ex tertio.* Athenagoras Legat. pro Christianis suffragatur: „ Moyses, *inquit* „ „ Isaias & reliqui Prophetæ impulsu di- „ vini Spiritus, quicquid ille in ipsis ef- „ ficiebat, eloquebantur. „

*Istis* accedit Clemens Alexandrinus in prop. ad Græcos his verbis: „ Scriptura- „ rum ne apex quidem unus præteribit, „ qui non perficiatur; os enim Domini „ Spiritus sanctus, ea est elocutus." „ Tum lib. 10. Strom." Pulcherrima di- „ vina dicit, perdam sapientiam sapien- „ tum. „

*Concinit* Origenes hom. 1. in Examero: „ Sermo, *inquit*, divinæ Scri- „ pturæ. „ Rursus lib. 4. de principiis cap. 1." Assumenda a nobis sunt ad pro- „ bationem eorum quæ dicimus, ea divina- „ rum Scripturarum testimonia, ut certam „ & indubitatam fidem præstent; necessa- „ rium videtur ostendere quod ipsæ divinæ „ Scripturæ sint Dei spiritu inspiratæ. „

*Sanctus Athanasius* orat. contra Gentiles ait: Quamvis tamen hæc possis e „ divinis Scripturis colligere, sufficiunt „ enim per se sanctę ac divinitus inspi- „ ratæ Scripturæ ad veritatis indicatio- „ nem. „

*Non* prætereundus est Tertullianus: non Cyprianus: non Lactantius ejusdem sæcli PP. Primus, lib. de spectaculis cap. 3. ait: " Scriptura divina divi-

dividitur, &c. „ Secundus lib. de lapsis: „ Scriptura divina clamat, ecce per Pro„ phetam... Exite inde. „ Et lib. de o„ pere: „ Numquam admonitio divina „ cessavit, quominus in Scripturis sanctis „ tam veteribus quam novis semper & ubi„ que ad misericordiæ opera Dei populus „ provocaretur. „ Tertius lib. 1. cap. 4. idem probat his verbis: " Nobiscum sit ve„ ritas divinitus revelata. „ Rursus lib. „ 4. cap. 11. " Deus justos & electos vi„ ros Spiritu sancto implebat, Prophetas „ in media plebe constituens, quæ omnia „ divinæ Litteræ signata conservant. „

*Ex quarto.* S. Hilarius prolog. in Psalmos sic habet: " Ex quacumque persona Spi„ ritus locutus sit in Psalmis, non est am„ biguum quin totum illud ad cognitio„ nem adventus Christi, & passionis, & regni referatur. „ Similia prope dicit prologo in 1. Psalmum.

*Tum* Epiphanius hæresi 63. num. 29. sic loquitur: " Divinæ Scripturæ, quæcum„ que Deus vult, annuntiant. „

*S. Basilius* in Psalmum 44. suum quoque addit calculum: " Exterius humilem „ & abjectam Scripturarum phrasim nihili „ ducunt; nos contra novimus divitem „ orationem a Deo effusam esse in illis de Christo sermonibus. „

*Eusebius* lib. 15. Hist. Eccles. cap. 28. " „ Vel non credant, *inquit*, Scripturas di„ vinas a sancto Spiritu dictatas fuisse, „ & sunt infideles: vel se ipsos Spiritu sancto sapientiores esse dicant. „ Eo loci debellat Hæreticos sacris non adhærentes Scripturis.

*S. Gregorius Nyssen.* similia loquitur proœmio in Cantica: „ Nihil alienum, *ait*, facimus, si ex divina & a Deo inspirata „ Scripturarum omni ratione veneremur utilitatem. „

*S. Chrysostomus* hom. 9. in 2. ad Corinth. suum sic prodit sensum de Auctore divinarum Scripturarum: " Omnis Scriptura „ divinitus inspirata est & utilis, omnis„ que Scriptura sacra de qua dixerat ab „ infantia, sacras Litteras nosti: omnis „ igitur talis est divinitus inspirata, ni„ hil dubites. „

*Idem* dicunt Theodoretus, & Cyrillus Alexand. Prior q. 2. tum Præf. in Psal. Scripturam vocat divinam. Alter lib. 6. contra Julian. sic habet: " Nos apud „ Scripturam sacram divino afflatu præditam invenimus subtilem & exactam de vera & una Deitate sententiam. „

*S. Ambrosius* de eodem momento epist. 44. num. 1 discurrit his verbis: " Mare „ est Scriptura divina. „ Et epist. 63. " „ Non secundum artem scripserunt, sed „ secundum gratiam, quæ super omnem „ artem est; scripserunt enim quæ da„ bat Spiritus iis loqui. „

*S. Hieronymus* insignis est ejusdem veritatis Præco, nam epist. 103. sic loqui„ tur: " Vera necessitudo est, quam Dei „ timor, & divinarum Scripturarum studia conciliant. „ Passim & ubique asserit Scripturas sacras Deum habere auctorem.

*Ex quinto.* S. Augustinus lib. 11. de civit. Dei cap. 3. sic pronuntiat: " Hic „ prius per Prophetas, deinde per sei„ psum, postea per Apostolos quantum sa„ tis esse judicavit, locutus etiam Scriptu„ ram condidit, quæ Canonica nominatur „ eminentissimæ auctoritatis. „ Idem docet in Prologo libri de Doctrina Christiana.

*S. Leo* qui eodem floruit sæculo epist. 42. sic habet: " Cum ab Evangelica, Apostolicaque Doctrina ne uno quidem verbo „ liceat dissidere, aut aliter de Scripturis „ divinis sapere, quam SS. Apostoli didi„ cerunt atque docuerunt. „

*Huic* accedit Facundus Hermianensis lib. 11. cap. 6. his verbis: " Aliter Scri„ pturas divinas legimus, quæ Canonicæ „ vocantur, aliter eorum qui legendi „ atque scribendi studio perficientes, per „ acquisitam continuo labore facultatem, „ consecuti sunt. „

*Audiendus* est etiam pro hoc momento S. Gregorius magnus, qui proœmio in Libros Regum, ait: Scriptura sacra tam mira„ biliter ab omnipotenti Deo condita est. „ „ Mitto aliorum sæclorum Patres, qui omnes, ut ex supra dictis patet, Scripturas veteris Testam. & Novi modo sacras, modo divinas, modo a Deo inspiratas, & nonnumquam dictatas appellant: Ergo &c. Sic definiere varia Concilia, in primis Carthaginense III. & inter cætera Tridentinum.

*Probatio ex rationibus.*

PRIMA eaque a priori sic proponitur. Quæ continent mysteria captum humanum excedentia, quæ moralitatem, passiones hominis debellantem, proponunt: Denique finem quem nec auris audivit, oculus vidit, nec in cor hominis ascendit promittunt, non alium habent quam Deum bonorum omnium fontem pro auctore: Atqui V. T. Scripturæ tales sunt: Et probatur. Multa & de unitate Dei, & de Trinitate, & de Incarnatione disserunt ac prædicant: multa quoque vitæ sanctæ documenta exhibent, quibus unusquisque passiones perstringere queat. Denique pro fine Deum intuitive visum, qui omne bonum est, respiciunt: Ergo &c.

*Secunda*: Illi libri Deum unicum habent auctorem, si de hoc momento una fuit semper omnium Hebræorum et Rabinorum sententia: Atqui res sic se habet: Et probatur ex Josepho, qui lib. 10. contra Appionem sic loquitur: " Post„ quam præteritum est tantum sæculum „ Prophetarum, neque aspicere quid„ quam aliquis his 22. lib. nec auferre, „ nec transformare præsumpsit: omni„ bus enim insertum est mox et prima „ gratia Judæis hos divina dogmata nomi„ nare, et in his utique permanere; et „ propterea sic possunt mori libenter. „ Tum ex Ptolomæo Philadelpho rogante quid factum esset, ut tam admirandarum legum nullus Historicus aut Poeta meminisset, responsum est quod juxta sententiam Judæorum ipse fecit: Et legitur in Anytheta apud Josephum lib. 12. Annal. cap. 2. et apud Eusebium lib. 8. præp. cap. 16. neminem ausum fuisse eam Scripturam attingere, cum constaret divinam esse, et omni veneratione dignam; hinc et ferunt punitos esse quosdam a celesti lumine qui illam temere attrectare non erant veriti. Theopompon quippe volentem inde quædam scriptis suis inserere, mente motum fuisse diebus 30. asserunt, eo maxime quod fuisset circa res divinas absque reverentia curiosior, quin immo cum Theodoctus Poeta in quadam tragœdia vellet aliquid e sacris Litteris admiscere, lumen oculorum ex parte amisit. Quibus auditis, ut narrat ibidem Anytheas Rex Philadelphus Libros coluit, et veluti adoravit, &c.

*Tertia* hæc est: Scriptura quæ ab Heterodoxis, a Mahumetanis, et ab ipsis Paganis, ut divina habetur, sane Deum habet auctorem: Atqui Scriptura veteris Testamenti apud præfatos sic celebratur: Ergo &c. Probatur minor. Primo quidem, Sectæ Hæreticorum fere omnes vetus Testamentum ut quid divinum habent. Secundo, in Alcorano legitur Deum prius Testamentum, deinde Evangelium ut rectam vivendi normam dedisse. Deinde multa præclara Pseudo-Propheta dicit tum de Christo, tum de B. Virgine. Tertio, Ethnici ipsi Scripturam veteris Testam. ut quid divinum spectabant. Sic refert Clemens Alexand. lib. 1. Stromatum: Eo loci hæc de Ethnicis relative ad Scripturas dicit: " Ex iis quæ apud „ se scripta sunt, Moysen, id est, scripta „ Moysis honorant. „ Idem docet in lib. 30. Isti suffragatur Cyrill. Alexand. lib. 1. contra Julianum: Ergo &c.

*Quarta*: Qui libros veteris Testamenti impugnarunt, eos ut scripturam mere humana habentes, ab Ecclesia & SS. Patribus tamquam Hæretici propulsi sunt: Atqui res ita est. Et probatur, I. ex laudatis Patribus. II. Ex S. Epiphanio in suis de hæresi libris. III. Ex Concilio Toletano anno 400. adunato, qui sect. 2. ait: *Si quis dixerit alium esse Deum priscæ Legis, alium Evangelicæ; anathema sit.*

*Quinta*: Ejusdem est intendere finem & eligere media, polliceri & promissa adimplere, figurare & exhibere, inchoare & perficere: Atqui hæc fecit vetus Testamentum, seu Deus per Testamentum: Igitur lex vetus Deum habet auctorem. Prob. minor & quidem multipliciter. Primo quidem, idem est utriusque Testamenti finis, dilectio scilicet Dei & proximi; ex hac enim, teste S. Matth. 22. *Universa lex pendet & Propheta*: Secundo, vetus Testamentum est medium ad novum, & Christum possidendum, juxta illud ad Gal. 2. *Lex Pedagogus noster fuit in Christo*. Tum Rom. 10. *Finis enim legis Christus*. Tertio, promisit Deus Abrahæ ex semine suo venturum Messiam. Quarto, Act. 18. Paulus: *Ostendens per scripturas esse Christum*. Quinto, *Omnia in figura*

*figura contingebant illis*, ut habetur 1. Cor. 10. Igitur lex vetus semper ad Christum attendebat. Sexto, ipsa lex adimpleta est a Christo, juxta illud Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere*: Igitur lex vetus erat a Deo.

*Solvuntur objectiones.*

OBJICIUNT Manichæi: Princeps hujus mundi est diabolus, cujus filii dicuntur Judæi, Joan. 8. & quem Christus insectatus est; Atqui ille est veteris Testamenti auctor. Et probatur: alius a diabolo jussit cædes fieri, furta & multa facinora, necem Amalecitarum, furtum bonorum Ægypti, & ut habetur Amos 3. *Si est malum in civitate quod Dominus non fecerit*. III. Veteris Testamenti auctor excæcat, indurat, aggravat corda: igitur non est Deus IV. Ille auctor, dedit eis legem in qua non vivent, quippe quæ 2. Cor. 3. dicatur, *ministratio mortis*.

*Respondeo* jam ad hæc repetita factum esse satis. Sed ad majorem Hæreticorum confusionem, utinam & ad conversionem iterum atque iterum, ut supra, respondere juvat.

*Ad* secundam argumenti partem distinguo: Judæi aliqui dicuntur filii diaboli, hoc est, mali & peccatores, concedo; peccatum enim a diabolo instigante procedit: omnes, nego. Quis sanæ mentis Patriarchas & Prophetas, aliosque justitia & sanctitate conspicuos dicere auderet esse filios diaboli? soli igitur Pharisæi & alii hujus surfuris homines uti filii diaboli habentur, non quia legem veterem amplexi fuerant, sed potius quia hanc non observabant.

*Ad* 2. dico, auctorem V. T. justis de causis in vindictam peccatorum voluisse malos mori: talis fuit Amalecitarum cædes. Nec mirum, erat bene sancita lex de homicida interficiendo, ut hominum servetur societas.

*Ad* 3. distinguo: Malum pœnæ est a Deo peccatorum vindice, concedo: malum culpæ, nego. Justo Dei judicio dubio-procul Deus insectatur & flagellat peccatores; quia vero hoc cedit in eorum salutem, pœna potius bonum, quam malum dicenda est.

*Ad* 4. similiter distinguo: Auctor veteris Testam. excæcat permissive, & in pœnam peccati, concedo: effective; nego. Revera quidem, nam hoc aliter fieri est impossibile; peccatum enim non habet causam efficientem, sed deficientem, unde non potest refundi in Deum ut auctorem.

*Ad* 5. distinguo etiam: Auctor V. T. dedit legem in qua non poterant vivere, id est, ad nihil perfectum ducet lex illa, sed ab ulteriori complementum expectabat, nempe a nova, concedo: ita ut sit de se mala, nego. Admonet solum Deus justitiam non esse in cæremoniis exterioribus reponendam, ut non pauci fecerunt, qua de causa Apostolus dicebat, littera occidit, spiritus autem vivificat: hinc omnes sancti Patres qui legis sensum interpretati sunt, dicebant legem non justificare ex opere operato, sed solum ex opere operantis, & per fidem in Christum venturum. Igitur lex de se erat bona, sed virtutem ex spiritu & fide habebat.

*Ad* iteratam probationem distinguo: Lex erat ministratio mortis per accidens, quatenus ostendebat malum fugiendum, nec tamen virtutem, qua propelleretur, dabat, sed a Christo expectabat, concedo: per se, nego. Solutio est D. Augustini, qui lib. 2. cap. 7. contra Adversarium legis & Prophetarum sic respondet ad difficultatem: "Oportebat enim ut in Testamento veteri lex imponeretur superbis, & de suæ voluntatis virtute fidentibus, quæ non daret justitiam, sed juberet: Ac si morte prævaricationis impliciti ad gratiam confugerent, non jubentem tantummodo, sed juvantem, quæ novo Testamento est revelata."

*Urgent*: I. In veteri lege multus est sermo de pinguedine terræ: Igitur solum terrena juiare docebat lex. II. Præcepta sunt peccati leges.

*Respondeo* distinguo ut supra: Multus est sermo in lege Mosaica de pinguedine terræ ut homines carnales per sensibilia ad Deum invisibilem & ejus amorem promoverentur, concedo: sistendo in bonis temporalibus, ut in fine ultimo, nego. Nam teste Apostolo laudato finis legis erat Christus, adeoque Deus videndus & possidendus, juxta illud 1. Cor. 3. *Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei*.

*Respondeo* ad 2. distinguendo præcepta legis

legis sunt peccati leges per accidens, & quia peccatum designant, concedo : per se, nego. Ignoranti invincibiliter legem non imputatur illi ad peccatum : Sed ut primum dicit, *non mœchaberis, non concupisces*, peccat qui mœchatur & voluntarie concupiscit, quia contra conscientiam & legem cognitam ac promulgatam prævaricatur. Solutio est ipsius Apostoli, qui dicit sublata lege, non cognoscere an concupiscentia sit peccatum; data vero lege jam peccatum, inquit, operatur in me, idest, lex peccati quæ mihi dicit, *Non concupisces*; qua de causa vocat hanc legem, mortis præceptum, quatenus offendentes reddit reos, & morte æterna dignissimos.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Libri veteris Testamenti Deum habent auctorem.*

PRIMO : Sic habetur passim in Scriptura utriusque legis. Exod. 6. *Dixitque Dominus ad Moysen*. Cap. 13. *Locutus est Dominus ad Moysen*. Luc. 1. *Sicut locutus est ad Patres nostros* : Ergo &c.

*Secundo* : Idem astruunt SS. Patres, Clemens Rom. Epist. ad Cor. Justinus Dial. cum Triphone, Ambrosius Epist. 44. Augustinus lib. 11. de civ. cap. 3. Concilium Toletanum ann. 400. adunatum sec. 2.

*Tertio* : Ratio in promptu est. Cum enim Scriptura mysteria abscondita & impervia sæpius eructet, non alium præter Deum potest habere auctorem.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Non sine blasphemia diabolus a Manichæis dicitur veteris legis auctor; tametsi enim legatur in libris Deum istum jubere cedes, excæcare & similia mala consilio, aut præcepto facere, malum tamen culpæ non est ab eo nisi permissive, pœnæ tamen in justam vindictam quid prohibet ab illo præcipi?

*Secundo* : Esto quod Deus bona temporalia in veteri Testamento conferat, sed hæc non elargitus est, ut Judæi in his tamquam in ultimo fine sisterent, ut jam jam non semel annotatum est.

*Tertio* demum, si quando lex Moysis non bona appelletur, idem est, ac non perfecta, nusquam vero, ut mala formaliter & rigorose.

## SECUNDA PROPOSITIO.

Lex vetus erat sancta.

*Probatur rationibus Theologicis.*

PRIMA : Ex dictis Lex illa est a Deo, qui eo dedit scopo istud Testamentum, ut homines ad suum promoveret amorem : Igitur lex vetus est sancta, cum sanctitas in charitate & amore Dei potissimum sita sit.

*Altera* : Illa lex est sancta, cujus regulæ hominem ad vitam æternam perducunt, cujus lumen intellectum dat parvulis, cujus testimonia mirabilia sunt, & a Christo non semel laudata : Atqui talis est lex Moysis, ut ex toto Psal. 118. liquet; sic enim habetur : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Rursus, *Declaratio sermonum tuorum illuminat : & intellectum dat parvulis*. Rursus : *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est anima mea*. Rursus Psal. 11. *Lex Domini immaculata convertens animas : testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis*. Ergo &c.

*Tertia* : Lex quæ ad virtutem promovet, & docet declinare a malo & facere bonum, certe sancta est : Atqui lex Mosaica præceptis suis non aliud intendit; & probatur ex D. Thoma qui 1. 2. q. 100. art. 2. auctoritate D. Ambrosii suffultus docet, præcepta legis Mosaicæ ad omnes virtutes se extendere : hoc ipsum iterum atque iterum in tota ista quæstione & in duabus subsequentibus lato calamo probat : Namque eo loci quatuor præceptorum genera distinguit, videlicet præcepta Decalogi, quibus homini præcipitur, ut declinet a malo & faciat bonum : moralia, quibus præfigitur in particulari bene vivendi modus : judicialia, quibus homines per pœnas infligendas, a peccato committendo deterrentur : Cæremonialia denique quibus determinantur ritus ad Deum, tum Sacramentorum usu, tum sacrificiis, sicut oportet, colendum : Igitur vetus Testam. sanctum est.

*Quarta* : Lex quæ habet Deum pro fine, quæ ad Christum, sicut figuræ ad veritatem terminatur, sancta censeri debet : Atqui lex vetus sic est, ut patet ex præceptis, & ex ipso Christo qui Lucæ 24. ad illam ut suam probet missionem recurrit : Ergo &c.

*Quinta* : Illa lex sanctitatem ubique spirat, quæ festivitates ad colendum specialiter Deum instituit : Atqui lex vetus est hujusmodi, & eo fine multa celebrat festa. Ergo &c.

*De Festivitatibus veteris legis.*

D. THOMAS 1. 2. q. 102. art. 4. ad decimum de festivitatibus Judæorum sic loquitur : „ Dicendum, quod in veteri „ lege erant 7. solemnitates temporales, „ & una continua, ut potest colligi num. „ 28. & 29. erat enim quasi continuum „ festum; quia quotidie & mane & vespere immolabatur agnus, & per illud „ continuum festum jugis sacrificii repræsentabatur perpetuitas divinæ beatitudinis. Festorum autem temporalium „ primum erat, quod iterabatur qualibet „ septimana, & hæc erat solemnitas sabbati quod celebratur in memoriam creationis rerum, ut supra dictum est. „ Alia autem solemnitas iterabatur quolibet mense, scilicet Festum Neomeniæ : „ quod celebratur ad commemorandum opus divinę gubernationis. Nam hæc inferiora præcipue variantur secundum „ motum lunæ : & ideo celebratur hoc „ festum in novitate lunæ non autem in „ ejus plenitudine, ad evitandum idololatrarum cultum, qui in tali tempore lunæ sacrificabant. Hæc duo beneficia sunt „ communia toti humano generi, & ideo „ frequentius iterabantur. Alia vero quinque festa celebrabantur semel in anno, „ & recolebantur in eis beneficia specialiter illi populo exhibita. Celebratur „ enim festum Phase primo mense ad commemorandum liberationis beneficium ex „ Ægypto. Celebrabatur autem festum „ Pentecostes post 50. dies ad recolendum beneficium legis datæ. Alia vero „ tria festa celebrabantur in mense septimo, qui quasi totus apud eos erat solemnis sicut & septimus dies. In prima enim die mensis septimi erat festum „ tubarum, in memoriam liberationis Isaac „ quando Abraham invenit arietem hærentem cornibus, quem repræsentabant „ per cornua, quibus buccinabant. Erat „ autem festum tubarum quasi quædam „ invitatio, ut præpararent se ad sequens „ festum quod celebrabatur prima die : „ & hoc erat festum expiationis in memoriam illius beneficii quo Deus propitiatus est peccato populi de adoratione vituli ad preces Moysi. „

*Ibidem* S. Doctor sic prosequitur : „ Post „ hoc autem celebrabatur festum Scenopegiæ, idest tabernaculorum septem diebus, ad commemorandum beneficium „ divinæ protectionis & deductionis per „ desertum, ubi in tabernaculis habitaverunt. Unde in hoc festo debebant habere fructum arboris pulcherrimæ, idest, „ citrum & lignum densarum frondium, „ idest, myrtum, quæ sunt odorifera, „ & spatulas palmarum, & salices de „ torrente, quæ diu retinent suum virorem, & hæc inveniuntur in terra promissionis, ad significandum quod per aridam terram deserti eos deduxerat Deus „ ad terram delitiosam : octavo autem die „ celebrabatur aliud festum, scilicet cœtus atque collectę, in quo colligebantur „ a populo, ea quę erant necessaria ad „ expensas cultus divini : & significabatur adunatio populi, & pax præstita „ in terra promissionis. „

*Diluuntur objecta Heterodoxorum.*

OPPONUNT : Illa lex non videtur sancta, quę multa obscęna enarrat: Atqui talis est lex Mosaica : Et probatur. Multos commemorat homines malos, aut saltem admodum imperfectos, qualis fuit Lamech qui primus duas accepit uxores, fratres Joseph, qui eum nedum innocentem, sed & quem prophetam subodorare debebant, invidia tamen victi Ismaelitis vendiderunt; neque vero silet Sodomitarum pessimum crimen, quod vel solummodo referre pudet. Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem. Ad probationem distinguo: Et optimo fine laudata recenset Scriptura vetus, concedo; secus, nego. Ordinem generationum debuit enarrare, ut cuncta initium habuisse & Deum esse omnium creatorem ostenderet.

Esto,

Esto, commemoret quidem peccata, sed non silet Sodomitarum & aliorum peccatorum pœnas.

*Replicant*: Cæremoniæ legis Mosaicæ superstitionem sapiunt: Ergo &c. Probatur Ant. I. Agnum absque macula potius quam alterum sacrificare nonnihil superstitionem spirat. II. Idem dicendum de aliis sacrificiis: Ergo &c. Confirmatur. Hebræi modum in sacrificando ab Ægyptiis suscepere: Ergo &c. Prob. Ant. Hebræi numero circiter 50. ætate & ævo Josephi ingressi sunt in Ægyptum; tunc autem nullam habebant animalia sacrificandi normam. Herodotus lib. 2. num. 51. 78. 91. aliisque in locis mentionem facit de sacrificiis Ægyptiorum. Igitur ab istis Hebræi modum hunc illumque superstitiosum ab eis acceperant.

*Respondeo* distinguendo: Cærimoniæ legis Mosaicæ quamdam redolent superstitionem si ad litteram spectentur, transeat: si secundum spiritum quo fiebant, nego. Gentiles quidem boves & oves & non sine superstitione magna falsis immolabant numinibus; Judæi vero e contra, ut Deum benefactorem, mortis ac vitæ Dominum esse profiterentur. Quinimmo ipse Deus veteris legis sacrificiorum fuit auctor, & diversos sibi sacrificandi ritus ipse præscripsit in lib. Levitici & hoc ut populum rudem a sacrificiis falsis numinibus immolandis, & præsentandis, averteret, ut habetur Ezech. 2. 7. 11. 16. 18. ita censent Justinus Dialog. cum Tryphon. Eusebius lib. 1. demonstrat. Evang. cap. 4. & 6. Cyrillus Alexand. lib. 9. contra Julian. D. Th. 1. 2. q. 102.

*Ad* confirmationem distinguo: Hebræi modum aliquem Deo sacrificandi ab Ægyptiis mutuati sunt, transeat: omnem, nego. In libro Genesis multa commemorantur sacrificia, vel ante ipsam Moysis nativitatem, & consequenter priusquam Israelitæ ingrederentur Ægyptum. Obtulit sacrificium Abel de optimis pecoribus; Noe de animalibus mundis, Abraham arietem hærentem cornibus loco Isaac immolandi substituit: si vero in rigore loquamur, falsum est, vel unum solum ritum ab Ægyptiis accepisse Hebræos, cum a Deo, ut patet in libro Levitici, omnes generum & specierum ritus sacrificandi determinentur: Sed dato & non concesso aliquem ritum ab Ægyptiis Israelitas mutuasse, certe quod Deus sanctificavit ut habetur Act. IV. nec commune, nec immundum dicendum est.

*Reponunt*: Sacrificia legis a Deo repulsa sunt, ut habetur Psalm. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti*: Igitur lex non fuit ratione cultus, & in se sancta.

*Respondeo* distinguendo: Repulsa sunt, hoc est non ad apicies juris Deo pro peccatis satisfaciebant, concedo: hoc patet ex auctoritate in objectione laudata; eo quippe loci propheta introducit Christum loquentem, qui ideo venit & passus est, ut plenam Deo exhiberet pro nobis satisfactionem: hoc est, illa sacrificia quandoque erant mala, subdistinguo: ratione offerentium qui debitas in offerendo non adhibebant dispositiones, quippequi a peccato non recederent, concedo: erant mala ratione sui, nego. Solutio ex ipsa colligitur Scriptura; Psal. enim 49. Deus sic loquitur: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas .... Tu vero odisti disciplinam: & projecisti sermones meos retrorsum .... Sacrificium laudis honorificabit me.*

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Lex vetus erat sancta.*

PRIMO: In hoc solum instituta est, ut homines ad amorem Dei promoveret, & Christum præfiguraret.

*Secundo*: Ejus præcepta sic iustituebant hominis vitam, ut declinando a malo, & faciendo bonum, vitam æternam consequeretur.

*Tertio*: Cæremonias & festivitates complectebatur, quibus homines regularentur in cultu debito Majestati divinæ sic reddendo, ut populus esset Deo acceptabilis.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Non diffitemur multum esse in Genesi de generationibus hominum sermonem; sed auctor canonicus eo solum sic scripsit fine, ut populum edoceret, quod cuncta fuerint creata & initium habuerint, & Deus solus esset visibilium & invisibilium creator.

*Secundo:* Sicut Lex scripta peccata abominabilia non silet, sic nec eorum flagella, ut a criminibus patrandis deterreantur homines.

*Tertio:* Dato & non concesso Israelitas ab Ægyptiis idololatris ritus offerendi sacrificia didicerint, nihil inde absurdi sequitur; quod enim Deus sanctificavit, ne commune dixeris: si quando vero abjiciat oblationes; non inde sequitur malas esse in se, sed solum relative ad offerentes, qui peccatorum pondere oppressi, Deum quidem ore & sacrificiis confitebantur, factis vero abnegabant.

## §. IV.

*Utrum libri veteris Testamenti nedum Judaos, sed et Christianos spectent?*

## CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

*Probatur multis momentis.*

PRIMO, *ex Scriptura*: Joan. 5. Christus, sic loquitur: *Scrutamini Scripturas .. .. illa sunt qua testimonium perhibent de me*: Tum Luc. 24. *Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis qua de ipso erant*: Igitur vetus Testamentum pertinet etiam ad novum, quandoquidem Christus remittit Judæos ad Scripturas V. T. quæ de ipso perhibebant testimonium: unde & ipsi Apostoli, ut legitur in Actibus, modo citant Psalmos, ut Petrus in electione sancti Mathiæ Act. 1. dixit: *Scriptum est enim in libro Psalmorum: fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea: & Episcopatum ejus accipiat alter*: Modo Moysen & cæteros Prophetas, ut B. Stephanus in oratione quam habuit coram Judæis illum occasione Christi de blasphemia accusantibus, unde Apost. 2. ad Cor. 3. sic effatur: *Velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur, sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses velamen positum est super cor eorum.*

*Secundo, ex SS. Patribus*, qui uno veluti calamo scribunt omnia in figuris Judæis contigisse; Prophetias in Christo fuisse adimpletas: immo hoc argumento revincunt paganos contra fidem Christi blaterantes: sic enim argumentabantur: Christus multis retro seculis prædictus est a Prophetis, & quoad conceptionem virtute Spiritus sancti factam, & quoad nativitatem ex sanctissima Virg. cęteraque vitæ mysteria: has habemus Scripturas ab inimicis nostris Judæis, adeoque ab omni fictionis suspicione absolutas: omnia videmus nunc adimpleta. Quid plura? Signa & miracula quæ de Christo erant, confirmaruut: Igitur fides nostra in Christum est verissima, quo quidem argumento victi plures etiam ex Philosophis ad fidem adducti sunt, ut perceleberis Justinus, subtilis Athenagoras & alii.

*Tertio, ratione*. I. Fides in libris V. T. astruitur, mores instituuntur: Præcepta Decalogi a lege promulgata omnes cujuscumque ætatis & ævi spectant homines: Igitur V. T. etiam respicit saltem quoad multa Christianos. Prob. Antec. I. Fides astruitur, quando quidem finis legis est Christus, ut habetur Rom. 1. hinc Joannes cap. 5. Christum inducit sic loquentem: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit*, unde post resurrectionem cum se videndum & palpandum præbuit, sic locutus est: *O stulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus qua locuti sunt Propheta: Non ne hac oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, qua de ipso erant.*

II. *Virtus* doctrina V. T. fovetur, nam Christus referens historiam divitis epulonis, ait: *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.* Tum hortatur discipulos ad scientiam Sanctorum comparandam exemplo Reginæ Austri, quæ de longinguo venit ut audiret sapientiam Salomonis; quamobrem Paulus Rom. 13. sic habet: *Quacumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt*. Rursus 2. Tim. 3. de iisdem Scripturis, sic loquitur: *Illa te possunt instruere ad virtutem per fidem qua est in Christo Jesu.*

III. *Homines* lectione veteris Testamenti docti evadunt, tum ad cognoscenda mysteria, tum ad vitam recte formandam; multa si quidem continent præcepta, multas sententias, multas figuras, multaque exempla, quibus facile est ignaros erudire,

dire, tum & Heterodoxos confutare atque revincere.

IV. *Vetus* & novum Testamentum sic inter se connectuntur, ut unum ab alio divulsum evacuetur: vetus enim promittit Christum, novum vero præsentem exhibet.

*Solvuntur Manichæorum objectiones.*

OBJICIT Adimantus: V. T. adversatur novo: Igitur non pertinet ad Christianos. Sic probat antec. I. Exod. 25. habetur: *Facientque mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Cap. 26. Pergit Deus dictare Moysi formam Tabernaculi in quo commorari desiderat: & tamen Act. 7. ait: *Cœlum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum.* II. Levit. 11. prohibetur esus quorumdam volucrum. Et cap. 20. *Separate ergo & vos jumentum mundum ab immundo, & avem mundam ab immunda;* ne comedentes immundi evadatis: e contra vero Christus Matth. 15. ait: *Non quod intrat in os coinquinat hominem &c.* III. Deut. 12. Permittitur manducare carnem: *Offeretis*, ait Dominus Moysi .... *Primogenita boum & ovium ... Et comedetis.* Rom. vero 14. *Bonum est non manducare carnem.* IV. Prov. 6. *Vade ad formicam o piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam.* Matth. vero 6. *Nolite soliciti esse in crastinum.* V. Osee 9. *Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia.* Matth. vero 22. *Neque nubent, neque nubentur.* VI. In Genesi fuso calamo filiorum Adæ generationum texitur historia, Apostolus vero I. Tim. 4. & 2. Tim. 2. præcipit ad vanas hominum genealogias non attendere: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Et hęc omnia sub diverso respectu concilientur, concedo: secus, nego.

*Ad* I. distinguo: Et Deus loquitur in Exodo de loco speciali quem elegerat ad suum cultum, concedo: secus, nego. Omni tempore Deus ubique voluit agnosci, tum in cœlis, tum in terra, quia ubique presens est: et de hac confessione loquitur Matthęus: attamen specialem sępius elegit, ut etiam speciali donaretur cultu, quia ibi specialiter pręsens erat, ut in tabernaculo, de quo loquitur Moyses: addo et in Salomonis templo, de quo multus est sermo in libris Paralipomenon.

*Ad* 2. distinguo: Utique Iudęi ad litteram magis quam ad litterę spiritum attendebant, concedo: secus, nego. Quia igitur Judęi carnales erant, multa pręcepta eis imposita sunt, inquiunt Patres, ut ab idolorum servitute retraherentur: At vero gratia in novo Testamento superabundat, ut magis Spiritui quam litterę serviamus: et in isto sensu Apostolus dixit: *Bonum est non manducare carnem*: Hoc est ut ipse dicit, quando manducare scandalizat fratrem; satius enim est abstinere a cibo et esca quam peccandi ansam prębere. Et sic patet solutio ad tertium: ut ex sequentibus liquet, ubi Paulus est sui ipsius interpres. Sic enim loquitur: *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.*

*Ad* quartum distinguo: Deus negligentes ad formicam remittit, ut a noxio retrahantur torpore, laborantes vero cum anxietate vult in se sic confidere, ut suę se committant providentię ad vitam tranquillam agendam, concedo: secus, nego. Sic patet laudata nullo modo adversa esse. Cęterum Christus loquitur apud Matth. viris Apostolicis, qui gratia donati specialissima, & cuncta quę ad vitam pertinent, a Deo debent expectare, juxta illud eiusdem Domini oraculum Matth. 6. *Quærite ergo primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

*Ad* quintum similiter distinguo: Et Christus Matth. 22. corrigere intendit carnales et voluptuosos, qui etiam carnales delicias pro beatitudine expectabant, concedo secus, nego. Hinc uterque locus nullam implicat in se contradictionem. Potest etiam cum Augustino responderi per istam sententiam, *da eis ventrem vacuum*, Oseam intelligere, veterem legem sine Christi meritis ab omni merito et spe esse vacuam.

*Ad* sextum distinguo: Et Apostolus loquitur de vanis Judęorum Genealogiis quas rejicit et confutat, et hoc non incassum sed ad fidelium instructionem, concedo: sic interpretantur sancti Doctores textus Epistolarum: et in hoc abjicit historiam generationum quę in Genesi habetur, nego.

*Instat* Faustus: Ad illos non spectat vetus Testamentum qui nec sunt ejus hæredes legatarii, nec tenentur adhærere conditionibus Testamento appositis, nec possunt legatis per illud bonis frui tum ratione sui, tum ratione Testamenti: Atqui Judæi sunt veteris Testamenti soli legatarii & hæredes: Igitur vetus Testamentum non spectat ad Christianos. Probatur minor. Primo quidem, solis Judæi promittitur terra Chananæorum. II. Christiani non tenentur ad præcepta Mosaica, puta ad circumcisionem, ad sacrificia & ablutiones, aliaque similia, unde si ab eis discedere licet, immo & opporteat, utique & ab ipso Testamento. III. Novitas non est cum vetustate confundenda, maxime vero si vetustas contineat solummodo figuram, novitas vero exhibeat veritatem: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Lex vetus non pertinet ad nos ut legi subditos & servientes, concedo: ut prænuntiat Christum & tamquam noster Pedagogus, nego. Lex vetus considerari potest dupliciter, primoquidem in se, deinde vero relative ad Christum: si sumatur in priori sensu, quatenus multas habet observantias legales, & terræ Chananæorum promissionem, profecto non spectat Christianos, secus vero si ut figura Christi consideretur: nam, teste Apostolo, omnia in figuris contingebant Jubæis: Igitur lex vetus novam spectat quatenus, & Christum prænuntiat, & bonorum spiritualium copiam, per terram Chananæorum figuratam designat. Jam ad singulas fit satis.

*Ad* primam probationem, distinguo: Judæi soli sunt terræ promissionis hæredes, & ista terra est cælestis Jerusalem figura, Christi meritis possidendæ, concedo: & non est figura cælestis Jerusalem, nego.

*Ad* secundum distinguo: Soli Judæi tenentur ad præcepta Mosaica cæremonialia, concedo: ad præcepta legalia, Dei adorationem atque animæ culturam & sanctificationem spectantia, nego. Ipse Christus ea renovavit in Evangelio mandata. Hæc solutio colligitur ex Aug. lib. 10. contra Faustum. Non igitur confunditur lex nova cum veteri. Et sic patet solutio ad 3.

*Reponit* idem Faustus: Vetus Testamentum, nec ad fidei confirmationem, nec ad mores instruendos valet: ad fidei quidem confirmationem, quandoquidem non satis clare constat Christum a prophetis fuisse prænuntiatum; ad morum vero informationem, quippe quod contineat historias scandalo plenas, quales sunt historiæ de peccatis Gigantium, Regum &c.

*Respondeo* negando antecedens: Si quidem ipse Christus ad Scripturas veteris Testamenti appellat, ut probet Judæis suam divinitatem: utique ad mores instruendos plurimum valet vetus Testamentum; fidem enim Abraham commendat Apostolus; mansuetudinem vero Joseph, & Moysis sapientiam plurimum exaltat Stephanus Act. 7. Jam vero quid memorem pœnitentiam Davidis, qui panem cum fletu & cinere temperabat, peccata vero hominum in Scripturis veteris Testamenti recensita nos docent quanta sit fragilitas humana, quam terribilia judicia Dei, qui vindictam sumpsit & quidem gravissimam tum de peccatis Judæorum propter Idololatriæ peccatum, tum de peccato Nabuchodonosoris, Baltassar, Sennacherib, Antiochi & aliorum: Igitur plurimum valet vetus Testamentum ad fidei confirmationem, & virtutis incrementum.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Vetus Testamentum spectat etiam Christianos.*

PRIMO: Quia Christus Joan. 5. remittit Iudæos ad Scripturas, ut suam agnoscant missionem. Tum Luc. 24. incipiens a Moyse per omnes discurrendo Scripturas, idem momentum discipulis Emmaus probat.

*Secundo*: Christus Dominus suo munit calculo præcepta Decalogi, Judæis primum data: & Patriarcharum fidem maxime Abrahæ observandam proponit; post ipsum vero Apostolus Hebr. 11. eamdem celebrat, ut Christianos ad amorem Domini stimulet.

*Tertio*: Vetus & novum Testamentum sic connectuntur, ut unum ab alio divellere non sit licitum, cum vetus Christum Mediatorem promittat, novum vero præsentem exhibeat.

SY-

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametsi quædam appareat inter utrumque Testamentum contradictio, dubio-procul, si ad utriusque sensum attendat lector, absque negotio omnia conciliari animadvertet.

*Secundo*: Ultro fatemer diversas esse veteris & novi Testamenti quoad bona temporalia promissiones, minime vero quoad finem & Dei possessionem, quæ ut beatitudo possidenda singulis omnium sæculorum hominibus proponitur.

*Tertio*: Falsum est dicere vetus Testamentum novi non astruere fidem. Esto quod in figuris non nihil obscuritatis habeat, sed Prophetæ explicite Christum ejusque magnalia, quibus lex nova astruitur & roboratur, annuntiaverunt.

## SECTIO SECUNDA.

### *De dotibus novi Testamenti.*

EXIMIAM novi Testamenti laudem omnes conclamant creaturę: sol quidem dum, Christo moriente, lumen innatum abscondit; terra, quæ ipso moriente contremuit; monumenta aperta quę mortuos suos redivivos exhibuere; vel ipse infernus, & devicta mors, dicente Osea cap. 13. *ero mors tua, e morsus tuus ero inferne*: mundus ipse devictus, crux quondam maledictum legis, facta est omnium gentium benedictio: conclamant Martyres, qui terrente diabolo, & sęviente mundo suppliciis, ait Cyprianus epist. ad Mart. non cessere, sed ipsis potius tormenta cesserunt: conclamant Confessores innumeri, qui virtute crucis carnis victores tunc triumphant, ait D. Bernardus coronati in cœlis: conclamant Virgines, quę veste purpurea cum palmis in manibus sequuntur Agnum quocumque erit: conclamant omnis sexus omnisque ætatis viri & mulieres, qui gratię Mediatoris energia operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.

*Ejusdem* Testamenti dotes Angeli primum, Christo nato gloriam in altissimis Deo suavi armonia decantantes annuntiaverunt: Revera quidem illud Testamentum tantam benedictionum copiam attulit, ut teste S. Joanne 1. gratia per Jesum Christum facta sit, & omnium promissionum copiosa et superabundans adimpletio, cujus thesaurus est omnium gratiarum super fluens gloriosa supellex, de cujus consumptione non est timendum, ait Concilium generale Viennense, largitor vero Christus Dominus, cujus virtus, gratia Dei; cujus potestas, Sacramenta; cujus Ministri, Sacerdotes charactere divino ad omnem mirabilem operationem insigniti, cujus efficacia terribilis dęmonibus effecta, cæcos illuminat, leprosos mundat, mortuos ad vitam evocat, linguas infantium facit disertas; cujus fructus ex omnibus tribubus et linguis, et nationibus prędestinatorum tanta multitudo, ut juxta illud Joannis Apoc. 7. numerare nemo queat: cujus denique lumen est veritas, cui figuræ et umbrę Christo nato cessere. Sic enim nova lex exhibet Messiam, in quo omnes omnino benedicuntur, et in sęculum sęculi benedicentur nationes, ut ne una quidem figura, ne una promissio et prophetia sit, quę non sit in Christo adimpleta. Sicut enim, ait Luc. 1. Zacharias locutus est ad Patres nostros, de divinitate Verbi ad nos dimissi, sic de ejus nativitate, miraculis, prædicatione, morte, resurrectione, et per omnem terram triumpho in Domino Iesu adimpletum ostendit Iudæis incredulis novum Testamentum, sic Gentibus, et Paganis, sic Atheis et cujuscumque generis infidelibus, ut sciant omnes ad vitam vocari.

„ *In* Scriptura *illa*, ait Hieronymus in „ prolog. in Psalmos, habet infans quid lactet; puer quid laudet, adolescens „ quid corrigat, juvenis quid sequatur, „ senior quid precetur.

*Tum* Hugo Victorinus lib. de anima: „ In Scriptura novi Testamenti, quidquid „ docetur, veritas; quidquid præcipitur „ bonitas; quidquid promittitur, felici„ tas est.

*Cecinit* Gregorius Magnus lib. 18. moral. cap. 14. ista verba Iob 28. *Habet argentum venarum suarum principia*, interpretans, ait: „ Argentum est eloquii vel „ sapientiæ claritas; venæ, sacra Scriptu„ ra: ac si aperte dicat: cui ad veræ præ„ dicationis verba se præparet, necesse est

I 4 ut

„ ut causarum origines a sacris paginis „ sumat; ut omne quod loquitur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium locutionis „ suæ firmet. „

*His* accedit Origenes, qui in cap. 1. Joan. his paucis, sed efficacissimis verbis divinæ Scripturæ maxime novi Testamenti ineffabilem delineat utilitatem & naturam : " „ Scriptura mundus est intelligibilis, suis „ quatuor partibus, veluti quatuor ele„ mentis constitutus, cujus terra est vel„ ut centrum in medio instar centri, „ scilicet historia; circa quam aquarum „ similitudine abyssus circumfunditur mo„ ralis intellgentiæ; circa Historiam & „ Ethnicam, veluti duas hujus mundi „ partes, aer ille naturalis scientiæ cir„ cumvolvitur: extra autem omnia, & „ ultra, æthereus ille & igneus ardor „ empirei cœli, id est, superna contem„ platio divinæ naturæ, quam Theolo„ giam nominant, circumglobatur. „

*Miracula* numero prope infinita, qualitate ad Christum usque inaudita, virtute inter omnes veteris legis signa multo majora, universalitate iisdem extensiora, repetitione supra modum frequentiora, ea quæ in novi Testamenti Scripturis continentur, sic firmant, ut si credendo Scripturis illis decipimur, a te Domine, aiebat quondam quidam Ecclesiæ Pater, decepti sumus. Quinam autem sunt, qui veritates Scripturarum novi Testamenti scriptis mandatas sic docuere, ut suaderent, ut delectarent simul & corda demulcerent, tangerent ac tandem converterent, pauperes evangelizantes regnum Dei? " Peragrarunt, ait *S. Chrysostomus* „ *serm.* 3. *Pentecostes*, Piscatores orbem „ terrarum, & infirmum eum invenien„ tes, ad sanitatem reduxernnt, & iu „ ruina positum, ad stabilitatem revoca„ runt: non scuta moventes, non arcus „ tendentes, non sagittas mittentes, non „ pecuniam largientes, non in eloquentia „ confidentes: sed pecunia indigentes, sed re„ gnum cœlorum possidentes, non haben„ tes humana solatia; habentes Dominum „ secum. " Ejus scilicet Testamentum, juxta illud Matth. 12. *Habemus solatio sanctos Libros*. Quomodo vero novum Testamentum tot adornatum virtutibus & gratiis, cuncta ab initio mundi ad Jesum usque omnium Redemptorem prædicta, in ipso ad amussim adimpleta exhibeat, quod omnium miraculorum maximum est, juvat per ordinem a primo ad ultimum hic enarrare, ut Joannem jure merito cap. 1. dixisse: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est*, intelligamus.

*Concordia utriusque Testamenti : novum 70. Prophetias totidem oraculis in Christo adimpletas exhibet.*

INTER omnia argumenta in testimonium excellentiæ novi Testamenti, concordia Librorum novi Testamenti cum libris veteris Testamenti est efficacius: quia non sine magno & ne dicam stupendo miraculo fieri potuit, ut quæ prænuntiata fuerant ante multa sæcula, in Christo ad litteram adimplerentur; ex quo manifeste sequitur novum Testamentum esse egregium & irrefragabile veræ Religionis & argumentum & fundamentum. Quod autem tale sit, ab enumeratione partium ostenditur.

*Primo* : Christus dicitur de semine Abraham, Matth. 1. cap. his verbis : *Liber generationis Jesu Christi, Filii David, Filii Abraham*. Et Lucæ 3. *Qui fuit Abraha*. Vers. 34. ita prædictum fuerat Geneseos 12. 3. *In te benedicentur universæ cognationes terræ*. In Abraham scilicet, ut habetur cap. 18. vers. 18. & cap. 22. vers. 18.

*Secundo* : Dicitur de semine Isaac ab iisdem Evangelistis ibidem, Matth. 1. his verbis : *Abraham genuit Isaac*. Tum Luc. 3. *Qui fuit Isaac*. Illud quoque prænuntiatum est Genes. 26. 4. ubi legitur : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*.

*Tertio* : Dicitur de semine Jacob ab iisdem ibidem : *Isaac autem genuit Jacob*. Et Luc. 3. *Qui fuit Jacob*. Hoc etiam prænuntiatum est Genes. 28. 14. *Benedicentur in te* : Jacob scilicet, *& in semine tuo cunctæ tribus terræ*. Tum Num. 24. 17. *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel*.

*Quarto* : Dicitur de semine Judæ ab iisdem ibidem : *Jacob autem genuit Judam & fratres ejus*. Et Luc. 3. *Qui fuit Juda*. Tum

Tum Hebr. 7: 14. his verbis: *Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster*. Id habetur Genes. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*.

*Quinto*: Dicitur de semine Jesse & David, Matth. 1. vers. 1. & 5. his verbis: *Liber &c. Filii David .... Obed autem genuit Jesse, Jesse autem genuit David Regem*. Idem Evangelista cap. 12. vers. 23. sic habet: *Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid, hic est filius David*. Idem cap. 20. vers. 31. *Domine miserere nostri fili David*. Cap. 21. vers. 9. & 15. *Hosanna filio David*. Et cap. 22. vers. 42. expressius & sequentibus, ab ipso Domino interrogante: *Quid vobis videtur, de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei, David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si Ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere Verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare*. Lucæ 3. vers. 31. & 32. *Qui fuit David, qui fuit Jesse*. Et antea cap. 1. vers. 32. prænuntiatum fuerat: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus*. Joan. 7. vers. 42. legitur: *Nonne Scriptura dicit; quia ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus*. Actuum 13. vers. 22. scriptum est: *Suscitavit illis David Regem, cui testimonium perhibens, dixit: Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum .... Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel Salvatorem Jesum*. Item Rom. 1. vers. 3. *De filio suo qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Et iterum 2. ad Timoth. 2. vers. 8. *Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David*. Jam denique refertur Apocal. 5. vers. 5. *Vicit Leo de Tribu Juda radix David, aperire librum, & solvere septem signacula ejus*. Hæc eadem veritas in veteri adstructa fuerat Testamento. Primo quidem Psalmo 88. vers. 4. & 5. his verbis: *Juravi David servo meo: usque in æternum præparabo semen tuum*. Deinde Isaiæ 11. vers. 1. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet; & requiescet super eum Spiritus Domini*. Apud Jeremiam cap. 33. v. 15. & sequenti demum dicitur: *In tempore illo, germinare faciam David germen justitiæ .... quia hæc dicit Dominus: Non interibit de David vir qui sedeat super thronum domus Israel*.

*Sexto*: Dicitur de semine Salomonis Matth. 1. vers. 6. his verbis: *David autem Rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ*. Idem asseritur Psalmo 71. vers. 1. & 6. *Deus judicium tuum Regi da; & justitiam tuam filio Regis .... descendet sicut pluvia in vellus; & sicut stillicidia stillantia super terram*.

*Septimo*: Lucæ 2. vers. 1. dicitur natus dum orbis universus erat in pace compositus, his verbis: *In diebus illis exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*. Hoc prædixerat Isaias cap. 1. vers. 24. *Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israel: Heu! consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis ..., Sion in judicio redimetur &c.*

*Octavo*: Dicitur natus de Virgine, Matth. 1. vers. 18. & sequentibus his verbis: *Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus ... & non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum*. Luc. vero 2. v. 6. *Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum*. Illud promiserat Isa. cap. 7. vers. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Hoc & Jeremias 31. vers. 22. *Novum fecit Dominus super terram, femina circumdabit virum*. Hoc tandem prænuntiarat Ezechiel cap. 44. vers. 2. & 3. *Porta*, inquit, *hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi. Princeps ipse sedebit in ea*.

*Nono*: Dicitur natus in Bethlehem, Matth. 2. vers. 1. his verbis: *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis*. Et Luc. 2. vers. 4. & sequentibus: *Ascendit autem & Joseph a* Ga-

*Galilaa de civitate Nazareth in Judaam in civitatem David qua vocatur Bethlehem, ut profiteretur eum Maria desponsata sibi uxore pragnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret; & peperit Filium suum primogenitum*. Item Joan. 7. vers. 42. legitur: *Nonne Scriptura dicit quia ex semine David, & de Bethlehem Castello, ubi erat David, venit Christus?* Hoc ipsum habetur Michææ 5. vers. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel.*

*Decimo*: Vocatur JESUS, Matth. 1. vers. 21. his vocabulis: *Pariet autem Filium; & vocabis nomen ejus JESUM: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Tum Luc. 1. v. 31. *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JESUM*. Idem Evangelista cap. 2. vers. 21. ait: *Vocatum est nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur*. Id prædictum habetur Isaiæ 12. vers. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Et. 52. vers. 5. & 6. *Jugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar ecce adsum*. Idem denique cap. 62. vers. 11. sic habet: *Dicite filia Sion: Ecce Salvator tuus venit*. Non omittendum illud Habacuc vaticinium c. 3. vers. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo JESU meo*.

*Undecimo*: Emmanuel nuncupatur Matth. 1. vers. 22. & 23. *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium: & vocabunt nomen ejus Emmanuel; quod est interpretatum, nobiscum Deus*. Illud ipsum habetur Isaiæ 7. vers. 14. *Propter hoc, dabit Dominus ipse vobis Signum: Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*.

*Duodecimo*: Dicuntur Magi venisse ab Oriente ut adorarent Jesum, Matth. 2. vers. 1. & 2. his vocabulis: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*. Idem habetur vers. 11. ejusdem capitis. Id David prædicit Psalmo 71. vers. 9. & 10. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent*. Isaias 60. vers. 6. sic habet: *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes*. Prædicta quoque est stella Numer. 24. vers. 17. hoc oraculo: *Orietur stella ex Jacob*.

*Decimo-tertio*: Referuntur infantes ab Herode occisi, Matt. 2. vers. 16. *Tunc Herodes ... mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus a bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis*. Tum 1. additur: *Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem*, Cap. 31. vers. 15. *Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt*.

*Decimo-quarto*: Narratur Jesus in Ægyptum profugus & incola, deinde redux, Matt. 2. v. 14. ubi hæc habentur de Joseph: *Consurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum*. Id prænuntiatum fuerat ab Osea Propheta dicente cap. 11. vers. 1. *Ex Ægypto vocavi Filium meum*.

*Decimo-quinto*: Habetur Matth. 2. vers. 23. quod permanserit in Nazareth, his verbis: *Et veniens habitavit in civitate qua vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas; quoniam Nazaræus vocabitur*. Item Luc. 2. vers. 51. *Descendit cum illis, & venit Nazareth*.

*Decimò-sextò*: S. Joannes dicitur Christi Præcursor, Matt. 3. vers. 1. his verbis: *In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ*. Item vers. 11. *Ego quidem*, inquit, *baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est .... ipse vos baptizabit in Spiritu sancto*. Rursùs Luc. 1. vers. 76. *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis, præibis ante faciem Domini parare vias ejus*. Idipsum prædixit Isaias 40. vers. 3. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, &c.* Et iterum Malachias 3. v. 1. hoc oraculo: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*.

*Decimò-septimo*: Spiritus sanctus dicitur descendere super Jesum his verbis, Matth. 3. v. 16. *Baptizatus autem Jesus .... ecce aperti sunt ei cœli; & vidit Spiritum*

*tum descendentem sicut columbam* , *& venientem super se* . Joannis 1. vers. 32. *Et testimonium* , inquit, *perhibuit Joannes dicens: quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo*, *& mansit super eum*. Id prædixerat Isaias cap. 61. vers. 1. his vocibus : *Spiritus Domini super me* , *&c.* Idem cap. 11. vers. 1.sic habet : *Et requiescet super eum spiritus Domini*, *&c.*

*Decimo-octavo* : Dicitur unctus a Deo Luc. vers. 18. ubi sic legitur: *Spiritus Domini super me* ; *propter quod unxit me* , *&c.* Act. vero 2. vers. 36. habetur : *Certissime sciat ergo omnis domus Israel* , *quia & Dominum eum* , *& Christum fecit Deus* , *hunc Jesum*, *quem vos crucifixistis*. Rursus cap.4. vers. 27. *Convenerunt in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum* , *quem unxisti* , *Herodes*, *& Pontius Pilatus* , *&c.* Et iterum Hebr. 1. vers. 9. habetur: *Dilexisti justitiam* , *& odisti iniquitatem* ; *propterea unxit te Deus*, *&c.* Hoc ipsum iisdem vocibus prædixerat David Psalmo 44. vers. 8. & Psal. 2. vers. 2. ibi enim de Christo ait : *Astiterunt Reges terræ ... adversus Dominum* , *& adversus Christum ejus* . Et Isaias cap. 61. vers. 1. his verbis : *Spiritus Domini super me* , *eo quod unxerit Dominus me* . Tandem Threnorum 4. vers. 20. legitur : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris*.

*Decimo-nono* Dicitur Filius Dei, Matth. 3. vers. 17. his verbis : *Hic est Filius meus dilectus*, *in quo mihi complacui* . Idem habetur cap. 4. vers. 3. & 6. apud eumdem Evangelistam: *Et accedens tentator* , *dixit ei : Si Filius Dei es*, *dic ut lapides isti panes fiant ... Si Filius Dei es* , *mitte te deorsum* . Rursus capite 8. vers. 29. *Quid nobis* , *& tibi* , *Jesu Fili Dei?* Item & Marci 1. vers. 11. *Vox facta est*, inquit, *de cœlis*: *Tu es Filius meus dilectus*, *in te complacui* . Lucæ 3. vers.22. habetur : *Tu es Filius meus dilectus*, *in te complacui mihi* . Joannes cap. 1. vers. 1. aurea ista profert verba : *In principio erat Verbum* , *& Verbum erat apud Deum* , *&* DEUS ERAT VERBUM . Id prænuntiaverat Propheta Regius Psal. 2. v. 7. *Filius meus es tu* , *ego hodie genui te*. Rursus Psalmo 88. vers. 27. & 28. *Ipse invocabit me* : *Pater meus es tu* ...., *Ego primogenitum ponam illum*. Tum & Psalmo 109. *Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis*.

*Vigesimo* : Dicitur primogenitus , Matt. 1. v. 25. *Peperit Filium suum primogenitum.* Et Roman. 8. vers. 29. habetur de Christo : *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Et iterum Hebr. 1. v. 6. *Et cum ... introducit primogenitum in orbem terræ*, *dicit*: *Et adorent eum omnes Angeli ejus* . Id prædixit David Ps. 88. v. 28.his verbis: *Ego primogenitum ponam illum* , *&c.* Item & Zacharias 12. vers. 10. *Aspicient ad me* , *quem confixerunt* : *& plangent* . . *quasi super unigenitum*, *& ... ut doleri soles in morte primogeniti* . Denique Joannis 1. vers. 18. vocatur : *Unigenitus Filius* , *qui est in sinu Patris*.

*Vigesimo-primo* : Ubique et passim Deus, et Dominus nuncupatur in novo Testamento, ut in sermone Cœnæ apud Joannem cap. 13. vers. 13. his verbis: *Vos vocatis me Magister & Domine*, *& bene dicitis* : *sum etenim* . Psalmo 44. vers. 8. id prædictum fuerat a Davide : *Dilexisti justitiam*, *& odisti iniquitatem* : *propterea unxit te Deus* , *Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* . Item et Psal. 109. vers. 1. *Dixit Dominus Domino meo* , *sede a dextris meis* . Isaiæ insigne est testimonium cap. 9. vers. 6. *Parvulus enim natus est nobis* , *& Filius datus est nobis* , *& factus est principatus super humerum ejus* ; *& vocabitur nomen ejus* , *admirabilis*, *consiliarius*, *Deus* , *fortis* , *Pater futuri sæculi* , *Princeps pacis* . Rursus cap. 45. vers. 15.*Vere tu es Deus absconditus* , *Deus Israel Salvator* . Jeremias 23. vers. 6. ait : *In diebus illis salvabitur Juda* , *& Israel habitabit confidenter* , *& hoc est nomen quod vocabunt eum*, *Dominus justus noster* . Habacuc denique 3. vers. 18. habetur : *Ego autem in Domino gaudebo* , *& exultabo in Deo Jesu meo*.

*Vigesimo-secundo* : Christus in tota epistola ad Hebræos pluribus vicibus Sacerdos nuncupatur , maxime vero cap. 5. vers. 5. his verbis : *Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret* , *&c.* Id prænuntiatur Psalmo 44. vers. 8. *Unxit te*, inquit Psaltes Regius, *Deus*, *Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* . Et iterum Psalmo 109. vers. 4. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*.

*Vigesimo-tertio* : Plura prophetavit Iesus : unde Luc. 7. v. 16. habetur de illo : *Propheta magnus surrexit in nobis*: *& quia Deus visitavit plebem suam* . Et Act. 3. vers. 22. refertur testimonium Moysis ut legitur

in

in Deuteron. c. 18. vers. 15. & sequentibus his verbis: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, &c.*

*Vigesimo-quarto*: Appellatur Pastor, Matth. 25. vers. 31. & sequentibus: *Cum autem venerit Filius hominis ... congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos adinvicem, sicut Pastor segregat oves ab hædis*. Cap. 26. vers. 31. legitur: *Scriptum est enim: Percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis*. Eadem referuntur verba Marci 14. vers. 26. maxime vero Joannis 10. vers. 11. *Ego sum*, inquit, *Pastor bonus: bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Rursus 1. Petri 2. v. 25. habetur: *Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem, &c.* Et adhuc cap. 5. vers. 4. *Cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam*. Idipsum habetur Psalm. 94. v. 7. his verbis: *Ipse est Dominus Deus noster: & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus*. Tum Isaiæ 40. vers. 10. & 11. legitur: *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & ... sicut Pastor, gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit*. Rursus Jeremias cap. 31. vers. 10. ait: *Qui dispersit Israel, congregabit eum: & custodiet eum sicut Pastor gregem suum*. Et iterum Ezechiel cap. 34. v. 11. & sequentibus pronunt at: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas, sicut visitat Pastor gregem suum .... & suscitabo super eas Pastorem unum, qui pascat eas*.

*Vigesimo-quinto*: Dicitur quod prædicaverit in Galilæa, & in Capharnaum, Matth. 4. vers. 12. & sequentibus his verbis: *Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam: & relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum .... Exinde cœpit Jesus prædicare &c.* Iterum Marci 1. vers. 14. & sequentibus habetur: *Venit Jesus in Galilæam prædicans Evangelium regni Dei ... & ingrediuntur* (scilicet Jesus & discipuli ejus) *Capharnaum & statim sabbatis ingressus in Synagogam, docebat eos*. Hoc ipsum prædixit Isaias cap. 9. vers. 1. & 2. *Primo tempore alleviata est terra Zabulon & terra Nephthali: & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium: populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis*.

*Vigesimo-sexto*: Passim & ubique in novo Testamento Magistri, Doctoris & remuneratoris nomine celebratur. Item & Psalmo 2. vers. 6. his verbis: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus*. Rursus 7. Psalmo 21. vers. 23. *Narrabo nomen meum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te*. Vers. 29. legitur: *Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur gentium*. Isaias cap. 30. vers. ait: *Dominus ... non faciet avolare a te ultra Doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*. Rursus cap. 55. vers. 4. *Ecce ... dedi eum ducem, ac præceptorem gentibus*. Et iterum cap. 61. v. 1. 2. & 3. *Spiritus Domini super me ... ad annuntiandum mansuetis misit me; ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam ... ut consolarer omnes lugentes: ut ponerem lugentibus Sion: & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mæroris*. Denique Joelis 2. vers. 23. habetur: *Filii Sion, exultate, & lætamini in Domino Deo vestro; quia dedit vobis doctorem justitiæ*.

*Vigesimo-septimo*: Passim vocatur patrator miraculorum, infirmitatum & languorum curator. Item Psalm. 4. vers. 4. *Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum*. Et Psalm. 102. vers. 2. & 3. *Benedic anima mea, Domino ... qui sanat omnes infirmitates tuas*. Rursus Isaiæ 53. vers. 4. habetur: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Et iterum cap. 61. supra citato.

*Vigesimo-octavo*: Dicitur cæcis visum restituisse, in Evangelio maxime vero Matt. 15. vers. 30 & 31. *Et accesserunt*, inquit Evangelista, *ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, ... & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos; ita ut turbæ mirarentur, &c.* Rursus Joannis 9. vers. 7. cæcum a nativitate illuminavit, dicendo: *Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur Missus. Abiit ergo, & lavit, & venit videns*. Illud prænuntiaverat Isaias cap. 29. v. 18. his verbis: *In die illa ... de tene-*

*tenebris & caligine oculi cacorum videbunt*. Cap. 35. verſ. 4. *Tunc aperientur oculi cacorum*. Rurſus cap. 42. verſ. 6. & 7. *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium: ut aperires oculos cacorum*.

*Vigeſimo-nono*: Dicitur ſurdorum aperuiſſe aures, ut habetur Marci 7. v. 34. & 35. de quodam ſurdo quem curavit, dicendo: *Epheta, quod eſt adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus*, Id ipſum prædixit Iſaias 29. verſ. 18. *Et audient in die illa ſurdi verba libri*. Cap. 35. verſ. 5. legitur: *Tunc .... aures ſurdorum patebunt*.

*Trigeſimo*: Dicitur mutorum linguam ſolviſſe: hoc jam jam prædixerat Iſaias cap. 35. verſ. 6. his verbis: *Tunc .... aperta erit lingua mutorum*.

*Trigeſimo-primo* Dicitur claudos erexiſſe; id prænuntiaverat idem Iſaias cap. 35. verſ. 6. dicendo: *Tunc faliet, ſicut cervus, claudus*.

*Trigeſimo-ſecundo*: Dicitur mortuos ad vitam evocaſſe: id prædixit utique Iſaias cap. 26. 19. ubi ait: *Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent &c.*

*Trigeſimo-tertio*: Dicitur famelicos ſaturaſſe, apud omnes Evangeliſtas: id præluſum legitur Pſalm. 21. verſ. 27. his oraculis: *Edent pauperes, & ſaturabuntur &c.* Et Iſaiæ 65. verſ. 13. ait Propheta: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ſervi mei comedent &c.*

*Trigeſimo-quarto*: Dicitur quod Apoſtolos vocaverit, & piſcatores ex Judæis elegerit, maxime Matth. 10. verſ. 1. & ſequentibus: *Et convocatis duodecim Apoſtolis ſuis, dedit illis poteſtatem &c.* Et ibidem cap. 4. verſ. 18. & ſequentibus dicitur de Petro & Andrea: *Erant enim piſcatores, Et ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum &c.* Id prænuntiatum fuerat a Jeremia cap. 3. v. 14. & 15. his verbis: *Convertimini filii revertentes, dicit Dominus .... Et dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* Sed expreſſius cap. 16. verſ. 16. *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos*.

*Trigeſimo-quinto*: Ubique in novo Teſtamento prædicatur multa Chriſtum patraſſe miracula. Id prædixerat David Pſalm. 77. verſ. 26. his verbis: *Tranſtulit auſtrum de cælo, & induxit in virtute ſua Africum*.

*Trigeſimo-ſexto*: Dicitur quod Jeruſalem triumphans ingreſſus ſit; & hoc aſtantibus Judæis, & clamantibus, *Hoſanna filio David*; ita omnes Evangeliſtæ. Hoc prædicitur expreſſe Zachar. 9. verſ. 9. ubi hæc habentur: *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Jeruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ*.

*Trigeſimo-ſeptimo*: Referunt Evangeliſtæ, Jeſum templum ingreſſum fuiſſe, & ejeciſſe vendentes, & vitia redarguiſſe. Primum prædixit Ezechiel cap. 43. verſ. 3. & 4. dicens: *Vidi viſionem ... & Majeſtas Domini ingreſſa eſt templum per viam portæ quæ reſpiciebat ad Orientem*. Et Aggæus cap. 2. verſ. 7. & ſequentibus: *Implebo*, inquit, *domum iſtam gloria .... meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ pluſquam primæ ... & in loco iſto dabo pacem*. Secundum, innuit David Pſalmo 68. verſ. 10. his verbis: *Zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobantium tibi ceciderunt ſuper me*. Tum Zacharias cap. 23. verſ. 21. *Et non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo*. Tertium vaticinati ſunt, I. Iſaias c. 23. verſ. 4. *Erubeſce Sidon: ait enim mare, fortitudo maris dicens: Non parturivi, & non peperi, & non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines*. II. Michæas 2. v. 1. & ſequentibus: *Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum ... idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum: unde non auferetis colla veſtra, & non ambulabitis ſuperbi*. Item & cap. 3. & verſ. 1. & ſequentibus.

*Trigeſimo-octavo*: Legitur apud omnes Evangeliſtas, quod Principes & Seniores populi conſilium inierint contra Dominum mane, Paſſionis tempore: id habetur Pſalm. 2. verſ. ubi David ait: *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*. Rurſus Pſal. 34. verſ. 15. *Et adverſum me lætati ſunt, & convenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella*.

*Trigeſimo-nono*: Refertur in Evangeliſtis omnibus, & Actibus, Jeſum traditum a Juda fuiſſe, & proditorem turpiſſima mor-

morte periisse. Id prædixit David Psalmo 40. v. 10. *Etenim homo pacis meæ in quo speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Tum Psal. 54. vers. 13. & sequentibus: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique .... tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Rursus 108. vers. 8. his verbis: *Fiant dies ejus pauci: & Episcopatum ejus accipiat alter &c.*

*Quadragesimo*: Dicitur sanctissimum instituisse Sacramentum, & sacrificium sui corporis; ita omnes Evangelistæ cum sancto Paulo: id prædixit Malachias 1. cap. vers. 10. & sequenti: *Non est*, ait, *mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

*Quadragesimo primo*: Agoniam Jesu describunt omnes Evangelistæ: De ea per prænotionem spiritus pius David Psal. 54. v. 4. & 5. ait: *Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.*

*Quadragesimo-secundo*: Dicitur ab iisdem Evangelistis, captus & ligatus: id prædictum fuerat a Jeremia Thren. cap. 3. vers. 52. ubi sic loquitur: *Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis.*

*Quadragesimo-tertio*: Apud Evangelistas omnes dicitur a discipulis derelictus, & ab omnium Principe negatus. Id prædixerat David Psal. 68. v. 9. & 21. his verbis: *Extraneus factus sum fratribus meis. . . & sustinui qui simul contristaretur: & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni.* Et Psalm. 87. vers. 9. *Longe fecisti notos meos a me.* Item Isaias 53. vers. 3. *Quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum.* Expressius autem Zacharias 13. vers. 7. *Percute Pastorem, & dispergentur oves.*

*Quadragesimo-quarto*: Falsi testes deposuerunt contra Jesum, ut habetur Matth. 26. vers. 59. & sequentibus: *Principes autem Sacerdotum ... quærebant falsum testimonium contra Jesum ut eum morti traderent: & non invenerunt: cum multi falsi testes accessissent.* Et Marci 14. vers. 56. *Multi enim*, inquit, *testimonium falsum dicebant adversum eum: & convenientia testimonia non erant.* Id prænuntiaverat Propheta Regius Psal. 26. v. 12. his verbis: *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Item Psal. 37. vers. 12. *Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt.* Rursus Psal. 40. vers. 6. *Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen ejus?* Et iterum Psal. 60. vers. 3. ubi ait: *Exacuerunt ut gladium linguas suas. .. & ut sagittent in occultis immaculatum.*

*Quadragesimo-quinto*: Dicitur in Evangeliis quod accusatus siluerit: item & Isaiæ 53. vers. 7. legitur: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*

*Quadragesimo-sexto*: Apud Evangelistas omnes Jesum opprobriis & contumeliis affectum legimus: id etiam habetur Psal. 34. vers. 15. his verbis: *Et adversum me lætati sunt, & convenerunt: congregata sunt super me flagella.* Psal. 55. vers. 2. *Conculcaverunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes adversum me.* Et tandem Psal. 68. vers. 6. *Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste.*

*Quadragesimo-septimo*: Sputo & verberibus impetitus dicitur in Evangelio: idipsum Isaias prædixerat cap. 50. vers. 6. ubi ait: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Et cap. 53. vers. 5. *Ipse autem*, inquit, *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra ... et livore ejus sanati sumus.* Demum Thren. 1. v. 30. expresse habetur: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.*

*Quadragesimo-octavo*: Triginta argenteis in Evangelio venditus refertur: Tum 11. Amos 2. v. 6. *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum; pro eo quod vendiderit pro argento justum.* Et Zacharias cap. 11. v. 12. & 13. sic loquitur: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Domini ad statuarium.*

*Qua-*

*Quadragesimo-nono*. Flagellis cæsus dicitur, & vestimenta eius sorte ducta referuntur ab Evangelistis omnibus. Idipsum prænuntiatur Psalmo 34. vers. 15. his verbis: *Congregata sunt super me flagella, & ignoravi*. Tum Psal. 21. vers. 19. *Diviserunt*, inquit David de Christo, *sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*.

*Quinquagesimo*: Cruci affixus legitur in Evangelio. Id prædixerat Sapiens cap. 2. vers. 12. & sequentibus, ubi aurea hæc verba profert: *Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata .... Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat .... Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi .... Si enim est verus filius Dei .... liberabit eum de manibus contrariorum .... Morte turpissima condemnemus eum*. Jeremias cap. 11. vers. 19. ait: *Cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen eius non memoretur amplius*. Et iterum Zacharias cap. 13. vers. 6. pronuntiat: *Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ inmedio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*.

*Quinquagesimo-primo*: Inter latrones patiens, a prætereuntibus delusus, felle saturatus, aceto potatus narratur ab Evangelistis. Primum dicit Isaias cap. 53. vers. 12. *Tradidit*, inquit, *in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est*. Secundum prænuutiat David Psalm. 21. vers. 8. & 9. *Omnes videntes me, deriserunt me: loquuti sunt labiis, et moverunt caput: speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum*. Tertium & quartum, idem Regius Propheta Psal. 68. vers. 22. his luculentissimis verbis: *Dederunt in escam meam fel: et in siti mea potaverunt me aceto*.

*Quinquagesimo-secundo*: In cruce veniam pro persecutoribus petiit, & voce magna clamavit; ita omnes Evangelistæ. Primum prælusum habetur Psalm. 17. vers. 7. & 8. his vocabulis: *In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi: et exaudivit de templo sancto suo vocem meam etc*. Expressius Isaiæ 53. vers. 12. legitur: *Ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit*. Secundum vero punctum innuit idem David Psalm. 21. vers. 1. ubi ait: *Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti?*

*Quinquagesimo-tertio*: Mortuus refertur in Evangelio: idipsum prædicitur Psal. 87. vers. 7. & 8. his verbis: *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et umbra mortis*. Clarius vero Psalm. 73. vers. 12. ubi sic habetur: *Deus autem Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ*.

*Quinquagesimo-quarto*: Morieute Domino terra commota est, sol obscuratus. Primum expressit David Psalmo 17. vers. 8. dicens: *Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis*. Utrumque refertur Amos 8. & vers. 8. & 9. ubi ait: *Numquid super iste non commovebitur terra? .... Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis*. Aggei 2. vers. 7. *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram*. Demum Zachar. 14. vers. 6. habetur: *Et erit in die illa: non erit lux*.

*Quinquagesimo-quinto*: Jesus mortuus ungitur; sepelitur in sepulchro divitis; lapis opponitur ad sepulchrum; planctum super illum fecerunt multi. Primum exprimitur in textu Hebraico Isaiæ 53. vers. 7. & 9. qui ita habet: *Et posui cum impiis sepulchrum ejus, & cum divite monumentum*. Secundum habetur Thren. cap. 3. vers. 53. *Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me*. Tertium prædicitur Zachar. 12. vers. 10. *Et plangent eum planctu quasi super unigenitum &c.*

*Quinquagesimo-sexto*; Descendit ad inferos Christus, & ab iis Patriarchas eduxit. Primum præsignatur Eccli. 48. vers. 5. his verbis: *Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis*. Secundum vero Psal. 67. vers. 7. *Qui educit vinctos in fortitudine: similiter eos .... qui habitant in sepulchris*. Isaiæ 25. vers. 8. legitur: *Præcipitabit mortem in sempiternum & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra*. Expressius Osee 6. vers. 3. ait:

3. ait : *Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos , & vivemus in conspectu ejus* . Et cap. 13. vers. 14. *de manu mortis* , inquit , *liberabo eos , de morte redimam eos : ero mors tua o mors , morsus tuus ero inferne* . Demum Zachar. 9. vers. 11. idem præludere videtur , dicendo : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu* .

*Quinquagesimo-septimo* ; Resurrexit : ita omnes Evangelistæ , & omnes novi Testamenti libri ; idipsum prænuntiatum est Psalmo 3. vers. 6. his verbis : *Ego dormivi & soporatus sum : & exurrexi , quia Dominus suscepit me* . 55. vers. 13. *Eripuisti animam meam de morte , & pedes meos de lapsu* . 70. vers. 20. *Conversus vivificasti me : & de abyssis terræ iterum reduxisti me* . 87. vers. 5. *Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber*.

*Quinquagesimo-octavo* : Ascendit in cœlum ex Evangelistis; illud autem habetur Psalm. 23. v. 7. ubi ait David : *Attolite portas principes vestras , & elevamini portæ æternales : & introibit Rex gloriæ &c.* Psalm. 46. v. 6. *Ascendit Deus in jubilo , & Dominus in voce tubæ* . 67. v. 5. *Iter facite ei qui ascendit super occasum : Dominus nomen illi* . Rursus Isaiæ 52. v. 13. *Exaltabitur & elevabitur : & sublimis erit valde* . Et iterum Zachar. 14. v. 4. habetur : *Stabunt pedes ejus in die illa super montem olivarum , qui est contra Jerusalem ad Orientem* .

*Quinquagesimo-nono* : Sedet ad dexteram Dei : ita Evangelistæ & toti fere libri novi Testamenti ; illud non obscure prænuntiatur Psalmo 109. v. 1. his verbis : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis*.

*Sexagesimo* : Mittit Spiritum sanctum ad discipulos , texte S. Luca Act. 2. v. 4. ubi ait de Apostolis : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto , & cœperunt loqui variis linguis , prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*. Id prædixerat Isaias cap. 44. v. 3. *Effundam* , inquit Deus ore Prophetæ , *spiritum meum super semen tuum* . 59. v. 19. & sequentibus : *Cum venerit quasi fluvius violentus , quem Spiritus Domini cogit ... hoc fœdus meum cum eis , dicit Dominus : Spiritus meus , qui est in te , & verba mea, quæ posui in ore tuo , non recedent de ore tuo , et de ore seminis tui ... amodo , et usque in sempiternum* . Ezechiel. cap. 36. v. 26. & 27. ait : *Dabo vobis cor novum , et spiritum novum ponam in medio vestri : et auferam cor lapideum de carne vestra , et dabo vobis cor carneum , et spiritum meum ponam in medio vestri &c.* Joelis 2. v. 28. & 29. expresse legitur : *Et erit post hæc : effundam spiritum meum super omnem carnem : & prophetabunt Filii vestri , et filiæ vestræ : senes vestri somnia somniabunt , et juvenes vestri visiones videbunt . Sed et super servos meos, et ancillas meas in diebus illis effundam spiritum meum &c.*

*Sexagesimo-primo* : Multa patiuntur discipuli , ut refertur Act. 8. v. 1. his verbis : *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat Jerosolymis etc.* Hoc prædicitur Psal. 33. v. 20. *Multæ tribulationes justorum , & de omnibus his liberabit eos Dominus* . 43. v. 11. & sequentibus : *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros : & qui oderunt nos diripiebant sibi . Dedisti nos tamquam oves escarum , et in gentibus dispersisti nos &c.* Et iterum Zachar. 13. v. 7. *dispergentur* , inquit , *oves , et convertam manum meam ad parvulos* .

*Sexagesimo-secundo* : Discipuli dicuntur cor unum & anima una : Act. 4. v. 32. his vocabulis : *Multitudinis autem credentium erat cor unum , et anima una* . Hæc prædixit Jeremias cap. 32. v. 39. *Et dabo* , inquit, *eis cor unum , et viam unam , ut timeant me &c.* Ezechiel 11. v. 19. ait : *Et dabo eis cor unum* . Sophonias 3. v. 9. sic loquitur : *Tunc reddam populis labium electum , ut invocent omnes in nomine Domini , et serviant ei humero uno*.

*Sexagesimo-tertio* : In toto Evangelio narratur vocatio gentium : id prædicitur Genes. 12. v. 1. & sequentibus : *Dixit autem Dominus ad Abram : Egredere de terra tua , et de cognatione tua . . . . et veni in terram quam monstravero tibi . Faciamque te in gentem magnam . . . . atque in te benedicentur universæ cognationes terræ* . Jeremiæ 3. v. 17. habetur : *In tempore illo . . . . congregabuntur ad Jerusalem omnes gentes in nomine Domini . . . . & non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi* . Osee 1. v. 10. legitur : *Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos : dicetur eis : Filii Dei viventis* . Ibid. cap. 2. v. 24. ait : *Dicam non populo meo* ;

meo : *Populus meus es tu* ; *& ipse dicet* : *Deus meus es tu*. Micheæ 4. v. 1. *In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium .... & fluent ad eum populi*. Sophoniæ 2. v. 11. *Adorabunt*, inquit, *eum .... omnes insulæ gentium*. Item & Aggæi 2. v. 7. *Et movebo omnes gentes* : *& veniet desideratus cunctis gentibus*. Rursus Zachar. 2. v. 11. *Applicabuntur gentes multa ad Dominum in die illa* : *& erunt mihi in populum*.

*Sexagesimo-quarto* : Idolorum superstitionem deletam referunt Actus Apostolorum cap. 19. v. 26. his verbis : *Videtis*, *& auditis*, *quia non solum Ephesi*, *sed pene totius Asiæ*, *Paulus hic suadens avertit multam turbam*, *dicens* : *Quoniam non sunt dii*, *qui manibus fiunt*. Id prædixit Isaias cap. 17. v. 7. & 8. *In die illa*, inquit, *inclinabitur homo ad factorem suum*, *& oculi ejus ad sanctum Israel respicient* : *& non inclinabitur ad altaria*, *quæ fecerunt manus ejus* : *& quæ operati sunt digiti ejus non respiciet*, *lucos & delubra*. Item cap. 31. v. 7. ait : *In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui*, *& idola auri sui*, *quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum*. Osee 2. v. 16. & 17. *Et erit in die illa*, *ait Dominus* : *vocabit me* : *Vir meus* : *& non vocabit me ultra*, *Baali*. *Et auferam nomina Baalim de ore ejus*, *& non recordabitur ultra nominis eorum*. Ibidem cap. 14. v. 9. exclamat : *Ephraim quid mihi ultra idola ?* Michææ 5. v. 12. & 13. *Perire faciam sculptilia tua*, *& statuas tuas de medio tui* : *& non adorabis ultra opera manuum tuarum*. *Et evellam lucos tuos de medio tui*. Idem habetur Sophoniæ 1. v. 4. & 5. & Zachar. 13. v. 2.

*Sexagesimo-quinto* : Judæorum pertinacia passim refertur in novo Testamento; maxime vero Act. 7. v. 51. his verbis a S. Stephano prolatis contra eosdem : *Dura cervice*, *& incircumcisis cordibus*, *& auribus*, *vos semper Spiritui sancto resistitis*, *sicut Patres vestri*, *ita et vos etc.* Hæc prædixit Moyses Deuteron. 32. v. 20. *Generatio enim perversa est*, *& infideles filii*. Hæc & David Psalmo 17. v. 44. ubi ait : *Eripies me de contradictionibus populi* : *constitues me in caput Gentium*. Isaias 6. v. 9. & 10. *Vade*, *& dices populo huic* : *Audite audientes*, *& nolite intelligere* : *& videte visionem*, *& nolite cognoscere* : *excæca cor populi hujus*, *& aures ejus aggrava* : *& oculos ejus claude* : *ne forte videat oculis suis*, *& auribus suis audiat*, *& corde suo intelligat*, *& convertatur*, *& sanem eum*. Jeremias 5. v. 21. sic loquitur : *Audi popule stulte*, *qui non habes cor* : *qui habentes oculos non videtis*, *& aures*, *& non auditis*. Idem colligitur Ezechielis 12. v. 2.

*Sexagesimo-sexto* : Judæorum rejectio, & sacrificiorum abolitio innuitur passim in novo Testamento. Primum quidem Matt. 21. v. 43. *Auferetur a vobis regnum Dei*, *& dabitur genti facienti fructus ejus*. Apostolus Rom. 11. v. 20. ait de Judæis : *Propter incredulitatem fracti sunt*. Secundum vero habetur Hebr. 10. v. 5. & sequentibus : *Hostiam & oblationem noluisti* : *corpus autem aptasti mihi* : *holocautomata pro peccato non tibi placuerunt*. *Tunc dixi* : *Ecce venio &c.* Dispersio & vastatio illius perfidæ gentis prædicta est Deuteron. 28. v. 25. & sequentibus, ubi Moyses sic loquitur de populo isto infideli : *Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos*, *per unam viam egrediaris contra eos*, *& per septem fugias*, *& dispergaris per omnia regna terræ .... Percutiat te Dominus amentia & cæcitate &c.* Item & sacrificiorum rejectio prælusa habetur 1. Reg. 15. v. 22. his verbis : *Numquid vult Dominus holocausta & victimas*, *& non potius ut obediatur voci Domini &c.* Jeremiæ 15. v. 1. & sequentibus legitur : *Si steterit Moyses & Samuel coram me*, *non est anima mea ad populum istum* : *Ejice illos a facie mea &c.* Daniel 9. v. 26. & 27. *Et post Hebdomades sexaginta duas*, inquit, *occidetur Christus* : *& non erit ejus populus*, *qui eum negaturus est*, *& civitatem*, *& sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo .... et in dimidio hebdomadis deficiet hostitia et sacrificium etc.* Expressius tandem Malach. 1. v. 10. & 11. ait : *Non est mihi voluntas in vobis*, *dicit Dominus exercituum* : *et munus non suscipiam de manu vestra*. *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus* : *et in omni loco sacrificatur*, *et offertur nomini meo oblatio munda*.

*Sexagesimo-septimo* : Jerosolimæ excidium prophetatur a S. Matthæo 23. v. 38.

his verbis: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Et 24. v. 2. expresse ait Christus: *Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur*. Illud adimpletum a Joseph narratur lib. 7. cap. 47. Svetonius in Tito cap. 5. Plinius in Vespasiano. Prædixit Isaias cap. 25. v. 2. *Posuisti*, inquit, *civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum ut non sit civitas, & in sempiternum non ædificetur*. Jeremias 19. v. 11. ubi ait: *Sic conteram populum istum, & civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari*. Osee 3. v. 4. *Dies multos sedebunt filii Israel, sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & sine Theraphim*. Idem habetur Zachar. 14. v. 1. & sequentibus.

*Sexagesimo-octavo*: Spes non esse restaurandi templum dicitur Matth. 23. v. 38. ubi sic habetur: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Quod adimpletum refert Marcellinus a Juliano cap. 23. idipsum prædixerat Isaias cap. 25. v. 2. *Posuisti .... urbem fortem in ruinam .... ut non sit civitas, & in sempiternum non ædificetur*. Daniel 9. v. 27. *Erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio*. Amos 5. v. 1. legitur: *Domus Israel cecidit, & non adjiciet ut resurgat*. Idem habet Jeremias cap. 19. v. 11.

*Sexagesimo-nono*: Christus veniet ad judicandum, Matth. 16. v. 27. his vocabulis: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus*. Idem habetur multis in aliis novi Testamenti locis. Illud prædictum est Psalm. 95. v. 13. ubi sic loquitur Propheta Regius: *Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum a facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua*. Tum Isaiæ 66. v. 15. & 16. *Ecce Dominus*, inquit, *in igne veniet .... reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem*. Rursus Joelis 2. v. 1. & 2. *Venit dies Domini, quia prope est, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis*. Et iterum Sophoniæ 3. v. 8. legitur: *Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum ut congregem gentes, & colligam regna: & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei*. Expressius denique Joelis 3. v. 2. & 12. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo & hæreditate mea Israel .. .. consurgant & ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu*.

*Septuagesimo*: Promittit Christus Apostolis quod, quia relictis omnibus secuti sunt eum, sessuri sint ad judicandum: Matth. 19. v. 28. his verbis: *Amen dico vobis: quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*. Hoc prædicitur Sapientiæ cap. 3. v. 7. & 8. *Fulgebunt*, inquit Salomon, *justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis*.

## SYNOPSIS SECTIONIS.

*Novum Testamentum dotibus mirabile.*

PRIMO. Fugat umbras legis & veritatem exhibet in Christo præsentem & coruscantem.

*Secundo*: Gratiam omnibus signis & benedictionibus affluentem habet.

*Tertio*: Sic cum veteri consociatum affulget, ut omnes, ne una quidem excepta, Prophetia, non sine omnium miraculorum maximo, in Christo Jesu adimpletas demonstrat.

*De textibus, Versionibus, Polyglottis & Chronologia Scripturæ sacræ.*

PLURA hic examinanda occurrunt. Primo quidem textus Hebraicus. II. Versiones tum Septuaginta, tum aliæ Græcæ. III. Orientales. IV. Vulgata Latinorum interpretatio. V. Aliæ Latinæ: Polyglottæ; ac demum Chronologia, de qua non una est opinio. Unde fit

AR-

## ARTICULUS PRIMUS.

*De textu Hebraico.*

Certum est linguam omnium primam & cæterarum matrem, esse Hebraicam, quæ fuit & brevis, & simplex, eaque primis data parentibus: cum enim creati sint in provecta ætate, inconveniens fuisset, si non potuissent tunc ad invicem loqui. Fuit Hebræa communis usque ad ædificationem turris Babel; & vero dicitur in Scriptura quod populus ante istud tempus unius esset labii. An fuerint diversa idiomata in confusione linguarum, an diversæ tantum dialecticæ, idest, ejusdem linguæ diversi modi & diversæ expressiones, primum probabilius, quando quidem proximus suum non audiebat fratrem loquentem.

*Certum* est etiam linguam Hebræam semper dominam fuisse, ex qua cæteræ emanarunt, & fuisse linguam primorum Patriarcharum, quod manifeste colligitur ex ethimologia nominum, quæ vulgo in aliis non invenitur linguis. Sic Eva dicta est ex nomine Hebreo, *esschas*, quod significat virago, quia de viro sumpta erat: Idem dicendum de nominibus Abel, Cain, Jacob, urbium & fluminum: unde dicitur Gen. 2. *Omne enim quod advocavit Adam anima viventis, ipsum est nomen ejus*: quia nomina imposita exprimebant rerum naturas; quando igitur S. Augustinus lib. 16. de civ. Dei cap. ult. dicit linguam Hebręam solum post Noe tempus adinventam, vult tantummodo quod vocata sit Hebręa ad distinctionem aliarum.

*Certum* est denique Moysen sicut & Prophetas scripsisse Hebraice, unde multum allucinantur, qui credunt primam linguam, primumque Scripturę idioma fuisse Chaldaicum; sunt enim sententiæ Hebraicæ in toto Chaldæo sparsæ: & certe Lex & Prophetæ Caldaice scripta fuissent, si illorum sententia esset vera.

*Quidam* contendunt Libros sacros penitus amissos in captivitate Babylonica, & ab Esdra, Deo revelante, restitutos; sed hoc repugnat libris Machabæorum, ubi habetur Esdram, & Nehemiam collegisse ex omni parte Libros sacros, tum ad Bibliothecam exornandam, tum ad Judæorum utilitatem, juxta illud 2. Matth. 2. *Habemus solatio sanctos Libros*; Deinde supposito quod omnes scripti fuissent Chaldaice, vel saltem partim Chaldaice, partim etiam Hebraice, constat tamen Libros legis & Prophetarum, ne uno quidem excepto, scriptos fuisse Hebraice, ut patet ex antiquis codicibus & versionibus. Quoniam vero textus fuit multiplex, alter scilicet originalis & purus; alter a Masoretis ordinatus, & unus Samaritanus, de singulis agendum incumbit: unde sit

### SECTIO PRIMA.

An textus originalis ad Christum usque illæsus & incorruptus permanserit & pervenerit?

### CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multipliciter.

*Primo, ex Scriptura sacra.*

Ille Textus ab omni labe purus ad Christum usque & Apostolos pervenit, quem uti talem Christus ipse laudat, & ex quo Apostoli multas excerperunt ad probandam Verbi incarnati divinitatem sententias: Atqui & Christus, & Apostoli adversus Judæos fidei rebelles, sumpserunt testimonia ex veteris Testamenti Scripturis: Ergo &c. Probatur minor: Christus Luc. ult. suam probat discipulis Emmaus auctoritate Moysis & Scripturarum divinitatem & missionem, immo nec semel perstringit Pharisæos eodem prorsus argumento, quod certe nusquam fecisset, si veteris Testamenti Scripturas a Judæis defloratas fuisse putasset; sic enim nihil virium habuisset ejus argumentatio. Joan. 5. ait Pharisæis: *Scrutamini scripturas &c.* Rursus Matth. 25. *Super Cathedram Moysis*, inquit, *sederunt Scribæ & Pharisæi &c.* Atqui ait Origines lib. 2. in Isaiam, tum & Hieronymus in cap. 6. Isaiæ: Si Judæi defloratassent Scripturas, frustra ad eas remitteret Christus, ut suam

suam probaret, tum a Patre missionem, tum cum eodem Patre consubstantialitatem: Ergo &c.

*Mitto* alia loca & Actuum, & Epistolarum, in quibus sanctus Lucas, & beatus Paulus aliique novi Testamenti Scriptores ad veritatem confirmandam multa veteris Scripturæ laudant testimonia. Ergo &c.

*Secundo, ex sanctis Doctoribus.*

PATRES Græci uno veluti calamo scribunt Scripturas sacras veteris Testamenti ad Christum usque & Apostolos intactas & illæsas pervenisse. Subscribunt Patres Latini; in primis Hieronymus, qui passim asserit mendas, aut ex ignorantia, aut ex incuria Librariorum divinis sparsas in Scripturis corrigendas esse per textum Hebraicum, tamquam per primigenium totius Scripturæ fontem; sic loquitur in cap. 6. Isaiæ: ,, Quod si quis ,, dixerit Hebræos libros postea a Judæis ,, fuisse falsatos, audiat Originem, quid ,, in octavo volumine explanationum Isaiæ ,, huic respondeat quæstiunculæ, quod ,, numquam Dominus & Apostoli, qui ,, cætera crimina arguunt in Scribis & ,, Pharisæis, de hoc crimine, quod erat ,, maximum, reticuissent. Si autem dixe- ,, rint, post adventum Domini Salvato- ,, ris, & prædicationem Apostolorum, li- ,, bros Hebræos fuisse falsatos, Cachinnum ,, tenere non potero, ut Salvator & E- ,, vangelistæ, & Apostoli testimonia pro- ,, tulerint, ut Judæi postea falsaturi erant. ,, Ergo &c.

*Hoc* ipsum annuntiatur, & habetur in Jure canonico cap. *veterum*. Dist. 9. & cap. *jejunium*. Dist. 26. tum cap. *de quibus causis* dist. 20. sed si fuisset corruptus textus Hebraicus alii textus non essent corrigendi per illum: Ergo &c.

*Eidem* suffragantur veritati Philo eruditissimus Judæus, qui in libro de egressu filiorum Israel ex Ægypto, & citatur ab Eusebio lib. 8. cap. 2. ait, tantam Judæos habuisse pro Scripturis venerationem, ut mori potius elegissent quam aliquid eis vel addere, vel ex eisdem detrahere. Unde S. Aug. lib. 15. de civit. Dei cap. 13. dicit, nec fecisse, nec potuisse facere, quia exemplaria præ manibus omnium erant, & tunc reclamassent aliqui. Justinus orat. exhort. & Aug. lib. 18. de civ. Dei cap. 46. asserunt providentia Dei contigisse ut Libri sacri ubique spargerentur, eo potissimum scopo, ut Pagani viderent Christianos testimonium suæ religionis præ oculis habere, & hoc ab ipsis Judæis eorum inimicis, adeoque falsa non publicare de Religione: Sed hoc propugnare non potuissent, si Scripturas tantummodo defloratas habuissent Christiani; Ergo etc. Ecce verba S. Præsulis lib. 15. de civ. cap. 13. ,, Ubi ,, si quæram, quid sit credibilius, Judæo- ,, rum gentem lateque diffusam, in hoc ,, conscribendum mendacium uno consilio ,, conspirare potuisse; et dum aliis invi- ,, dent auctoritatem, sibi abstulisse veri- ,, tatem: an Septuaginta homines, qui et- ,, iam ipsi Judei erant, in uno loco posi- ,, tos .... ipsam veritatem gentibus alie- ,, nigenis invidisse .... Sed absit ut pru- ,, dens quisquam, vel Judęos cujuslibet ,, perversitatis atque malitię tantum po- ,, tuisse credat in codicibus tam multis, ,, et tam longe lateque dispersis: vel Se- ,, ptuaginta illos memorabiles viros hoc de ,, invidenda Gentibus veritate unum com- ,, municasse consilium. ,,

*Tertio, ex ratione multiplici.*

PRIMA: sic se habet: Christus Dominus et eius Discipuli adversus Judęos obstrepentes usi sunt Scripturis veteris Testamenti: Sed si istę Scripturę jam jam a Judęis fuissent deflaratę, nihil contra eos concludere potuissent; maxime vero cum iterum atque iterum absque negotio easdem, aut in pravum sensum repetitis deflorationibus ipsi Judæi detorquere potuissent, ita ut nihil certi in textibus Sacris compertum fuisset: Ergo etc.

*Secunda*: Si Judęi sacras corrupissent Scripturas, id maxime in locis sibi adversis fecissent: Atqui non fecerunt; immo multa in Hebręo sunt fortiora et efficaciora contra ipsos, quam in Vulgata: Ergo etc. Probatur minor: primo, non adulteraverunt prophetiam Jacob et Danielis, tametsi prior indigitet Messię adventum, posterior vero ejusdem Christi adventum et Regni Judaici manifestum excidium. Secundo in Psal. 2. Gręci et Latini legunt: *Apprehendite*

*disci-*

*disciplinam, ne irascatur Dominus*. In Hebræo habetur: *Nasre Chubar, quod interpretatur, osculamini filium, ne irascatur*: id est, *exhibite pro filio Dei, ne ipse irascatur*. Qui quidem locus probat contra Judæos Christi divinitatem. Tertio Isaiæ 53. legitur: *Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum*. In Hebræo habetur: *Munch Eloim, Vmunch*, id est, *percussum Deum, & humiliatum*. Ergo &c.

*Tertia*: Ipse Joannes qui elapsis a morte Christi 50. annis scripsit Evangelium & Epistolas, multa Scripturarum veteris Testamenti loca in testimonium veritatis Messiæ adducit: Igitur ne quidem hoc tempore, & statim post Christi in cœlos Ascensionem, Judæi sacras defloraverunt Scripturas; ex quo manifeste sequitur easdem ab omni labe puras ad Christum usque & Apostolos pervenisse.

*Quarta*: Si quæ a Judæis contigisset in Libris V. T. defloratio, dubio-procul vel ante, vel post Christi adventum id fecissent: Atqui neutro tempore id actum est: Et probatur. Non quidem ante Christum natum, cum de hoc in suspicionem non venerint, & Herode sciscitante ubi Christus nasceretur, juxta Scripturas responderint, in Bethlehem Judæ. Sed neque post, nam bene multi Judæi, tunc ad fidem conversi linguam hebræam optime callentes, fontes Hebraicos sæpius adibant; hinc fraudem retegere & redarguere potuissent, non secus ac primorum sæculorum Patres, qui nudatam defloratorum conscientiam sic habuissent, & Judæos quantumvis malos habuissent confitentes reos: quod tamen non evenisse constat.

*Quinta*: Judæi religioni suæ sic erant ex zelo quasi innato addicti, & litteræ per omnia sic inserviebant, ut ne unum quidem Jota Libris sacris, aut addi, aut ab eisdem subtrahi passi fuissent. Hoc ipsum non semel testatur Josephus: hoc subindigitat *Masora*, quam Herculeo & indefesso labore Rabbini Tyberiadis in lege doctissimi adornarunt, ut certam & ab omni labe puram, Scripturæ sacræ lectionem custodirent: Hoc etiam colligitur ex libro *Sopherim*, seu Scribarum, in quo quidem Judæi ea usque ad superstitionem diligentia agunt de litteris majusculis, minusculis, suspensis, intortis, de dictionibus, quæ superpunctuari, quæ scribi, et non legi, quæ non scribi, & legi, quæ aliter legi, aliter scribi debent, & de aliis non absimiliter ad sacrorum Librorum omnibus numeris absolutam exarrationem, ne quid vel levissimi erroris in eos obrepat: Igitur Libros sacros post Christi tempora Judæi non deflorarunt.

## FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Justinus dialog. cum Triph. Eusebius lib. 4. cap. 18. Origines hom. 12. in Jeremiam, Chrysostomus hom. 5. in Matth. Hieronymus epist. ad August. tum in cap. 5. Michææ & in cap. 3. ad Galatas suspicantur Judęos quędam e sacris codicibus in odium Christianę Religionis, aut abstulisse, aut abrasisse: Igitur adsunt in Scripturis sacris mutationes & deflorationes.

*Respondeo* I. distinguendo consequens: Sunt mutationes leviores, concedo: essentiales, nego. Non mirum cuiquam videri debet, si aliquę irrepserint mendę in textus sacros: cum enim impressio nondum esset in usu, et supra modum multiplicata essent exemplaria, partim ex incuria, partim etiam ex inadvertentia, quędam vocabula vel adulterino modo scripta, vel etiam penitus omissa fuerunt: Sed ex antecedentibus et consequentibus, sicut et ex sententiarum coherentia, sensus genuinus absque negotio restauratus est et restitutus.

*Respondeo* II. aliter distinguendo. IV. et V. seculo Scripturę defloratę sunt ab hæreticis in odium Ecclesiæ Romanæ, et ut sibi indulgerent, concedo: eadem prorsus ratione Protestantes quosdam Scripturæ libros sibi adversantes rejiciunt: Defloratæ sunt tempore Christi & Apostolorum, nego. Esto igitur quod hæretici, immo forsitan, vel ipsi Judęi 2. 3. 4. aut alio subsequente sæculo aliquid ex divinis Scripturis detraxerint, vel immutaverint, parum refert ad Religionem, cum Ecclesia a Christo servet immaculatum Scripturæ depositum; maxime textum Hebraicum veteris Testamenti, ad quem ut exemplaria deflorata corrigat, facilem habet recursum.

*Jam* respondeo in particulari ad singula, & propugno Eusebium nusquam dixisse textum hebraicum fuisse defloratum, bene vero Græcum LXX. Interpretum juxta ista verba Justini: " Quod illi, *scilicet Judæi*, „ multa & integra loca illarum ex trans„ latione eorum qui cum Ptolomæo fue„ re Seniorum sustulerint, in quibus „ clare hunc ipsum crucifixum, Deum „ & hominem esse eum quod in cruce „ pendere & mori pronuntiatum esse „ ostenditur, scire vos volo. " Nusquam autem alibi scribit Justinus de textus sacri adulteratione; Eusebius vero vult solum probare Thriphoni Judæos majores, quædam capitula abstulisse, quod non aliter intelligendum venit, quam de Græco, ut explicat Justinus.

*Ad* Originem facilis est utique responsio; nam eo loci loquitur solummodo de correctione textus LXX. Interpretum; dicit enim a Judæis sublatam fuisse in versione LXX. vocem, *Juda*, quæ habetur Jeremiæ 17. v. 1. *Peccatum Juda scriptum est stilo ferreo*; posuerunt, inquit Origenes, Septuag. *Peccatum eorum scriptum est stilo ferreo*. Sic enim loquitur Origenes: „ Deinde alia sequitur Prophetia, quam „ nescio quare apud LXX. non invenien„ tes, in ceteris editionibus, quæ cum „ Hebræo sermone consentiunt, reperi„ mus ....... Judæi qui exemplaria non„ nulla falsarunt, etiam in hoc loco pro „ peccato Judæo, peccatum eorum po„ suerunt. „

*Ad* Chrysostomum, distinguo: S. Doctorem loqui de interpretibus Judæis, id est, de Aquila, Symmacho, & Theodotione Apostatis, qui hebræum textum reddendo Græce, multa in odium Christi immiscere non erubuerunt; unde sequitur textum Septuag. fuisse defloratum, & hoc aliquibus post Christum natum sæculis.

*De* iisdem loquitur Hieronymus epist. ad S. August. quæ est 7. inter Epistolas suas, ubi dicit se voluisse ex hebræo vertere divinos Libros latine, ut restitueret quæ, vel Judæi omiserant, vel corruperant in textu Græco; & de facto ad hebræum ut ad primum fontem ab omni labe purum recurrerunt semper Patres ad purgandam a mendis sacram Scripturam. Iterum S. Hieronymus in commentariis laudatis loquitur dubitanter, sed in commentariis Isaiæ, quæ posterius & senior scripsit, ut patet ex præfatione,& ex libro de viris illustribus, aperte eos irridet, qui putant Hebræos codices fuisse falsatos.

*Instabis*: Atqui textus hebraicus etiam in rebus magni momenti fuit corruptus: Ergo &c. Probatur subsumptum. In hebræo deest totum illud Exod. 2. *Alium quoque genuit, & vocavit nomen ejus Eliezer, dicens: Deus Patris mei auxiliatus est mihi & liberavit me de manu Pharaonis*. Sed hoc non deest in Septuag. nec in translatione Hieronymi: Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum: Ad probationem distinguo: Versiculus Exod. 2. deest in exemplaribus a V. aut VI. sæculo, concedo: In antiquioribus, nego. Et vero cum Ecclesia traditione hoc habuerit, ideo posuit in Vulgata: si enim Septuag. qui erant Hebræi, sententiam posuerunt, citra dubium eamdem in textu hebraico primigenio repererunt, quippe qui Scripturam qualis extabat in hebræo græce reddiderint: quocirca, aut ab hæreticis, aut a Judæis sublatum fuisse versiculum asserendum est.

*Urgebis*: Non in uno Exodi libro desunt sententiæ Scripturæ essentiales: Ergo &c. Probatur Antecedens: In Psal. 13. sequentes versiculi desiderantur in omnibus Codicibus hebræis, scilice 1. *Sepulcrum patens est guttur eorum*. 2. *Linguis suis dolose agebant*. 3. *Venenum aspidum sub labiis eorum*. 4. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est*. 5. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*. 6. & 7. *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt*. 8. *Non est timor Dei ante oculos eorum*. Sed tamen isti citantur ab Apostolo Rom. 3. & habentur apud Septuag. sed hoc non potuit ex mera Scriptorum negligentia contingere: Igitur ex malitia Judæorum, qui textum hebraicum tentare ausi sunt.

*Respondeo* negando Antecedens. Ad probationem distinguo: Et versiculi laudati non pertinent ad Psalmum pro objectione adductum, concedo: & pertinent, nego. Solutio est divi Hieronymi in præfatione libri Isaiæ: subditque Apostolum versiculos ex diversis Scripturis collegisse. Revera quidem, primus & secundus inveniuntur in Psal. 5. Tertius, in Psalmo 159. Quartus, in Psalmo 9. Quintus, sextus, & septimus in cap. 59. Isaiæ. Octavus, in

in Pſalmo 35. ſubjungit Hieronymus eos non reperiri in Septuag. & nullum Auctorem græcum illos in ſuis commentariis expoſuiſſe aſſerit.

*Idem* prorſus reſpondet Origines in commentariis in cap. 2. Epiſtolæ ad Rom. aitque Apoſtolum illos verſus ex diverſis Scripturis ſumpſiſſe, qua ſententia innuit non reperiri in textu hebræo & græco: Supereſt igitur appoſitos fuiſſe in uno Pſalmo ab aliquo Scripturæ ſacræ expoſitore.

*Quidam* tamen contendunt in quodam vetuſtiſſimo Codice hebræo verſiculos inveniri, attamen hoc veriſimile non apparet; verba quippe nec ſunt abſolute Hebraica, ut illud vocabulum *Maſal*, id eſt ſors: nec etiam phraſes, ut in iſto verſu, *Aſchier*, *pichem*, *alla*, *humaruch*, *Malla*, id eſt, quorum os dolus, & amaritudo implevit; Hebræi enim nuſquam ponunt verbum in fine.

*Inſiſtes*: Si verſiculi ſunt additi, & in uno pſalmo complexi, cum tamen non ſint de illo Pſalmo; Eccleſia eos in Vulgata veluti ad unum pertinentes Pſalmum tolerare non debuit: Atqui tamen eos habet veluti unius Pſalmi partes, & hoc contra textum hebraicum: Igitur propter contradictionem uti ſacri non recipiendi ſunt.

*Reſpondeo* diſtinguendo: Eccleſia verſiculos veluti unius Pſalmi partes œconomiæ cauſa in Vulgata tolerat, concedo: ſecus, nego. Igitur cum verſiculi ſecluſo populi ſcandalo, ab illo detrahi Pſalmo non poſſint, ideo Eccleſia eos in uno relinquit, nec in hoc fidelium perturbat fidem, quandoquidem verſiculi ad ſacram ſpectant Scripturam.

*Repones*: Quædam alia manifeſte contradictoria in Hebraico comperiuntur textu, namque allo modo in Vulgata referuntur: Ergo &c. Probatur antecedens, & quidem multipliciter. In Pſalmo 21. Vulgata legit: *Foderunt manus meas & pedes meos*; Hebræorum vero, *ut leo manus meas & pedes meos*. II. Iſa. 9. habet Vulgata: *Et vocabitur admirabilis, Deus, fortis*. Hebræum vero: *Vocabit eum Dominus, admirabilis, Deus*. Quæ quidem verba divinitatem Chriſti initiari videntur; ſignificant enim Meſſiam vocari admirabilem futuri ſæculi patrem, ſed non Deum. III. Jeremiæ 23. hæc ſunt Vulgatæ verba: *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter*. Hebræi vero: *Et hoc eſt nomen quod vocabit eum Dominus juſtitia noſtra*. Hæ voces eatenus videnter favere Calviniſtis, quatenus anſam præbent ut homines dicantur juſti, gratia Chriſti ipſis imputata: Ergo &c.

*Reſpondeo* negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo: Et hæc omnia recte conciliantur per antecedentia & conſequentia, concedo: ſecus, nego. Cæterum non niſi mutationes leviores in textu etiam Hebraico reperiri indicant; & hoc unum intelligunt Patres, cum mendæ in Hebræo deprehendi propugnant.

*Ad* primum exemplum, diſtinguo: Et phraſis Hebraica efficacius exprimit Chriſti dolorem & paſſionem, quam Vulgata, concedo: & eſt mutatio eſſentialis, nego. Quælibet lingua diverſos habet ſe ſe explicandi modos, quocirca non mirum ſi eadem ſententia modo uno, modo alio exprimatur vocabulo. Expreſſio autem hebraica, hæc eſt: *Tortores veluti leones ſæviiſſe in Chriſtum*; quæ expreſſio militum crudelitatem & ſævitiam prorſus delineat.

*Ad* ſecundum: Dicimus textum laudatum nihil de Divinitate Chriſti detrahere, cum Meſſias in eodem capite, & magni conſilii Angelus, & Patris Conſiliarius vocetur, quæ quidem dotes, non niſi filio Dei poſſunt convenire; nulla quippe creatura dici poteſt magni conſilii Angelus, juxta illud beati Pauli: *Quis conſiliarius ejus fuit*? Rom. 11.

*Ad* tertium, diſtinguo: Ex ſententia in objectione adducta ſequitur Deum eſſe juſtitiam noſtram efficienter, concedo: formaliter & per meram imputationem, ut effutiunt Calviniſtæ, nego. Solutio eſt Concilii Tridentini dicentis Deum eſſe cauſam juſtificationis noſtræ efficientem, homines vero eſſe juſtos non juſtitia qua Deus ipſe juſtus eſt, alias homo juſtus eſſet ipſe Deus, neque juſtitia imputativa, ſed juſtitia qua Dei ſanctitatem participamus, ut ex profeſſo demonſtravimus, diſſ. 6. de Juſtificatione.

*Perſiſtes*: In textu hebraico quædam falſa deprehenduntur: Igitur non pervenit ad Chriſtum uſque & Apoſtolos ab omni labe immunis. Probatur antecedens: Geneſ. 6. habetur in hebræo: *Cervus*

*egrediebatur, & revertebatur.* Vulgata vero posuit, *& non revertebatur.* Concinunt Septuag. igitur inest falsitas, aut saltem contradictio in textu hebraico.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem, distinguo: In Hebræo de corvo legitur, *& revertebatur*, id est, versus arcam volitabat, concedo: & textus dicit illum redeundo intrasse in arcam, nego. Corvus quidem revertebatur circuiendo arcam, & versus eam volitando: hoc unum exprimit textus hebraicus; non habetur, *Variete sacso vascub*; hoc est, & exiit exeundo, & redeundo donec siccarentur aquæ, quod certe non explicat corvum intrasse in arcam; hoc autem Vulgata non dicit: Igitur uterque textus recte conciliari potest, & simul concordat.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Textus originalis intactus ad Christum usque & Apostolos perveni*.

PRIMO: Hoc apette insinuat vel ipse Christus, qui Joan. 5. remittit Judæos ad Scripturas, ut suam ipsis hac auctoritate probaret & divinitatem & missionem.

*Secundo*: Sic docent Patres: inprimis S. Hieronymus in cap. 6. Isa. Augustinus lib. 15. de civit. cap. 13.

*Tertio*: Ratio suffragatur: Judæi enim nec ante, nec post Christum natum potuerunt tentare Scripturas: non quidem ante, cum enim per orbem terrarum foret disseminata exemplaria, Judæi de falsationis horrendo crimine, Fideles illos accusassent: neque etiam post, saltem versus Apostolorum tempora, quandoquidem eorum discipuli, & Patres Judæos magni sceleris insimulassent, quod omnium gentium in eosdem odium exacuisset.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO quidam Auctores, immo & Patres mendas in textum originalem irrepsisse scribunt; sed intellige leviores, nusquam vero essentiales.

*Secundo*: Ultra fatendum est decursu seculorum hæreticos deflorasse Scripturas, sed Ecclesia primigenium fontem quo integritas ablata defloratis libris restitueretur, incontaminatum semper servavit.

*Tertio*: Non negamus utique aliquo in Psalmo 13. adinveniri versiculos, qui non sunt hujus Psalmi; quia vero sunt ex aliis Scripturis Canonicis excerptis, Ecclesia œconomiæ causa, ne fidelium fides turbaretur, in hoc Psalmo concludi passa est.

## SECTIO SECUNDA.

*De textu Hebraico Masoretarum.*

RESTITUTO per Esdram Hebraico textu, qui ob temporum acerbitatem ex parte exciderat, postea diversæ fuerunt lectiones, hinc & mutationes, & variationes tum ob litterarum similitudinem, tum ob diversas diversarum linguarum interpretationes: cum enim Hebræi suam obliti fuissent in captivitate linguam, necesse fuit ut lingua Chaldaica textus Hebraicus illis explicaretur; unde dum legebatur unus versus populo, Esdras illum interpretabatur Chaldaice; hinc ex hoc tempore Hebræum voces & sententias Chaldaicas retinuit, & ex Hebræo & Chaldaico simul conflatus est textus, qui dictus est Chaldaicus.

*Chaldaica* igitur lingua, inquit Bellarminus, editi sunt libri Tobiæ & Judith, & ex parte libri Esdræ & Danielis, reliqua vero Scriptura traslata est paraphrastice ex Hebræo in Chaldæum, & illa paraphrasis vocatur *Targum*. Porro istæ paraphrases Chaldaicæ magni sunt apud Judæos ponderis, nobisque inserviunt ad eos tum perstringendos, tum etiam convincendos; non tamen sunt regulæ fidei infallibiles, quandoquidem multæ fabulæ, multique nævi de lamentatione Dei, de ascensione Moysis in cœlum, de tabulis Legis ex sapphiro in eis immiscentur. Sic sunt paraphrases Jonathæ, & Joseph: Aquila cui chaldaica tribuitur, ipsa dicitur Onchelos: non fabulatur quidem in sua, sed nævos in ea spargit.

*Syriaca* lingua ortum habet ex Hebraica & Chaldaica; cum enim Iudæi post captivitatem Babylonicam, illam non bene pronuntiarent, quippe qui aliquid ex Hebraica semper retinerent, orta est ex utraque mixta, quæque fuit postea

stea apud Judæos vulgaris, & dicta est Syriaca, seu Jerosolymitana, a principali scilicet urbe eorum, qui hanc habitabant regionem; sicut altera dicebatur chaldaica, seu babylonica ab urbe capitali Chaldæorum, apud quos captivi manserant, seu etiam manebant: Igitur ante captivitatem, Judæi loquebantur Hebraice, in captivitate Chaldaice; illa vero absoluta, Syriace, ea potissimum ratione quod Hebræa lingua Chaldaicæ præcelleret & dominaretur: istæ duæ linguæ Chaldaica scilicet & Syriaca distinguuntur characteribus, Verborum conjugationibus, affixis, punctorum notatione, sono vocalium, hidiotismis, ac tota fere linguæ structura, & multis etiam propriis dictionibus.

*Certum* est libros veteris Testamenti non fuisse scriptos Syriace, nisi ad summum librum primum Machabæorum, & Ecclesiasticum. Hieronymus in prologo Galeato testatur se vidisse primum hebraice exaratum. Idem dicit de altero in prologo Proverbiorum.

*Probabile* est Evangelium Matthæi hebraice scriptum fuisse; idem dicendum de epistola ad Hebræos, id est, hebræo-syriace, quod erat tunc lingua usualis Jerosolymæ: hoc ipsum indicat illud Joan. 19. *Exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraice autem Golgotha:* cæteri novi Testamenti libri græce scripti habentur; & ex greco in Syriacum translati: quidam putant hoc factum fuisse a sancto Marco: sed Patres, ut Origenes, Clemens Alexand. Athanasius, Eusebius, & alii Episcopi qui vel in Ægypto, vel in Syria commorabantur, de hoc silent; unde opus eorum ætate posterius creditur, adeoque non tantæ auctoritatis ac editio græca & latina.

*In* editionis Syriacæ titulis, & sectionibus & capitibus, fit mentio jejuniorum, venerationis sanctæ Crucis, precum pro defunctis, vigiliarum, & memoriæ Sanctorum, aliarumque ejusmodi rerum; ex quo manifeste sequitur istud Evangelium a sancto Marco non prodiisse.

*Masora* est vox hebræa, id est, traditio: definitur doctrina critica circa veram lectionem & scriptionem vocabulorum quoad litteras, vocales, & accentus. In quatuor maxime versatur. I. In observandis litteris. II. Vocibus. III. Punctis, vocabulis & accentibus. IV. Versibus.

*Circa* litteras observant Doctores Tyberiadis: I. Numerum qui componit unum verbum. II. Situm, hoc est, quæ media sit littera cujuscumque verbi, & quę propriis locis litterę non collocentur. III. Quantitatem, hoc est, quę in textu majores, minoresve sint, suspensę, vel inversę, extraordinarie punctatę: ex his omnibus oritur & sensus, & Scripturę varietas.

*Quoad* voces plura notant, maxime veram scriptionem & lectionem, ad quid, & quomodo legendum, quando occurrit varietas; sępe enim accidit voces explicatas esse, & aliter legendas ac defacto legantur: vocem ergo, quę legenda est, ad marginem ascribunt, eamque designant natura quæ dicitur *cheri*.

*Circa* vocales & accentus, primi Masoretæ puncta excogitaverunt quæ litterarum loco haberentur; in Hebraicis litteris, vel nullæ sunt vocales, vel omnino ambiguæ apparent, cum plerumque pro consonantibus sumantur: hinc vocabulorum hebraicorum lectio admodum ambigua & difficilis est: ambigua quidem, cum quædam consonantes diversos sensus possint subire; difficilis vero, quia supplendæ sunt vocales. Ad voces ergo apte legendas opus erat longo usu; duo enim tantum suppetebant ad confirmandam lectionem vocabulorum, ornandamque propriam cujuscumque significationem. I. Attenta antecedentium & consequentium consideratio. II. Usus, isque solis Doctoribus cognitus. Ut primum enim lingua desiit esse vulgaris, neque ille usus ita erat certus in omnibus, ut semper tolleretur omnis dubitatio: in hoc maxime laborabant primi Masoretæ, ut punctis vocalium loco subjectis firmaretur vera lectio: ab iisdem excogitati sunt accentus ad distinguendam orationem.

*Circa* versus, distinguunt Masoretæ unumquemque librum in plures versiculos. II. Numerum versiculorum computant. III. Quis sit medius libri versus, indicant.

*Non* eadem olim, quæ nunc Masoræ

f r-

forma, fuit: veteres Masoretæ suas scribebant observationes in foliis separatis, nunc præcipue notantur in margine; cæteræ rejiciuntur ad calcem. Scopus Masoretarum fuit determinare, & verba, & sensum, ut nullus in posterum sacras Scripturas posset corrumpere; cum omnia notata sint, numerus scilicet syllabarum in vocibus, numerus verborum in versibus, numerus versuum in pagina: nullus negat puncta adjecta Hebræo esse maxime utilia; sunt tamen extrinseca & sine eis absolute, licet difficiliter, potest haberi sensus. Finis tamen a Masoretis intentus nec tenuit, nec perseveravit; variæ enim mutationes & deflorationes ab his temporibus in Scripturis deprehensæ sunt: & hoc ex multitudine magna punctorum, & accentuum, qui facile vel omitti, vel augeri, vel etiam transponi possunt, quod statim & ex tempore, ut plurimum diversum reddit sensum.

*Quidam*, sed absque fundamento, Masoram rejiciunt ad tempus Esdræ. Si ita esset, Masora foret Canonica, quod nullus umquam dixit: ipsius Auctores sunt Doctores Tyberiadis, ubi erat, teste Hieronymo, tum & Epiphanio, celebris Schola. Ævo S. Hieronymi nondum erant puncta inventa Hebræo adjecta, nullam quippe de his facit mentionem; quocirca multi autumant Masoram, non fuisse ante quintum, aut sextum sæculum. Porro licet puncta & accentus sint a Masoretis inventa, ante eos tamen sensus Scripturæ non erat vagus, quandoquidem Judæi in pronuntiatione addebant vocales ad sensum magis exprimendum: Scriptura legebatur publice in Synagogis, Doctores vero Legis illam interpretabantur, sicut nunc faciunt lectores in Ecclesia sancta Dei; hinc innumeri Scripturæ interpretes, hinc variæ ad nostra usque tempora Scripturæ explicationes.

*Duplex* erat Lex apud Judæos; una Scripta, & est textus Pentateuchi, altera Oralis, & est ejusdem explicatio quæ dicebatur *Cabala*. Ista est etiam multiplex; una nimirum quæ explicat puncta, vocales supplendas, accentus, syllabas, adjiciendas, hoc enim pertinebat ad Doctores: altera quæ explicat Mysteria, tum & res mysticas. Cabala definitur, Theologia symbolica in qua non modo litteras & nomina sunt rerum signa, sed etiam & explicationes earum naturæ. Tres præcipuæ distinguuntur cabalæ species. Prima, quæ in mystica Scripturarum interpretatione versatur, & hæc habet initium a Moyse, & ejus consilii Senioribus. Altera, quæ proprie dicitur Cabala: hæc in litteris, punctis & accentibus Scripturæ ludit, ut ejus ope varias mutationes, varios, superstitiososque sensus elicere quærant Judæi; & ista a Catholicis contemnitur. Tertia, magica & proscripta, quæ ex litteris Scripturæ sanctæ detortis, tum & ex scriniis quibusdam erutis, Rabbini portenta se edere commentantur.

*Judæi* Legem dividebant in Scriptam, quæ in quinque libris Moysis continebatur, & in Oralem, seu traditam, quam a Moyse accepisse propugnant. Traditiones Mosaicas asserunt conservatas fuisse partim a consistoriis urbium particularium, partim a supremo Hierosolymorum consistorio, cui summus Sacerdos præerat. Præcipuas collegit Rabbi agenda, & in uno volumine, quod inscribitur *Misna* Deus, id est, secunda lex. Quidam illud opus Christo antiquius esse autumant; quidam vero ad tempora Antonini Pii, rejiciunt. Morinus tribus primis sæculis recentius credit, cum e nostris nemo forte, illius meminerit.

*Quinque* traditionum genera distinguunt Judæi. Primum genus earum est, quas Moyses ex sacra Scriptura collegit. Secundum, earum quæ continent constitutiones Moysis, datas ipsi in Monte Sinai. Tertium, earum quas ex Scriptura nonnihil prodiisse seu excerptæ, suspicantur Rabbini, de quibus tamen nihil determinavit Moyses, sed reliquit Legis Doctoribus & Professoribus determinandum. In istis variæ possunt haberi opiniones. In quarto ordine ponuntur decreta facta a Sapientibus ad legis explicationem. In quinto denique consuetudines Sapientum & populi longo usu probatæ: ita refertur in Misna.

*Multa* paraphrases ad explicationem Scripturæ factæ sunt a Doctoribus, & textui originali adjunctæ sunt, ut ex eis & textu sacro unum veluti Scripturæ corpus coalesceret. Triplex distinguitur paraphrasis, una Uncheli, quæ omnium optima est:

Se-

Secunda, liberior & minus fide digna: Jonatham creditur ipſius auctor. Tertia, Hieroſolymitana, quæ in pleriſque mutila comperitur. De paraphraſi Jonatham multa fingunt Thalmudici, ſcilicet, quod terra commota ſit ad 4000. millia cum ſcriberet; quod muſcæ, quæ volitabant dum ſcribebat, igne de cœlis ſubito delapſo combuſtæ ſint. Mahometus ab eis diſcit fabulas in Alcorano ſuo componere & ſpargere.

*Multa* deinde commentaria in Miſna ſcripta reperiuntur, quæ apud Thalmudicos Judæos celeberrima habentur, quæque velut Miſnæ expoſitio & perfectio dicitur. Hæc explicatio vocatur a Judæis *Jemora*. *Miſna* eſt veluti textus, & quidem multum obſcurus. *Iemora* vero eſt explicatio Thalmud; utramque complectitur partem *Miſna*, ſcripta eſt hebraice, *Iemora* chaldaice; utraque ſic obſcura ut vix intelligi poſſit. *Iemora* ſeu Jemara eſt reſperſa fabulis, quæ non inveniuntur in *Miſna*.

*Duo* ſunt apud Judæos Thalmud. Primum, illudque fuſius dicitur Babylonicum, nec aliud intelligitur cum ſimpliciter Thalmud appellatur ſeu pronuntiatur: alterum Hieroſolymitanum, ſed certe priori obſcurius & minoris ponderis, cujus auctor Rabbi Joanna putatur. Quidam tertio, quidam vero quarto eum vixiſſe ſæculo tenent: ſed cum Mahumetani, qui ante ſextum ſæculum non prodierunt, in opere memorentur, ſequitur non eſſe tam antiquum: multo recentius etiam eſt Thalmud Babylonico, quod ab Aſa Ioanne abſolutum fuiſſe fertur. Eſt aliud apud Iudæos Thalmud, totum Cabaliſticum, quod inſcribitur *Soar*, de cujus ævo nihil conſtat.

## SECTIO TERTIA.

### *De textu Samaritano.*

MORTUO Salomone decem Tribus deficientes a Roboam, propter vectigalia ipſis ſupra modum impoſita, adhærere Jeroboam non dubitarunt: extincto deinde poſt annos 200. & amplius regno Iſrael, cujus urbs capitalis fuit Samaria, & tranſlatis a Salmanazar in Aſsyriam Iſraelitis, deductiſque eorum loco in Samariam, ex variis imperii Babylonici regionibus novis colonis, tunc primum origo Samaritanorum apparuit, qui a Iudæis vocabantur Scutæi, eo quod verſus Scutæum flumen commorarentur: ab aliis vero Samaritani ab urbe principali. Ab initio cultui prophano ſimulacrorum addicti erant, ſed factum eſt ut in vindictam graviſſimis & morbis & doloribus, & ſecundum multos a leonibus afflicti, a Salmanazar petierunt aliquos de captivitate Sacerdotes, qui eos ritus colendi verum Deum docerent. Eorum cedens petitioni Rex, ex Iſraelitis ad eos miſit Sacerdotes & Levitas, qui hanc adimplerent Provinciam. Tum maxime edocti ſunt de Lege Moſaica, hinc Pentateucum & retinere, & partim pro regula Religionis habere voluerunt. Liber ille ex quinque legalibus conflatus ex hoc tempore, textus Samaritanus dictus eſt, & quidem apud omnes magni ponderis, quippe qui ab initio, ſicut acceperant Samaritani, ad noſtrum uſque ætatem perſeveret.

*Iudæis* e captivitate Babylonica reverſis, templumque reſtaurantibus & urbem, reſtitere Samaritani: & ſic capitale odium quod erat hos inter & Judæos exarſit in dies, maximevero, cum ſe & a Judæis contemni, & eos Judæorum, qui Samaritanas mulieres duxerant, vexari, dignitatibuſque ſpoliari animadverterent. Revera quidem inter alios Manaſſes frater Jaddi Pontificis, quod contra legem duxiſſet filiam Sanaballeti genere Scutæi & Samaritanorum Præfecti, Sacerdotio exutus eſt. Hic ad Socerum confugere compulſus, annuente primum Dario, tum Alexandro templum in monte Garizim Jeroſolymitano non abſimile ædificavit, ſummique Sacerdotis Officio functus eſt. Tum multos, etiam e nobilioribus Judæis, qui eodem ſcelere tenebantur, in ſuas traxit partes, ſic deinceps, abjecto Idolorum cultu, ut credibile eſt, coaluit religio Samaritana Judaicæ affinis: has propter cauſas Judæi non coutebantur Samaritanis, ut refertur Joan. 4. eratque inter eos magnum ſchyſma.

*Elapſis* 200. annis a Joanne Hircano æquata eſt ſolo urbs Samariæ, templumque dirutum. Pompejus, capta, Jeroſolyma, Samaritanos ſui juris eſſe voluit. Tum Samariam Herodes Magnus ſibi a Cæſare-Auguſto datam reſtauravit, Sebaſtemque appellavit. Quamvis autem eadem in urbe ma-

magnificum extruxisset templum, Samaritani tamen Deum in monte Garizim veteri more coluerunt, ut Joan. cap. 4. refertur. Hæc de Samaritanorum origine & fortuna sufficiant. Jam de Codice agendum est, de quo quæritur. I. An veteres characteres Hebræos retineat Samaritanus codex? II. An ille codex legis, sit antiquior codice Esdrino? III. An vetus quo utebantur Samaritani, idem sit ac ille qui a Patre Morino editus est? IV. Denique quæ sit eius auctoritas?

*Respondeo* ad primum quæsitum: Samaritanos retinuisse veteres characteres Hebræos; ita Eusebius ad annum mundi 4740. ubi scribit litteras veteres mutatas fuisse ab Esdra, ne quid commune haberent Judæi cum Samaritanis. Ita etiam Hieronymus præf. in Regum, & in cap. 5. Ezech. Argumentum ducitur ex veteribus Hebræorum nummis, qui Samaritanam inscriptionem habent. Ratio est, quia Samaritani edocti fuerunt a principio de legitimis Dei a Sacerdote Israelitico: Igitur quando Salmanazar decem Tribus duxit captivas, Israelitæ Hebraice loquebantur.

*Respondeo* ad secundum quæsitum: Codicem Samaritanum esse Esdrino antiquiorem; tum quia Esdras eo solum fine immutavit characteres Hebræos, ut Judæi nihil commune haberent cum Samaritanis: supponebat igitur istos habere Pentateucum hebraice dumtaxat scriptum: tum quia captivitas decem Tribuum anterior est captivitate Babylonica, qua solum expleta scripsit Esdras: anno autem circiter primo captivitatis Niniven, Samaritani habuerunt Codicem legis propter rationem de leonibus datam: & sic patet quanta sit ridicula sententia Simonis quondam Oratoriæ congregationis apud Gallias Alumni, qui docet Samaritanum codicem ex Esdrino descriptum esse. Cæterum Samaritani habebant solum Codicem legis, seu Pentateucum, alios vero libros parvi faciebant.

*Respondeo* ad tertium quæsitum: Codicem a Patre Morino laudatum, eumdem affulgere cum antiquo Samaritano, quandoquidem ea omnia, quæ ex ipso citavit Hieronymus, eadem plane in Morino reperiuntur, nec nisi varietates leviores ibi habentur.

*Respondeo* ad quartum quæsitum: Neminem contendere authenticum esse codicem Samaritanum; major quippe fides debetur codicibus Hebræorum, quibus credita sunt eloquia Dei, quique veram retinuerunt Religionem, quam Schismaticorum exemplaribus; alicujus tamen sunt auctoritatis, maxime vero cum ad locorum difficilium explicationem inveniendam juvent. Cæterum in uno loco Samaritana fides suspecta videtur, namque Deut. 27. vers. 4. pro *Hebal* quod legitur in Hebræo & antiquis versionibus, scripserunt, *Garizim*, ut suo templo astrueretur auctoritas. Aliæ discrepantiæ cum Hebræo nostro vix ullæ apparent.

## SYNOPSIS SECTIONIS.

PAUCA supersunt de hoc momento dicenda, sufficit in præsentiarum asserere. I. Textum Samaritanum solum complecti Pentateucum. II. Eumdem esse veneratione dignum, & propter antiquitatem, & propter Auctorum gravitatem.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De variis versionibus Græcis, & Latinis, tum de Polyglottis.*

UT cuncta claro procedant ordine, tractandum est de materia præsenti primoquidem in genere, deinde vero in particulari; unde sit

### SECTIO PRIMA.

*De versionibus Græcis in genere, ubi & de Polyglottis.*

TESTE VValtone in suis ad Scripturam sacram Prolegomenis novem extiterunt versiones Grecæ. Prima est LXX. Interpretum facta 291. annis ante Christum natum in insula distante ab Alexandria septem circiter leucis, & hoc jussu Ptolomæi Philadelphi Regis Ægypti, qui licet Paganus, Deum tamen agnoscebat; Bibliothecam celeberrimam se erigere ratus, si libros ex omnibus mundi partibus

bus quantum potuit, colligeret. Hinc factum est ut 200000. numeraverit: hac de causa misit legationem cum muneribus ad Eleazarum summum Judæorum Pontificem, ut Doctores ad ipsum mitteret, qui Græce omnes veteris Testamenti libros redderent, quos etiam ad hoc obtinendum magno devincere beneficio fategit; quippe qui Judæos numero 120000. quos tenebat captivos, ad innatam Patriam remiserit. Tum Eleazarus Regis expostulationi annuens, collectis undequaque exemplaribus hebraicis, LXXII Seniores seu Doctores, qui tamen ob usoniam & ex usu citantur solum LXX. ad Ptolomæum misit, qui singuli in singulis conclusi cellulis, ut probabilior fert opinio, non sine ut ita dicam miraculo, intra spatium 72. dierum, uno calamo, unaque sententia, totam veteris Testamenti Scripturam græce reddiderunt, quæ quidem versio lecta est in Synagoga, eamque ita genuinam Rabbini comperuerunt, ut maledixerint omnibus qui aliquid vel addere, vel ab eadem detrahere auderent. Quo facto, apposita est in Bibliotheca Regia simul cum exemplaribus hebræis. Sic scribit Hieronymus præf. ad Pentateucum, testimonium reddente Aristæo Judæo, qui in aula Regis tunc commorans, Historiam traductionis, sicut vidit, sic & scripsit.

*Secunda*, est versio Aquilæ ex Ponto oriundi. I. Gentilis fuit, deinde Christianus, postea vero Judæus, vivebat ann. Christi 129.

*Tertia*, est Theodotionis secta Marcionistæ. Hæc fuit alicujus in Ecclesia ponderis. S. Hieronymus præf. in Daniel. testatur in Ecclesia legi. Vivebat Theodotion imperante Commodo sub finem secundi sæculi.

*Quarta*, dicitur Symmachi, I. Samaritani, tum Christiani; sed hæresi Ebionis contaminati. Vivebat imperante Severo, sub finem secundi sæculi, & initio tertii.

*Quinta et sexta*, sunt Auctorum incognitorum; aliqui contendunt primam inventam fuisse in urbe Jericho, alteram vero Nicopoli.

*Septima*, tribuitur Origeni; non quod hebræam græce reddiderit, sed potius quia versionem Septuag. in exemplaribus jam defloratā ita correxerit, ut quasi novā fecerit.

*Octava*, est sancti Luciani Martyris Presbyteri Ecclesiæ Antiochenæ: emendatis enim omnibus præcedentibus, novam postea fecit. Martyrium subiit tempore Diocletiani & Maximini Imperatorum sub finem tertii sæculi.

*Nona*, est Hesieri qui versionem Septuag. etiam correxit, & novam editionem juris publici fecit. Hieronymus præf. in Paralipomena asserit istam fuisse in usu in Ægypto, illam vero in urbe Constantinopolitana & Antiochena; versionem denique Origenis in Provinciis mediis inter præfatas.

*Præter* istas versiones sunt aliæ Orientales num. 5. Syriaca scilicet, Arabica, Ætyopica, Armena, & Persica.

*Primum*: Duplex ex Syriis interpretatis apparuit, una scilicet ex Hebræo, altera vero ex Septuag. quæ simpliciter dicitur Syriaca. Quidam sed sine fundamento primam propugnant editam regnante Salomone; alii regnante Agabaro post Christi mortem, alii recentiorem illam credunt: in quibusdam convenit cum textu Samaritano, in quibusdam vero cum Septuag. Altera antiquior excerpta fuit ex Exaplis Origenis: ita Maslius: addit Longius quatuor Evangelia cum Evangelica Armenica Eusebii. Plures extant Syriaci codices in Bibliotheca Florentina; quorum unus descriptus est ann. Christi 923. alter 590. tertius antiquior non habet annum fixum. Versio Syriaca est in Polyglotta Parisiensi & Anglicana simpliciter interpretis Syri: hujus meminit Ambrosius lib. 1. in Exameron cap. 8. Theodoretus & Chrysostomus.

*Secundo*: Arabicæ sunt duplicis generis; aliæ Judæorum, aliæ vero Christianorum. Extat Pentateucus Sandyæ qui ann. Christi 900. floruit Babylone, quique paraphrasim potius, quam versionem dedit. Cæteros Scripturæ libros ab eodem translatos Huspergius, seu Vespergius Abbas morte præventus, ut promiserat, non dedit. Est alia Pentateuci Interpretatio litteris magis serviens, primum edita in Mauritania, deinde Lugduni Batavorum ann. 1622.

*Tertio*: Duæ Christianorum Æthiopicæ fuerunt; una scilicet apud Ægyptios, altera apud Syros in usu: Prior ex codice ante annos 300. edita est, & habe-

habetur in Polyglotta tum Anglicana, tum Parisiensi: altera extat in Bibliotheca Vaticana. Nonnulli in ea reperiuntur nævi; est tamen utilis, quatenus hebraicarum radices plurimas habet.

*Quarto*: Constat Persas quondam habuisse versiones in sua lingua, maxime de quatuor Evangeliis, ut refert Theodoretus. Persicam autem illam versionem ex codice ante annos 300. scriptam edidit VValton in sua Polyglotta.

*Quinto*: Apparuit versio Armena, auctoribus Moyse & Davide, qui Chrysostomi temporibus florebant: ab Episcopo Armeno Vuscarii Patriarchæ jussu, aut saltem opera Amstelodami ann. 1664. prælo demandata est.

*Cæterum*, quamvis Æthiopes & Coptitæ veteris Testamenti versiones integras haberent, pauci tamen libri hactenus editi sunt, qui cum Septuag. non conveniant.

*De Polyglottis*.

POLYGLOTTA est verbum græcum significans Bibliam plures continentem versiones, a verbo græco *poly*, id est, multum, vel multi, & *glotta*, lingua; Origenes primus invenit Polyglottarum artem. Tres elucubravit: Prima quatuor habet columnas, quam vocavit Tetraplam; in ea posuit versionem Septuag. Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis. Secunda sex exhibet columnas; eam nomine Hexala celebrat: huic addidit textum hebraicum hebræis litteris, & eumdem græcis, quorum ignoti sunt auctores. Postrema, octo columnis constat, & nominavit Octaplam. In ea præter præcedentes adjecit versionem Jericuntinam & Nicopolitanam. A tempore quo inventæ sunt Polyglottæ, quatuor aliæ apparuerunt.

*Prima* est Cardinalis Ximenes Hispani, & continet textum hebræum, versionem Septuag. versionem latinam sancti Hieronymi, & Targum Unkelos in Pentateucum, seu Paraphrasim chaldaicam. Typis mandata est anno 1517.

*Secunda* ab Ario Montano Antuerpiæ impressa fuit anno 1571. Vocatur Biblia Regalis Philippi II. Hispaniarum Regis, eo quod pro editione suppeditaverit expensas. Eadem est ac altera; addit solum Paraphrasim chaldaicam veteris Testamenti libris.

*Tertia* est Parisiensis, cura & expensis DD. Le jay Juris publici facta; complectitur ea quæ in duabus præcedentibus referuntur; habet præterea versionem Syriacam & Arabicam, Pentateucum Samaritanum cum versione Samaritana.

*Quarta* dicitur Anglicana a VValtone Protestante Londini edita 1657. Pauca addit supra Parisiensem. Versionem Septuag. ex Bibliotheca Vaticana excerptam, Vulgatam secundum editionem Sixti V. & correctionem jussu Clementis VIII. factam habet; supra cæteras addit etiam versionem Syriacam & Arabicam super aliquos libros, quæ non est in præcedenti. Ibi etiam videtur *Targum* Jerosolymitanum, & Targum Jonathan cum versione Persica in Pentateucum, tum & alia Persica in novum Testamentum. Quod habet specialissimum, est duplex Dictionarium in folio; in utroque egregia adsunt in universam Scripturam Prolegomena.

*Schemata Polyglottarum Origenis*.

*Ex* his versionibus Græcis, ut observat VValtonius, & post ipsum R. P. Gravesonius, una cum textu hebræo ea volumina contexuit Origenes, quæ vulgo *Tetrapla*, *Exapla*, & *Octapla* nuncupantur. *Tetrapla* nihil aliud sunt, quam volumen, in cujus singulis paginis quatuor extant columnæ. In prima descripta est versio Aquilæ; in secunda, versio Symmachi; in tertia, versio Lxx. Interpretum; in quarta, versio Theodotionis, sicut videre est in hoc chemate.

Te-

## *Tetrapla Origenis.*

| 1. Columna. | 2. Columna. | 3. Columna. | 4. Columna. |
|---|---|---|---|
| In ea Columna descripta est versio Aquilæ. | In hac Col. describitur versio Symmachi. | In hac Col. describitur versio Lxx. Interpret. | In hac Col. describitur versio Theodotionis. |

*Exapla* Originis nihil aliud sunt, quam volumen, in cujus singulis paginis sex sunt columnæ. In prima describitur textus hebraicus litteris hebraicis exaratus. Secunda exhibet eumdem textum hebraicum litteris græcis descriptum. Tertia continet versionem Aquilæ. Quarta, versionem Symmachi. Quinta, versionem Lxx. Interpretum. Sexta, versionem Theodotionis. Hoc opus propter sex illas Columnas ordine dispositas, appellatur *Exapla*.

## *Exapla Origenis.*

| 1. Col. | 2. Col. | 3. Col. | 4. Col. | 5. Col. | 6. Col. |
|---|---|---|---|---|---|
| Textus hebraicus litteris hebraicis exaratus. | Textus hebraicus litteris græcis descriptus. | Versio Aquilæ. | Versio Symmachi. | Versio Lxx. Interpretum. | Versio Theodotionis. |

*Octapla* denique Originis, nihil aliud sunt, quam volumen, in cujus singulis paginis duæ columnæ adduntur sex illis columnis, quæ sunt in Exaplis, ita ut sint octo columnæ in Octaplis Origenis, in quarum septima describitur versio Hiericuntina, & in octava columna, exhibetur versio Nicopolitana.

## *Octapla Origenis.*

| 1.Col. | 2.Col. | 3.Col. | 4.Col. | 5.Col. | 6.Col. | 7.Col. | 8.Col. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Text. hebraicus litteris hebraicis exaratus. | Text. hebraicus litteris græcis describitur. | Versio Aquilæ. | Versio Symmachi. | Versio Lxx. Interpretum. | Versio Theodotionis. | Versio Hiericuntina. | Versio Nicopolitana. |

*Injuria* temporum istud egregium deperditum opus feliciter restauravit R. P. Bernardus Mont-fauconius Congregationis S. Mauri alumnus.

Sy-

*Synopsis primæ sectionis.*

In hoc articulo in varias sectiones partito & digesto, multus est sermo de Scripturę sacræ V. T. Paraphrasibus; cum enim Judæi alternatis vicibus modo a Salmanazar, modo a Nabuchodonosore, modo etiam a Regibus Græcis ducti sint captivi, ut plurimum necessitate compulsi dominantium lingua uti tenebantur. Tum innata decursu temporum aut amissa, aut multum interpolata, opus fuit sacras Scripturas diversis linguis pro ut expostulabat Judæorum necessitas, interpretari: hinc absoluta captivitate Babylonica, apparuit Paraphrasis Syriaca ex Hebræo & Chaldæo conflata: deinde vero Paraphrasis Unkeli, Jonathan, & quædam aliæ. His accedit interpretatio Septuag. Judæi legem dividebant in scriptam & oralem, quam *Cabalam* nuncupabant. Prior erat vel ipse textus hebraicus: Posterior ejusdem explicatio juxta Prophetarum sententias traditione Doctorum nutrita & determinata. Polyglottæ sunt ejusdem Scripturæ explicationes, diversæ tamen secundum diversas lectiones, diversaque idiomata, ut patet ex Exaplis Origenianis.

## SECTIO SECUNDA.

*De versione* Lxx. *in speciali.*

Multa quæruntur de hac versione. Primoquidem an fuerit magnæ auctoritatis ante S. Hieronymum? II. An in singulis cellulis composita fuerit a Senioribus? Demum, an purgata a Sixto V. sit ab omni labe pura? Unde sit

### CONCLUSIO.

Ante S. Hieronymi tempora, versio Lxx. erat magni ponderis?

*Probatur ex Patrum traditione,*

Justinus cohortat. ad Gentes primum refert quomodo Ptolomæus Philadelphus, suadente Demetrio Phalereo, accersiverit Seniores inter Judæos doctissimos, qui in singulis conclusi cellulis ex hebræo græcæ linguæ quasi unius labii, vetus Testamentum reddiderunt: " Cognito Ptolomæo, *inquit*, septuaginta istos viros, " non solum eadem sententia, verum etiam iisdem verbis in translatione usos, ac ne una quidem dictione alium ab alio dissensisse, admirationem attonitum Ptolomæum, cum interpretationem absolutam esse divina virtute credentem; " tum quovis honore dignos illos ut Dei amantes, & Deo charos vicissim judicantem, cum muneribus multis in patriam suam redire jussisse. "

*Concinit* Irenæus lib. 3. adversus hæreses c. 25. qui de eadem Septuag. interpretatione, sic loquitur: " Petrus, & Joannes, & Mattheus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum Sectatores, prophetica omnia ita annuntiaverunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet. Unus enim & idem spiritus Dei, qui in Prophetis quidem præconizavit, quis & qualis esset adventus Domini: in Senioribus autem interpretatus est sane. "

*Tum* Tertullianus apolog. cap. 18. " Ex ipsis enim & ad ipsos semper Prophetæ peroraverant; sed ne notitia vacaret, hoc quoque Ptolomæo a Judæis subscriptum est Lxx. Interpretibus adultis, quos Menedemus quoque Philosophus Providentiæ vindex de sententiæ communione suspexit. "

*Non* omittendus Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. 250. " Cum autem unusquisque sigillatim ex sua propria interpretatus esset prophetia, conspirarunt omnes simul collatæ interpretationes, & sententiis & dictionibus; Dei enim inerat voluntas, quæ id ad Græcorum aures consulto comparaverat. Neque vero ab inspiratione Dei erat alienum, qui prophetiam dederat, ut interpretationem quoque tamquam græcam effi-ceret prophetiam. " Idem momentum fuse tractat ibid. pag. 342.

*S. Hieronymus* his adjungitur: in Psal. 2. sic habet: " Mediis legis temporibus, priusquam Unigenitus Dei Filius ante sæcula manens Deus Verbum homo nasceretur, poscente Rege Ptolomæo Lxx. Seniores libros veteris Testamenti ex hebræis litteris in græcas transtulerunt. "

*S. Epi-*

*S. Epiphanius* fuccinit de menfuris & ponderibus: " Interpretes, *inquit*, fic ubi „ manca ac defecta oratio nonnullis „ adjectis plurimum ei lucis attulerunt; „ ut illos non fine Spiritus fancti afflatu „ ad fcribendum acceffiffe credibile fit. Si- „ quidem quę neceffaria non erant, iifdem „ verbis repetere noluerunt, quoties ve- „ ra in græcum tranflata fententia clau- „ dicare videbatur; tum non nihil adjece- „ runt, qua in re admiratione potius quam „ reprehenfione digni funt, adeoque col- „ laudandi, cum illud omne divino quo- „ dam confilio ab illis effe factum prudens „ quifque non dubitet. „ Non abfimilia de hoc momento dicit Eufebius lib. 8. Præcept. Evangel. cap. 1.

*Subfcribit* fanctus Auguftinus lib. 2. de Doctr. Chrift. c. 15. Eo loci de variis editionibus Scripturę facrę fic loquitur: " „ Latinis quibuslibet emendandis Greci „ adhibeantur, in quibus Lxx. Interpre- „ tum, quod ad vetus Teftamentum atti- „ net, excellit auctoritas: qui jam per om- „ nes peritiores Ecclefias tanta præfentia „ Spiritus fancti interpretati effe dicun- „ tur, ut os unum tot hominum fuerit. „ Sanctus Doctor lib. 18. de civ. cap. 43. afferit editionem Septuag. fuiffe apud Apoftolos familiarem, & Interpretes in ea haufiffe quæ latine reddiderunt.

*Non* diffentit fanctus Hieronymus qui qq. in Genefim fic loquitur: " Non de- „ buit S. Lucas, ipfius hiftoriæ fcriptor „ eft in Gentes, Actuum Apoftolorum vo- „ lumen emittens contrarium aliquid fcri- „ bere adverfus Scripturam, quæ iam fue- „ rat Gentibus divulgata; & utique ma- „ joris opinionis illo dumtaxat tempore „ Lxx. Interpretum habebatur auctoritas, „ quam Lucę, qui ignotus & vilis, & nou „ magnę fidei in nationibus ducebatur... „ hoc autem generaliter obfervandum, „ quod ubicumque fancti Apoftoli, A- „ poftoli viri loquuntur ad populos, iis „ plerumque teftimoniis abutuntur, quæ „ jam fuerat in Gentibus divulgata., „ Rurfus & expreffius comment. in caput 2. Habacuc: " Porro, quod Apoftolus Septuag. magis teftimonio abufus eft ad Romanos fcribens; juftus autem „ ex fide mea vivit; & non eo quod „ habetur in hebraico, caufa perfpicua „ eft; fcribebat enim Romanis, qui Scri- „ pturas hebraicas nefciebant; nec erat „ ei cura de verbis; cum fenfus effet in „ tuto, & damnum.... Præfens difpu- „ tatio non haberet. „ In utroque loco docet fanctus Doctor, I. Apoftolos verfione Septuag. ufos fuiffe. II. Hanc prę cæteris elegiffe, immo & relicto textu originali, ad eam confugiffe, quia Gentiles in quorum gratiam fcribebat, parvi faciebant linguam hebræam, quippe qui illam ignorarent, & natio Judaica apud eos vilis admodum haberetur: Porro fi verfio Septuag. non fuiffet & accurata & infpirata, nec SS. Lucas, Marcus, Joannes, Paulus, eam ad probandam & explicandam Verbi divini incarnationem laudaffent.

*Unde* fic argumentari fas eft: Verfio quæ fpiritu prophetico fcripta eft, & qua Apoftoli ad convertendos Gentiles ufi funt, erat maximi ponderis vel ante ipfum B. Hieronymi ævum: Atqui ex Patribus primorum fęculorum verfio Septuaginta talis habebatur, & apud Apoftolos erat in ufu: Ergo &c.

### *Solvuntur objectiones.*

OPPONES: Illa verfio non eft maximi ponderis, cuius genuinitas leviffimis innititur fundamentis: Atqui res ita fe habet: Et probatur: I. Nihil certi habetur pro Auctoribus qui infpirati ventilantur: Ergo &c. Probatur antecedens. Quidam fcribunt feniores Interpretes ex fingulis Tribubus ab Eleazaro ad Ptolomæum miffos, qui Scripturam facram ex Hebreo græce redderent; certum eft tamen alias tunc temporis non fuiffe Tribus præter Judam & Benjamin, ac partem Leviticæ Tribus, cum aliæ in captivitate Ninives fub Salmanazare periiffent. II. Neque vero ipfi Patres conveniunt de hiftoria; quando quidem nonnulli fcribunt Lxx. Seniores verfionem fuam adornaffe, fingulos in fingulis cellulis; quidam binos in fingulis; quidam etiam manfiunculas illas fictitias effe, quocirca fanctus Hieronymus præfat. in Pentateucum, ait: " Nefcio „ quis primus auctor feptuaginta cellulas „ Allexandriæ mendacio fuo extruxerit: Ergo &c.

*Resp.*, negando minorem propter rationes in probationibus allatas: fimiliter eadem

de causa negamus antecedens: Ad primam probationem dico, nihil facere ad substantiam facti Seniores ex aliquibus, vel ex omnibus Tribubus assumptos fuisse. Apud Patres inconcussum manet, videlicet Seniores non sine Spiritus sancti afflatu suam edidisse græcam versionem. Eadem ratione & pari facilitate solvitur altera probatio; quod enim vel singuli in singulis, vel bini in qualibet cellula, vel etiam in alio loco, operi versionis incubuerint, parum refert, tametsi consensio Patrum præponderet auctoritati S. Hier. qui, ut versionem suam ex hebræis fontibus concinnatam celeberrimam ventilaret, parvi, ut quidam autumant, faciebat Græcam.

*Ad* solutionis complementum: Ad primam quidem probationem respondeo: Seniores ex singulis Tribubus potuisse assumi, cum decem non ita fuerint in captivitate extincti, quin ex singulis aliqui remanserint; quia vero non erat amplius possessionis propriæ locus ad fratres confugerunt, quippe a Juda benigne suscepti, dicti sunt postea promiscue Judæi. Quod autem de facto multi remanserit, non ex uno constat sacræ Scripturæ loco: habetur enim l. 1. Paral. 4. 24. 38. multos de Tribu Simeon rediisse tempore Ezechiæ Regis, & multas Judæ terras occupasse. Rursus l. 2. Paral. 34. 6. 9. 21. legitur Josiam Ezechiæ pronepotem multis annis post Assyriacam deportationem, urbes Manassis, Simeonis, Ephraim, Nephtalitarum, maximam in partem vastatas, ab instrumentis idololatriæ repurgasse, & ab earum Tribuum reliquiis sacrum tributum exegisse, quod non sine nutu Dei, quem consuluerat, fecit.

*Instabis*: Illa Versio ut sacra & inspirata non est habenda, quam vel ipsi Judæi execrati sunt: Atqui versionem græcam Judæi tametsi pro religione & libris qui ex suis Patribus promanarant zelati, illam tanto prosequuti sunt odio, ut solemne jejunium instituerint VIII. die *Tebeth* propter legem in profanum sermonem conversam, & ex illa, ut ipsi putant, Alexandrinorum audacia tribui tenebras per universum orbem incubuisse fabulentur: Porro omnia jejunia instituta sunt ad iram Dei sedandam: Igitur jejunium a Judæis institutum propter translationem græcam, argumentum est eos per omnia illam fuisse execratos, nec ut sacram habere voluisse.

*Respondeo* I. opponendo Rabbinos Rabbinis. Josephus testatur postulationem Ptolomæi de translatione facienda Pontifici pergratam fuisse. Concinit Philo qui lib. 2. de vita Moysis scribit, singulis annis in insula Pharo celebritatem quotannis fieri in gratiarum actionem pro admirabili translationis beneficio. Quid plura adjiciam? Maimonides jejunia gentis suæ enarrans, non meminit jejunii instituti per modum execrationis de versione græca facta; immo Rabbi Azarias ad fidem capitis octavi *Binach*, R. Godolias fol. 24. catenæ Cabbalisticæ jejunii *Thebeth* originem ducunt ex eo quod LXX. Seniores hac Provincia græcæ versionis adorandæ susceptа solemne jejunium & publicas orationes indixerint, ne Judæis male verteret Ptolomæi Regis consilium; vel ut Deus illorum studio & versioni prosperum exitum largiretur.

*Respondeo* II. distinguendo minorem: Judæi ævo Josephi posteriores versionem græcam execrati sunt, & hoc in odium fidei in Christum, concedo: Judæi antiqui & sapientes; nego. Judæi Apostolorum temporibus animadvertentes multos e suis & Gentibus ad Christum sese convertere, eo quod legerent Scripturas juxta versionem græcam, quæ tunc plurimum erat in usu, & Apostolos ostendere Prophetias in iis sacris Libris contentas in Christo adimpletas esse, sicut in Dominum sævierant, sic & in rabiem acti de felici Apostolorum missionis exitu Versionem græcam summo prosecuti sunt odio, hinc Rabbinorum quorumdam de triduanis tenebris ob legem græce translatam fabula: hinc jejunium 8. die mensis *Thebeth*, Kalendario adscriptum, ut quidam volunt.

*Insignis* est sancti Cyrilli Hierosolymitani sententia; namque Cathed. 4. ita loquitur: " Et ut divinæ legis esse hos libros experientia discerct, & ne hi qui „ fuerant ad illum missi, mutuo conspirarent, prospiciens; in insula Pharo quæ „ est prope Alexandriam singulis Interpretibus singulas domos distribuit, & „ uniquique, ut separatim omnes Scripturam interpretarentur, mandavit. Qui „ cum in septuaginta duobus diebus ne-

„ gotium id perfeciſſent, ſimul omnium interpretationes, ex diverſis domibus prodeuntes protulerunt: collatas autem ſimul non ſolum in ſenſibus, verum etiam in verbis conſonas invenit, non facundia & apparatu ſophiſmatum humanorum factum id fuerat, ſed ex Spiritu ſancto divinarum rerum interpretatio facta eſt. „

*Oppones* II. Concilium Tridentinum declarat Vulgatam eſſe authenticam, nulla facta mentione de verſione Lxx. Seniorum: Igitur iſta non fuit etiam ante Hieronymum magni ponderis.

*Reſpondeo* diſtinguendo: Et Trid. ſua definitione non excludit verſionis Septuag. authenticitatem, concedo: & excludit, nego. Vel etiam ante Hieronymum multę nedum latinæ, ſed & principaliter græcæ circumferebantur Scripturæ ſacræ verſiones, in quibus ſaltem plurimis malitia tum Judæorum, tum etiam Hæreticorum ſcatebant errores; quocirca ad tutelam, & pro Fidelium conſolatione ac fidei certiſſima conſervatione, declaravit Vulgatam eſſe authenticam, ita ut omnes abſque ſcrupulo, & omni excluſa tergiverſatione illo textu poſſent uti: ſed alias ab omni labe eſſentiali puras non explaudit.

*Inſtabis*: Atqui verſio Lxx. Seniorum nullius nec eſſe nec fuiſſe ponderis debet: Ergo &c. Probatur: Illa Verſio alicujus ponderis fuiſſe non debet, quæ cum nuovo Teſtamento non conſociatur: Atqui res ſic ſe habet: Et probatur. In novo Teſtamento quædam ſententiæ ex veteri excerptę reperiuntur, quæ tamen deſiderantur in verſione Septuag. ſic expreſſe enarrat S. Hieronymus Præfat. in Pentateucum: " His, *inquit*, in quibus „ multa de vetere Teſtamento legimus, „ quę in noſtris codicibus non habentur, „ ut eſt illud: *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, „ *& quoniam Nazaræus vocabitur*, „ Ergo &c.

*Reſpondeo* multipliciter ad ſolutionem hujus argumenti & aliorum. I. S. Hieronymum magis adhæſiſſe exemplaribus hebreis, quam Septuag. quę tamen multi faciebat, ut patet ex Prefat. in Job, his verbis: „ Cogor ... adverſariorum reſpondere maledictis, qui interpretationem meam .... criminantur. „ Ibidem: „ Omnia veteris inſtrumenti volumina Origenes obelis, Aſteriſque diſtinxit, quos vel additos, vel de Theodotione ſumptos translationi antiquę aſſeruit, probans deſuiſſe, quod additum eſt. Diſcant igitur obtrectatores mei recipere in toto, quod in partibus ſuſceperunt. „

*Reſpondeo* II. & dico innovationem non reperiri in ſubſtantia, ſed in levioribus: Sic v. g. Septuag. illud Joan. 19. *Videbunt in quem transfixerunt*, ſic legunt, *in quem transfixerunt*, *vel in quem pupugerunt*: Hebræum vero legit: *Aſpicient ad me quem confixerunt*; quod eſt idem re. Rurſus, Seniores Lxx. ponunt 7. capita Eſtheris ſuo loco, eo quod ſic legerunt in originalibus hebræis: quia vero codices hebræi exciderunt, jam ſuo non inveniuntur ordine. Sic illud Pſal. 95. *Dominus regnavit*, Antiqui Patres, ut Tertullianus lib. adverſus Judæos cap. 7. & 13. Auguſtinus & Arnobius legerunt: *Regnavit a ligno*; quod & Caſſiodorus teſtatur legiſſe in Septuag. quodque Judæi abſtulerant in odium paſſionis Chriſti & religionis. Sic etiam illud Habacuc cap. 3. legunt Septuag. *In medio duorum animalium cognoſceris*; Hebræum vero: *In medio annorum vivifica illud*. Utrumque agnoſcit Eccleſia ut Canonicum. Denique hebræum ſeptuaginta ſolum perſonas de familia Jacob numerat in Ægypto; Seniores vero ſeptuaginta quinque, quia comprehendunt etiam eos qui nati ſunt filii in Ægypto, ſcilicet Machir, filium Manaſſis, & Galaad ejus nepotem, ac filios Sutalaam & Goam, & Eden ejus nepotem.

*Reſpondeo* III. Hoc ſic contigiſſe ex diverſis litteris, vocibus, accentibus, lectionibus, phraſibus; & ex ſubtractione vel additione punctorum, quæ omnia variant ſenſum, & hoc ex malitia Judæorum qui in odium fidei poſt Chriſtum divinas defloravere Scripturas. Hoc ipſum expreſſe ſcribit Juſtinus in dialogo cum Triph. his verbis: " Nec veſtris, *inquit*, Doctoribus credo, negantibus Lxx. Seniores interpretis oſſicio recte functos „ apud Ptolomæum Regem, ipſum locum „ interpretari conantur, multas quoque „ Scripturas in totum ſubſtulerunt ex editione Lxx. Seniorum, quæ maniſeſte „ hunc ipſum crucifixum & Deum & hominem, & in cruce mortuum prædicabant. „

L 2 Theo-

Theologi istas mendas tribuunt Aquilæ, Theodotioni, & Symmacho, dicuntque Patres loqui de illis, nusquam vero de Judæis qui primo vivebant sæculo.

*Respondeo* IV. Hoc evenisse ex negligentia vel ignorantia Librariorum, vel etiam ex incuria & inadvertentia Scribarum, qui primi habuerunt exemplaria describenda. Sic censet S. Augustinus lib. 15. de civ. Dei cap. 13. his verbis: " „ Itaque illa diversitas numerorum, aliter se habentium in codicibus græcis „ & latinis, aliter in hebræis, ubi non „ est illa de centum annis prius additis, „ & postea detractis per tot generationes „ continuata parilitas; nec malitiæ Judæorum, nec diligentiæ vel prudentiæ „ Lxx. Interpretum, sed Scriptoris tribuatur errori, qui de Bibliotheca supra dicti Regis codicem describendum „ primus accepit. „

*Respondeo* V. Hanc varietatem esse posse a Spiritu sancto, cujus inspiratione locuti sunt Lxx. Seniores, addendo vel detrahendo, ut Spiritus dictabat. Ita Hieronymus Præfat. in Pentateucum his verbis: " Ubicumque Sacramentum aliquid „ testatur de Patre, Filio, & Spiritu „ sancto, aut aliter interpretati sunt, „ aut omnino tacuerunt, ut & Regi satisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent .... ne sanctum canibus, & margaritas porcis darent. „

*Persistes*: Hieronymus in cap. 6. Isaiæ dicit epistolam ad Hebræos ab omnibus non admissam fuisse, eo quod utatur testimoniis Septuag. quæ non reperiuntur in hebræis voluminibus: Ergo &c.

*Respondeo*, distinguendo: Et S. Hieronymus codicibus hebræis potius, quam Lxx. Seniorum versioni adhæsit, concedo: secus, nego. Sic junior se gessit, sed senior factus plurimi fecit Septuag. versionem; hinc Præfat. in Paralip. ait, quod si versio Lxx. Seniorum extaret pro ut ab eis primum emanavit, superflua forent hebræa volumina: " Nunc vero, *inquit*, „ cum pro varietate regionum diversa „ ferantur exemplaria, & germana illa „ antiquaque translatio corrupta sit, atque violata; nostri arbitrii putas aut e „ pluribus judicare quid verum sit, aut „ novum opus in veteri opere cudere, illudentibusque Judæis, cornicum, ut dicitur, oculos configere. „ Cæterum epistola ad Hebræos ab Orientali & Occidentali Ecclesia a multis sæculis fuit recepta; quandoquidem teste Augustino lib. 18. de civit. Dei c. 43. suis temporibus legebatur in Ecclesia secundum versionem Septuaginta.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Interpretatio* Lxx. *fuit quondam magni ponderis*.

PRIMO: Eam multi faciunt Justinus cohort. ad Gentes, Irenæus lib. 31. cap. 25. Tertullianus Apol. cap. 18. Hilarius in Psal. 2. Aug. lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 15.

*Secundo*: Christo & Apostolis erat familiaris illa versio, ut passim asserunt SS. Patres.

*Tertio*: Erat in usu tempore Apostolorum, si quidem, uno excepto Matthæo, cæteri auctores Canonici græce scripserunt. Nec mirum, in odium Judæorum & Romani, & alii Principes ac Gentes ab Hebræo sermone abstinebant.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Incassum opponitur incerta de Auctoribus opinio, cum constet ex Patribus esse Lxx. Seniores.

*Secundo*: Si quæ est in illa ab Hebræo diversitas, non nisi in levioribus reperitur.

*Tertio*: Quidam Judæi eam decursu temporum in odium Christianorum, qui illa utebantur, execrati sunt; sed non antiqui Apostolorum coævi; unde ex hoc nihil roboris ipsi detrahitur.

## SECTIO TERTIA.

### De editionibus Latinis.

*Utrum Vulgata sit Canonica?*

UT primum ex græco Scriptura sacra latine reddita est, innumeræ statim apparue-

paruerunt in Occidente editiones; aliæ a Catholicis & ab omni labe puræ, aliæ ab Hæreticis, & fœdatæ. Ante tempora Hieronymi Itala erat communis in Ecclesia Latina; eam S. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 15. cæteris præfert; ab auctoribus incognitis prodit super versionem Septuag. Hieronymus bis Testamentum vetus latine reddidit. Primam versionem fecit ex græco Septuag. ut testatur lib. 2. contra Rufinum: Secundam ex hebræo, ut ipse refert lib. de Viris Illustribus, elucubravit. Novum Testamentum non reddidit ex græco-latine, sed solum emendavit, & variis purgavit ab erroribus & mendis, quæ vitio Librariorum irrepserant in textum; ita loquitur in Præfat. Evangeliorum ad Damasum Papam: ipso adhuc vivente versio ex Hebræo publice legebatur in conventu Ecclesiæ. Non secundum ordinem libros latine reddidit, sed secundum amicorum postulationem unum vel alterum interpretabatur, magis attendendo ad sensum & sententias, quam ad litteram, ut ipse testatur epistola ad Lemojam his verbis: " „ Non debemus sic verbum de verbo ex- „ primere, ut dum syllabas sequimur, per- „ damus intelligentiam. „ Opus incepit Romæ ann. 384. Bethlehem reversus ad Præcepe Domini accuratius elaboravit.

*Post* tempora D. Gregorii evanuerunt omnes editiones latinæ, una tantum remansit, quæ nunc Vetus & Vulgata dicitur, teste Vualtone; partem Italæ continet, scilicet Psalterium, Sapientiam, Ecclesiasten & libros Machabæorum; alios veteris Testamenti libros habet ex versione S. Hieronymi de Hebræo. Totum novum Testamentum est versionis Italæ emendatæ per S. Hieronymum: hæc est Vulgata, quæ nunc est in usu de editione Sixti V. Fuit postea iterum emendata jussu Clement. VIII. Sixtus V. Pius IV. & postea quintus opus purgationis inceperant, ut satisfacerent Concilio Trid. quod quidem jusserat Vulgatam typis mandari omni cum diligentia & exactitudine. Absolvit Sixtus V. qui in decreto suo declarat manibus propriis isti vacasse operi, scilicet in emendandis codicibus: ultimam etiam manum adjecit Clemens VIII. & quantum potuit illam omnibus absolvit numeris & perfecit.

*Initio* penultimi sæculi ann. scilicet 1527. apparuit Lugduni nova editio latina facta per patrem Xanteraginum Dominicanum, quam Arias Montanus emendavit.

*His* prælibatis quæritur, utrum Vulgata nostra sit canonica? Negant Lutherani, qui solam Martini Lutheri editionem esse authenticam dicere non erubescunt; contra quos sit

## CONCLUSIO CATHOLICA.

### Vulgata nostra est authentica seu canonica.

*Probatur hoc argumento Theologico.*

ILLA editio est authentica, quæ textibus originalibus conformis est, quam Patres & Concilia uti talem habent, quæ a multis sæculis, nullo refragante, in usu fuit: Atqui talis est Vulgata: Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes. I. Composita fuit ex Itala quæ primis florebat sæculis: vetus Testamentum ex hebræis textibus & versione Septuag. latine reddidit S. Hieronymus, ut supra dictum est: textus hebræus est primigenius; sed hæc versio, etiam habetur ut textus quasi originalis, quippe quæ, afflante Spiritu sancto, & non sine speciali Dei protectione ex codicibus hebræis facta sit: quinimo non semel ea versione usi sunt Apostoli: cæterum idem Hieronymus a mendis gravioribus purgavit novum Testamentum: Igitur Vulgata per omnia concordat cum primigeniis textibus. II. Præter Hieronymum Vulgatam velut authenticam habet S. Augustinus, qui lib. 2. de doctrina Christiana cap. 15. cum lib. 8. de civ. Dei cap. 43. commendat Italam, ex qua conflata est Vulgata nostra. Suum addit calculum Italæ Gregorius Magnus lib. 20. Moral. cap. 24. Isidorus lib. 6. Ethimol. cap. 5. Mitto alios Patres qui Vulgatam a Hieronymo promanatam veluti authenticam, ne uno quidem excepto, habuere: Ergo &c. III.

Omnia Concilia tum Generalia, tum Nationalia, & Provincialia in Occidente adunata pro fidei definitionibus Vulgatæ loca usurparunt; Tridentinum vero sess. 4. de fide, definit illam esse & genuinam, & authenticam: Ergo &c. IV. Quid plura adjiciam? Usus & possessio vim habent legis, & veritati patrocinantur: Sed a multis sæculis Vulgatæ usus in tota Ecclesia Latina obtinuit: Ergo &c.

*Proponuntur et solvuntur objectiones Protestantium.*

OBJICIUNT: Illa editio non est authentica, quæ discrepat a textu originali, scilicet Hebræo: Atqui in multis Vulgata discrepat ab hebræo: Ergo &c. Probatur minor: Ecclesiast. cap. 1. habetur: *Perversi difficile corriguntur*; Hebræus textus legit: *Perversum non poterit adcorrigere, vel dirigere*: Unde Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, lib. de optimo genere interpretandi, tum & comment. in Prophetas & Ecclesiasten, multa aliter fuisse vertenda dicit: Ergo &c.

*Respondeo*, negando minorem. Ad probationem distinguo: Vulgata levius differt ab Hebræo & materialiter, & hoc ut plurimum ex ignorantia Librariorum, vel etiam inadvertentia amanuensium, qui quandoque syllabas transposuerunt, concedo: discrepat essentialiter, nego. Hoc patet vel in ipso objectionis loco.

*Ad* D. Hieronymi auctoritatem distinguo. Multa alio modo erant vertenda claritatis causa, concedo: propter errores graviores, nego. Plures quidem sunt causæ cur Vulgata non semel purgari & emendari debuit. I. Quia eadem vocabula Hebræa quandoque diversas habent significationes, alias clariores, alias etiam penitus ambiguas; & hoc testatur Hieronymus in Ecclesiasten, quem bis interpretatus est: In prima translatione cap. 2. vertit: *Cogitavi trahere carnem meam in vinum*. In secunda vero: *Cogitavi abstrahere carnem meam a vino*; istam retinet Vulgata ut clariorem. Ratio diversitatis ea est, quia verbum Hebræum *Bajaiin* potest significare in vino, seu etiam in vinum. Quod autem Hieronymus soleat variis modis vertere, quando vox ambigua est, ipse testatur lib. 1. Apolog. contra Rufinum, ubi dicit se vertisse in Psal. 2. *adorate pure*, & tamen in commentariis exposuisse *adorate filium*. Altera ratio diversificandi est, quum Ecclesia, omnibus æqua lance ponderatis, judicat aliter vertere quam Patres.

*Instant*: Magis credendum est fontibus græcis & Hebraicis quam latinis, quandoquidem editiones latinæ ab aliis prodierunt: Igitur solæ Hebrææ & Grecæ editiones sunt Canonicæ.

*Respondeo* distinguendo: Magis credendum est Versionibus hebræis & græcis si essent in nostra nata lingua, concedo: si non sint, subdistinguo: ante definitionem Ecclesiæ concedo: hac supposita, nego. Supposita igitur definitione Concilii Tridentini, Vulgata magis ponderat, quandoquidem Ecclesia sancto afflata Spiritu hoc jure merito declaravit, maxime vero cum aliæ editiones fuerint corruptæ: cæterum ad fontes primævos aliquando recurrendum est, & hoc in quatuor circumstantiis. Primo cum constat esse errorem Librariorum: sic non semel in nostris Missalibus videmus emendatum, illud Ecclesiastici 45. *Dedit illi coram præcepta*, cum antea perverse legeretur: *Cor ad præcepta*; facile fuit facere, ex inverso syllaborum ordine, *videlicet* CORAM Cor. *ad* II. Quando latini Codices multum variant, ita ut non possit cognosci quæ sit vera lectio: sic Josue 5. quidam latini codices habent: *Quibus juravit, ut ostenderet eis terram fluentem lacte et melle*; quidam vero: *ut non ostenderet*. Vera lectio est posterior; nam in Hebræo additur *non*. III. Si sententia latina est ambigua, & varios præ se ferat sensus, v. g. Gen. 3. habetur: *Maledicta terra in opere tuo*. Quod quidem potest intelligi de futuro, id est, *quando coles eam*; tum & de præterito, videlicet, de peccato Adæ, propter quod maledicta fuit. In Hebræo vero nulla apparet ambiguitas; verbum enim significat maledictam terram propter peccatum; unde Hieronymus in quæstionibus hebraicis dicit illos bene vertisse, qui posuerunt, *Maledicta terra in transgressione tua*. IV. Ad energiam & proprietatem verborum cognoscendam; sic illud Exod. cap. 1. *Ædificavit illis domus*. Intelligimus ex he-

hebraica phrasi significare fecunditatem & filiorum copiam.

*Urgent* : Gen. 3. legitur *Ipsa conteret caput tuum*; sed secundum Hebræum legendum est : *Ipsum conteret caput tuum* , id est , semen tuum , quod est Christus . Confirmatur : verbum *conteret* , in Hebræo masculini generis est; Igitur non *ipsa*, sed *ipsum* ponendum est.

*Respondeo* negando antecedens : Marius enim mercator lib. 1. in Gen. S. Aug. lib. 2. de de Gen. contra Manichæos cap. 18.Chrysost. hom. 17.Gregorius, Rupertus Lyranus , & alii bene multi quibus magis credendum est , quam hæreticis , legunt cum Hieronymo , *ipsa* ; Bellarminus in lingua hebræa peritissimus hic lib. de verbo Dei , Cap. 12. se sic legisse in hebræo testatur.

*Respondeo* ad confirmationem distinguendo : Et Verbum masculinum in hebræo sæpe jungitur femineo , concedo : secus , nego . Sic Ruth. cap. 1. vers. 8. *Ducitur Ruth ad nurus suas* . Hebræum vero , sic habet : *Faciat Dominus misericordiam vobiscum sicut fecistis cum mortuis* . Cæterum non est neutrum apud Hebræos : Igitur Hæretici non debent legere , *Ipsum conteret* ; tum quia hoc faceret sensum identicum , hoc est , *ipsum caput conteret caput tuum*.

*Persistunt* : Num. ult. habetur : *Omnes viri ducunt uxores de tribu & cognatione sua, & cuncta feminę de eadem tribu maritos accipient* ; sed hoc non est verum : Ergo &c. Probatur minor : Josabeth filia Regis Joram de tribu Juda fuit uxor Jojade Pontificis de tribu Levi , ut habetur Ruth. 4. Michol de Tribu Benjamin fuit uxor Davidis de tribu Juda , ut habetur 1. Reg. 18. Denique Judicum ult. omnes Hæbræi jurant se non daturos uxores de filiabus suis alicui de tribu Benjamiu, & tamen beata Virgo de tribu Juda cognata erat B. Elisabeth de tribu Levi, ut habetur Lucæ. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo : Quando uxores erant bonorum heredes , debebant habere maritum ejusdem tribus , concedo : Si non erant hæredes , subdistiuguo : ordinarie , concedo : absolute loquendo , nego. Et hoc probant exempla pro objectionibus allata : lex enim antiqua eo dumtaxat sine prohibebat mulieres bonorum paternorum hæredes matrimonio jungi cum viro alterius tribus, ne sic confuuderentur hæreditates.

*Urgent* : Psal. 2. habetur : *Apprehendite disciplinam* . Hebræum legit : *Osculamini sive adorate filium*. II. Psal. 4. *Filii hominum usquequo gravi corde*. Hebræum vero habet: *Gloria mea ad ignominiam.* III. Psal. 31. *Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina* . Hebræum dicit : *Succus meus sine humore, & viror meus versus est in siccitates æstivas* . Psal. 67. *Benjamin adolescentulus in mentis excessu* . Hebræum legit : *Dominator eorum* . Ibidem denique scribitur : *Viduam ejus benedicens benedicam* . Hebræum legit : *Victum ejus* ; Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo : Et illę mutationes in re conveniunt , concedo ; est enim idem sensus sententiarum : discrepant verbis & quoad sententias , nego . Revera quidem vox *osculamini* & ista *adorate filium* , denotant Christum , cujus manus osculamur doctrinam sequendo . Ad secundum sic legunt Gręci & Latini , & Hebręi, sententia concinit: quando enim fidelis ad vanitates sęculi inhiat , spretis bonis invisibilibus , est ignominia Patris scilicet Christi. Ad tertium , succus versus in siccitates indicat afflictionem quam latinus Interpres exprimit , vocabulis, *spina & ærumna*. Ad quartum recte dicitur Benjamin, dominator eorum, litteraliter quidem , cum esset Princeps unius Tribus , mystice vero quia Paulus de tribu Benjamin inquiunt Doctores , fuit dominator Gentilium per doctrinam Christi. Ad ult. vidua eatenus dicitur etiam victa, quatenus mulier sine marito quasi nihil est in republica; suum quippe amittendo maritum , amittit robur & fortitudinem ; Græci tamen legunt viduam ; sicut Ambrosius , Augustinus Chrysostomus, & alii.

*Insistunt* : Ecclesiast. 16. habetur : *Misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum* . Sed in græco non est vox *meritum* : Igitur est mutatio substantialis , Confirmatur : Ephes. 5. de Matrimonio habetur : *Sacramentum hoc magnum est* . In græco vero , *Mysterium*: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo minorem : Non est vox *meritum* formaliter seu litteraliter in

græco, concedo: non est æquivalenter nego. Meritum est nomen latinum, sed verbum grecum *CataKerga*, idem significat, scilicet pro meritis operum. Ad confirmationem, mysterium apud Grecos & Latinos idem est ac Sacramentum.

*Solvuntur objectiones, ex aliis principiis petitæ.*

OPPONUNT: Sixtus V. absoluta Vulgatę emendatione, affirmavit suam editionem esse purissimam, & prohibet sub anathematis interminatione, ne quis in posterum aliquid vel adderet, vel detraheret: & tamen Clemens VIII. biennio elapso, alternata vice, eam emendavit, mutatis locis plusquam 2000. Igitur nihil certi apparet in Vulgata.

*Respondeo* distinguendo: Et istę mutationes erant leves, concedo: si quę autem substantiales inventę sint, purgatę fuerunt a Sixto V. Et erant graviores, nego. Porro cum Clemens VIII. summus esset Pontifex, poterat etiam quædam emendare ad majorem claritatem: & si quę adhuc mutationes inveniantur, parum est: unde cum Theologus quidam representasset, multa superesse corrigenda, Congregatio die 17. Januarii an. 1556. vel 1576. declaravit hoc esse falsum, & propositio Theologi longe facta est.

*Reponunt*: Concilium Trid. non potuit declarare authenticam Vulgatam: Ergo &c. Probatur Antecedens. Illa editio non potuit declarari ut authentica, in qua postea Sixtus V. & Clemens VIII. multa mutavere, & declararunt esse mutanda: Atqui res sic se habet: Ergo &c.

*Respondeo* negando Antecedens. Ad probationem distinguo: Multa mutanda lęvia invenerunt, concedo: multa essentialia, subdistinguo: in codicibus ab originali promanatis, & hoc ignorantia, aut incuria Librariorum, vel etiam scribarum, concedo: In ipso originali, nego. Aliquid potest dici authenticum tripliciter. I. In originali. II. In exemplari. III. Jure & auctoritate publica: Omnibus modis Vulgata habetur ut authentica. In primoquidem sensu patet: In exemplaribus utique; si quidem nęvi, aut nulli, aut leviores comperti sunt: vel si essentiales, emendati sunt per alios priores. III. Denique modo, namque Constitutiones Justiniani, & Jurisconsulti dixere Vulgatam authenticam & fidelem, ut illam secernerent, tum ab Itala quæ erat potius Epitome quam integra Scripturæ interpretatio, tum ab aliis quæ vel erant defloratæ in gravissimis punctis, vel suspectæ, vel saltem auctoritate publica nondum receptæ.

*Contra*: Vulgata differt a pluribus ab originali græco & hebręo: Ergo &c.

*Respondeo*, Sufficere eam in sententiis cum textibus originalibus convenire.

*Replicant*: Synodus Trid. declarando Vulgatam authenticam, declaravit etiam omnes ejus partes, vel etiam levissimas de fide: Atqui tamen ex dictis constat in multis partibus saltem levioribus deficere, cum postea jussu Clementis VIII. repurgata sit: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Declaravit illam authenticam esse quoad sensum & sententias, concedo: quoad verba & litteras, nego. Alias ne quidem versio Septuag. aut aliæ præter solam hebræam, forent authenticæ, quandoquidem verbis & phrasibus differunt; qualibet enim lingua suos habet speciales scribendi modos, suaque diversa idiomata. Cæterum, sicut in Synagoga erant Prophetæ & Doctores, qui genuinum determinarent Scripturæ sensum, ut nullus in fide occurreret error, sic & a Christo nato adsunt summi Pontifices, Concilia & Symbola ad declaraudum quid sit de fide in Scriptura tenendum, quid non, & sic semper intacta mansit fides.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Vulgata est authentica.*

PRIMO: Hoc ipsum de fide declaravit Synodus Tridentina sess. 4.

*Secundo*: Eam uti optimam habent omnia ferme Concilia, quę ea utuntur, tum in explicandis, tum in definiendis fidei dogmatibus.

*Tertio*: Tamquam integra & omnibus numeris absoluta celebratur a D. Hieronymo, tum a S. Augustino lib. 2. de doct. Christ. cap. 15. a D. Greg. lib. 20. Moral. cap. 24. &c.

SY-

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESOLUTIONUM.

PRIMO: Vulgata differt quidem aliquando a versione Septuag.; nonnumquam etiam ab hebræo textu, sed salva dogmatum & rerum notabilium essentia.

*Secundo*: Nec quemquam movere debet, quod a Pio V. ab omni nævo expurgata declarata sit, & tamen ulterius a Clemente VIII. rursus emendata legatur; iterata enim correctio non nisi leviora spectat: parum autem pro nihilo reputatur.

*Tertio*: Non negamus Vulgatam quoad omnes partes declaratam esse authenticam, & de fide: Ergone non erat authentica tempore S. Pii V. qui illam declaravit authenticam, cum postea Clemens VIII. a quibusdam aliis mendis eamdem purgaverit? absit dicere. Correcta enim a S. Pio, mansit quoad sensum & sententias ab omni labe pura.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

*De Chronologia Scripturæ sacræ.*

IN Libris sacris maxime V. T. sæpius fit mentio de annis Patriarcharum, Judicum, Regum, nec non & de tempore quo Prophetæ annuntiaverunt Christum, & alia religionem, aut mores instituendos spectantia: neque vero levioris est momenti texere historiam prædicationis S. Joannis Baptistæ, peregrinationum S. Pauli, & rerum similium, ut veritas Evangelii & prædicationis Apostolorum inconcussa permaneat: Quia vero Chronologia textus Septuag. alias magni ponderis, longe differt ab ea quam sequitur Hebræus, operæ pretium est unum ex duabus seligere. Ne igitur Lector scrutando Scripturas, aut cæcutiat, aut intempestive sæpius sistat gradum, Chronologiam, ut quæstionem ad Libros canonicos intelligendos præambulam hic movere juvat.

§. I.

*Utrum Chronologia textus Hebraici præponderet Chronologiæ versionis Septuaginta.*

CODEX græcus Septuag. qualis nunc asservatur, supra textus hebræi calculum 1500. circiter annos addit, quod intricatissimas a creatione mundi ad Christum usque invexit difficultates, maxime vero cum non una sit circa istud momentum omnium sententia. Verum enim vero ex his qui septuaginta Seniorum adhærent calculis, quidam a creatione mundi usque ad Christi nativitatem numerant 5493. annos; sic Græci Antiocheni: nonnulli 5501. ita Græci Alexandrini; Aliqui 5509. ut græci Constantinopolitani; aliqui etiam cum Paulo Petrono recensent a mundo condito usque ad natale Christi annos 5878. Non minus vero inter se dissident qui propugnant chronologiam textus hebræi. Et vero multi cum Petavio a creatione mundi ad natum usque Christum computant 3983. annos; non desunt qui cum Usserio numerent annos 4003. quidquid sit de discrepantia leviori quæ intercedit inter auctores, qui chronologiam, vel Textus hebræi, vel græci Codicis LXX. adoptant, unum tantummodo momentosum occurrit solvendum, scilicet cui ex illa duplici chronologia insistere debeamus? Unde fit

CONCLUSIO.

Standum est Chronologiæ textus hebræi.

*Probatur multis momentis.*

PRIMO: Illi chronologiæ standum est, quæ in immensum alteri præponderat: Atqui chronologia textus hebræi in immensum præponderat chronologiæ Codicis græci, qualem nunc habemus; Et probatur. Primigenii fontes e quibus cætera fluunt, in immensum præponderant omnibus qui ab ipsis promanant, juxta illud axioma, *quod est per se primo tale, cætera non sunt talia nisi per ordinem ad illud*. Atqui, nemine refragante, textus hebræus est primigenius, & ab eo fluxit Ver-

versio Septuag. Hinc si quid dissonum in isto reperiatur, per alterum emendandum est: Ergo &c.

*Hæc* ratio est divi Augustini qui lib. 15. de civitate Dei cap. 13. sic loquitur: " Recte fieri, nullo modo dubitaverim, ut cum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque non potest esse verum, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio."

*Secundo*: Illa chronologia longe anteponenda est chronologiæ textus græci, quæ a sacra Synodo Tridentina authentica declarata est, nusquam vero altera: Atqui chronologia textus hebraici a Tridentino eatenus genuina declarata fuit, quatenus sessione 4. Vulgatam latinam non græco, sed hebræo textui per omnia consonam definivit authenticam esse: Ergo &c.

*Tertio*: Pro isto momento audiendæ sunt Paraphrases antiquæ & sancti Patres in indagandis sacris Scripturis omni exceptione majores: Atqui & Paraphrases, & Patres in sacris Scripturis enodandis versatissimi, hebraicæ adhærent chronologiæ: Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes. Chaldaica Paraphrasis Onkeli, Syriaca & Arabica versio, sicut & nostra Vulgata concinunt cum chronologia textus hebraici. Tum ex professo Hieronymus lib. qq. hebraicarum in Genesim, S. Augustinus lib. 15. de civitate Dei cap. 11. & 13. Venerabilis Beda qui præfatione libri de temporum ratione, reddens rationem cur ab Eusebii chronologia recesserit, ait: " Ego confidenter profiteor, quia non reprehendo veteres Chronographos, qui translationem LXX. Interpretum modo secuti sunt, modo, pro ut libuit probantur habuisse contemptui, sicut etiam in processu hujusce opusculi nostri monstrabitur. Sed omnibus his hebraicæ veritatis integram præfero puritatem: quam præeminentissimus Doctorum Hieronymus in libris hebraicarum quæstionum, Augustinus in libris de civitate Dei, Eusebius ipse Chronographus in tertio historiæ Ecclesiast. libro ex verbis Josephi historici adversus Apionem grammaticum scribentis breviorem temporum seriem, quam in Septuaginta editione vulgo fertur contineri, approbant."

*Quarto*: Chronologia ea sola authentica & Codici græco anteponenda, quæ a Moyse primo scriptore Canonino ad nos usque inviolata & permansit, & transmissa est; veritas quippe una censetur: Atqui Chronologia hebraica, simul cum suo textu ita perseveravit. Et probatur multis momentis. Primo quidem, ad Chistum usque talis erat, cum vel ipse Christus non semel dimittat Judæos ad Scripturas quæ de illo loquebantur, quique toto textu hebræo utebantur; hoc autem dubio-procul non fecisset, si compertum habuisset textum primigenium fuisse defloratum. Secundo, ipsi Judęi ad fidem conversi primi sæculi, maxime tempore Apostolorum vitia tanti momenti arguere non omisissent. Tertio, sancti Patres qui primo & altero scripserunt sęculo, Judęos deflorasse textum hebraicum, nusquam insimularunt. Quarto, neque hoc ipsum potuerunt facere Judęi: quomodo enim in toto orbe hinc inde dispersi una erumpente conspiratione Codices varios, quos prę oculis habebant, adulterassent, maxime cum huic diligentiæ in describendis Libris sacris indefesso labore ita studuerint, ut in libro *Sopherim* seu scribarum cuncta observaverint de maximis & minimis pręceptis ad genuinam Scripturę descriptionem requisitis, de litteris majusculis & minusculis, suspensis, vel etiam intortis &c. sicut observat Morinus lib. 2. de hebręi gręcique textus sinceritate exercitatione 14. cap. 3. Ergo &c.

*Quinto*: Fides pro isto momento adhibenda est Masoretis, seu Rabbinis Scholę Tyberiadis ex Judęis Christianis, qui versus quintum sęculum juxta multos Criticos, vel ad summum octavo sæculo secundum Thomassinum in Glossario hebraico florebant, qui quidem cuncta Scripturæ capita, versus, vocabula, radices, immo & litteras herculeo labore & accuratissimo criterio cribrarunt, ut sacram Scripturam ab omni erroris nævo immunem redderent: Sed certe illud opus ad metam textus hebraici elaboravere: Ergo &c.

*Sexto*: Illius textus calculi græci anteponendi sunt, quorum auctoritas indivisim a tex-

a textu non semel eo ponderis gradu propugnata est, ut ab eis detrahentes in gratiam Græcorum codicum propulsi sint: Atqui res sic se habet. Et probatur: Congregatio sacra stylo suo censorio perstrinxit sancti Juliani Archiepiscopi Toletani librum, ex eo quod non nihil detraheret a calculis textus hebraici. Nota censoria legitur teste Malvenda lib. 2. de Antichristo cap. 8. in margine operis sancti Juliani. In editione posteriori operum Bibliothecæ Patrum habetur. Eadem Congregatio eadem ducta ratione abjecit annotationes, quas Antonius Contius Doctor Bituricensis in Chronologia Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani edidit. Nota censoria tomo 7. Bibliothecæ Patrum edit. Paris. an. 1585. in Chronologia Nicephori affixa legitur. Quid plura adjiciam? Sacra Bibliorum Congregatio sub Greg. XIV. cujus acta manuscripta Romæ in Bibliotheca Dominicanorum asservantur, statuit ut in castigandis sacris Libris, quotiescumque codices græcos inter & hebræos aliqua occurrit dissonantia, codices hebræi græcis semper præponantur, juxta sancti Augustini regulam supra commemoratam lib. 15. de civit. Dei cap. 13. Ergo &c.

*Septimo*: Ubi nonnullæ in textibus comperiuntur mendæ, dubio-procul ille textus alteri præponendus est, in quo vel levissimæ contingunt: Atqui nonnisi leviores comperiuntur in textu hebraico, gravissimæ vero in Codice græco: Ergo &c. Minor patet quoad priorem partem, suffragante omnium pene scriptorum testimonio, maxime vero cum Vulgata nostra hebræo consona authentica declarata sit. Probatur igitur quoad posteriorem duobus potissimum momentis. Primoquidem, Chronologia textus græci qualem habemus, Patriarchis primæ & secundæ ætatis multas addit annorum Centurias, quæ in Vulgata ad hebreum concinnata desunt. II. Refert Mathusalem vita functum annis 14. post diluvium elapsis; quod & textui hebraico & vulgatę nostrę prorsus adversatur. Immo & 1. epist. beati Petri cap. 3. ubi expresse dicitur, octo tantum animas, videlicet Noemum cum sua uxore & tres ejus filios cum tribus vicissim uxoribus universalis diluvii exterminium evasisse.

*S. Hieronymus*, hanc mendam probat ex professo lib. qq. Hebrai. in Gen. & eo ütitur argumento, ut probet calculos hebraicos gręcis esse anteponendos. Sic enim concludit relata Codicis greci defloratione: „ Quomodo verum est quod octo „ tantum animæ in arca salvę factę „ sunt? Restat ergo ut quomodo in ple„ risque, ita & in hoc sit error in nu„ mero: si quidem & in hebræis, & „ Samaritanorum libris ita scriptum reperi: „ & vixit Mathusala centum octoginta sep„ tem annis & genuit Lamech. Et vixit „ Mathusala postquam genuit Lamechse„ ptingentos octoginta duos annos, & ge„ nuit filios & filias, & fuerunt omnes „ dies Mathusala anni nonaginta sexagin„ ta novem, & mortuus est. „ Coucinit S. August. lib. 15. de civ. Dei cap. 11.

## §. II.

*Proponuntur fundamenta quibus innixi quidam Theologi, calculum textus hebraici abnuunt.*

Objiciunt: Illa Chronologia est abjicienda, in qua gravissimę scatent mendæ: Atqui res sic se habet in Chronologia hebræa qualem nunc habemus: Et probatur. LXX. Seniores, juxta primigenium textum hebraicum, cujus exemplaria ab omni labe pura prę oculis habebant, scripserunt: Atqui tamen Chronologia Septuag. superat alteram 1500. anuis: Igitur textus hebraicus, qualem simul cum sua Chronologia habemus, discrepat a primigenio, & fuit vitiatus.

*Respondeo*, negando minorem, propter rationes in probationibus laudatas. Ad primi syllogismi confirmationem, distinguo majorem: Et textus gręcus mutatus est, concedo: & non fuit, nego. Pie credimus versionem Septuag. Primigeniam hebręo originali fuisse prorsus consonam, sed eam fuisse ex industria vitiatam asserit Augustinus lib. 15. de civ. Dei cap. 13. Nec levior est de hoc suspicio: sic enim factum fuisse probabile est, ne Ptolomeus Rex paganus fidem adhibere Scripturis renuisset, si Patriarchas tot annorum centurias in sua complevissent vita, & senio veluti confectos adhuc prolem genuisse

scri-

scriptum legisset. Quia vero unusquisque diversas apud gentes suum computandi modum callet, servato in qualibet sententia annorum numero, alii annum in senio lunæ cujuslibet definitum habuerunt, ut Ægyptii apud Plutarcum in Numa, Plinium lib. 7. & Diodorum Siculum in Bibliotheca; alii quasdam centurias vitis Patriarcharum antediluvianorum addiderunt, a quo quidem calculo in posterioribus ætatibus abstinuerunt, cum translacto diluvio juxta Omnipotentis edictum, vita hominis intra 120. annos vulgo concluderetur; hinc siqui istum superaverint numerum, de via extraordinaria factum est; lex enim generalis aliquam suscipit exceptionem; & sic absque negotio, addo & stupore, vitæ & generationes Patriarcharum primæ & secundæ ætatis compositæ sunt.

*Ecce* verba Augustini: „ Itaque illa diversitas numerorum aliter se habentium „ in codicibus græcis & latinis, aliter in „ hebræis, ubi non est ista de centum an„ nis prius additis, & postea detractis per „ tot generationes continuata parilitas; „ nec malitiæ Judæorum, nec diligentiæ, „ vel prudentiæ septuaginta Interpretum, „ sed Scriptoris tribuatur errori, qui de „ Bibliotheca supra dicti Regis codicem „ describendum primus accepit ..... Ni„ mirum cum vellet persuadere, qui hoc „ fecit, ideo numerosissimos annos vixis„ se antiquos, quod eos brevissimos nun„ cupabant: & hoc de maturitate puber„ tatis, qua idonea filii gignerentur, co„ naretur ostendere; atque in illis cen„ tum annis decem nostros insinuandos pu„ taret incredulis, ne homines tandiu vi„ xisse recipere in fidem nollent, addidit „ centum, ubi gignendis filiis habilem non „ invenit ætatem: eosdemque post geni„ tos filios, ut congrueret summa, detra„ xit. Sic quippe voluit credibiles facere „ idonearum generandæ proli convenien„ tias ætatum, ut tamen numero non „ fraudaret universas ætates viventium „ singulorum. Quod autem in sexta gene„ ratione, id non fecit, hoc ipsum est „ quod magis movet, illum ideo fecisse, „ cum res, quam dicimus, postulavit, „ quia non fecit, ubi non postulavit. „ Invenit namque in eadem generatione „ apud hebræos vixisse Jareth, antequam „ genuisset Enoch, centum sexaginta duos „ annos, qui secundum illam rationem „ brevium annorum fiunt anni sexdecim, „ & aliquid minus quam menses duo: „ quæ jam ætas apta est ad gignendum, „ & ideo addere centum annos breves, ut „ nostri viginti sex fierent, necesse non „ fuit: nec post natum Enoch eos detra„ here, quos non addiderat ante natum. „ Sic factum est ut hinc nulla esset inter „ codices utrosque varietas. „ Paulo ante de eadem dissonantia loquens, ait: „ Vi„ detur habere quamdam, si dici potest, „ error ipse constantiam, nec casum re„ dolet, sed industriam. „

*Hac* responsione variis adornata distinctionibus, omnes Scripturæ sacræ conciliantur Chronologiæ: Augustinus tamen lib. 15. de civit. Dei cap. 13. probabilius existimat codicem græcum primitus fuisse hebræo prorsus consonum, his verbis: „ Credibilius ergo quis dixerit, cum pri„ mum de Bibliotheca Ptolomæi describi „ ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri „ potuisse in codice uno, scilicet primitus „ inde descripto, unde jam latius ema„ naret, ubi potuit quidem accidere et„ iam Scriptoris error. „

*AKibah* Rabbinus qui secundo vivebat sæculo, quique Barcochebath veluti Messiam habebat, ut se a Christianorum argumento, quod Judæorum jugulum petebat, expediret, Messiam scilicet venisse juxta Prophetas quarto mundi millenario, addidit Chronologiæ hebrææ 1500. annos, ne eventus probaret veritatem, contendens juxta Chronologiam sic accommodatam, Christum Messiam, nonnisi sexto aut septimo millenario expectandum, sicque prophetias in Jesu Nazareno adimpletas negari. Sed vel ista Rabbini Chronologia ad metam regulæ sancti Augustini componenda est; vel potius dicendum Chronologiam AKibah prorsus adversari genuinæ Synagogæ opinioni, quandoquidem ex Tractatu *Sanhedrin* quarta mundi ætate debuit nasci Messias. Quid plura pro eodem adjiciam momento? Antequam *Talmud* Babylonicum esset a Rabbinis septimo Ecclesiæ cadente sæculo editum, sicut ex Judæorum traditionibus colligit R. P. Morinus lib. 2. exercitatione 6. cap. 4. nulla erat apud Judæos traditio de nasciturо Messia in tali vel tali ætate; cujus rei hæc est irrefra-

refragabilis ratio, quod inter Judæos & Christianos nulla umquam mota sit de hoc controversia primis sæculis: non quidem primo, ut liquet ex Scriptis Apostolorum & ex Concilio Jerosolymitano, ubi disputatum est de legalibus inter Judæos & Gentiles ad fidem conversos: Sed neque secundo, cum, teste Eusebio lib. 3. historiæ cap. 31. & lib. 4. cap. 8. multi tunc temporis extarent Christiani Judæi in lingua hebræa exculti, qui pro virili & ex Religionis zelo hunc errorem debellare non cessassent.

*Ex* his sequitur fidem non esse adhibendam Abulpharagio auctori Arabo qui ante annos solum quadringentos scripsit historiam Dynastiarum, dum Dynast. 7. propugnat Judæos ætatem Messiæ ad septimum circiter milliarium protraxisse, ut incautis suadeat nondum venisse Mediatorem, sicque prophetias tanto claritatis apparatu factas, in Jesu Nazareno non fuisse adimpletas, sed in futuro & expectato Redemptore adimplendas. Ecce verba fabulantis: " Cum prænuntiatum esset in lege & Prophetis de Messia, missum iri ipsum ultimis temporibus, nec aliud esset Rabbinis antiquioribus commentum, quo Christum rejicerent, quam si hominum ætates, quibus dignosceretur mundi Epocha, mutarent, subtraxerunt de vita Adami, donec nasceretur Seth, centum annos, eosque vel quo tempore vitæ ipsius addiderunt; idemque fecerunt in vitis reliquorum Adami filiorum usque ab Abrahamum. Atque ita factum est, ut indicat eorum computus, manifestatum esse Christum millenario quinto, prope accedente ad medium annorum mundi, qui omnes, secundum ipsos futuri sunt septies mille. Dixeruntque: nos adhuc in medio temporis sumus, & nondum adest tempus adventus Messię designatum. " Auctor antiquitatis restitutę Dynast. 7. sic refert Abulfaragii testimonium.

*Mitto* Chaldęorum seu Babyloniorum, tum Ægyptiorum & Synarum ementitas Chronologias. Dyodorus Siculus lib. 11. primorum, his verbis recenset fabulas *Chaldæi*: " Ad expeditionem Alexandri, in Asiam quadraginta & septuaginta duo millia numerant, ex quo sidera observari ceptum sit. "

*Ægyptii* quoque mendacissima vanitate centum annorum millia numerabant, ex quo rationem siderum comprehendebat Ægyptus, ut observat S. Augustinus lib. 18. de civit. Dei cap. 40. ex quo liquet observationes astronomicas juxta diversos conceptus & Arithmeticę numeros pro annis habuisse. Synenses historiographi, maxime Confutius Synarum Philosophorum Princeps, multa nedum falsa, sed & absurda, addam & irridenda scribunt, quippequi ante Fohi tempora plurima annorum millia numerent: narrant quoque tres Imperatores extitisse, primum cœli, secundum terrę, tertium hominum, & horum quidem fratres alios aliis successisse per annos amplius quadraginta novem millia. Sic refert P. Alexander Historię Ecclesiasticę veteris Testamenti dissert. 8.

*Instant*: Textus Samaritanus ad Hebręum concinnatus est a Sacerdote ex Ninive Samariam misso, anno circiter primo aut secundo captivitatis Ninives, qui doceret gentes Regnum Isreal occupantes modum colendi Deum, eo quod propter impietatem a leonibus discerperentur: Sed ille textus calculis Septuaginta innititur: Igitur textus hebręus in Chronologia fuit desloratus.

*Respondeo* distinguendo majorem: Et textus Samaritanus primigenius ipse fuit vitiatus, nusquam vero hebręus, concedo: secus, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Illam mutilationem non unum probat argumentum. Primo quidem S. Hieronymus lib. qq. q. 4. Hebraic. in Gen. testatur se legisse in Pentateuco Samaritanorum, Mathusalem genuisse Lamechum anno ætatis suæ 187. & tamen in textu Samaritano quem Morinus e tenebris excerptum tandem dedit, & qualis habetur in Polyglotta Anglicana, Mathusalem dicitur annorum solum 67. provectus quando Lamechum procreavit: Josephus Scaliger etiam affirmat in exemplari Samaritano, quod præ manibus habebat, Mathusalem annos 77. habuisse quando genuit Lamechum: quæ quidem discrepantiæ non unam aut alteram mendam circa calculos in textum Samaritanum irrepsisse demonstrant.

Incas-

*Incassum* Seldenus præfatione in Marmora Arundeliana, ait S. Hieronymum dissentire cum Eusebio in numerandis calculis Samaritanorum, cum indefesso labore in hoc insudaverit, maxime in discutiendis annis Mathusalem: inde ergo solum sequitur alia fuisse exemplaria Samaritana Hieronymi, alia Eusebii; quin immo Codicem Samaritanum in annis Patriarcharum ante diluvium interpolatum fuisse nullus negat, aut saltem negare potest; namque a creatione mundi ad diluvium usque in Codice Samaritano numerantur tantum anni 137. quem quidem numerum contractiorem esse omnes Chronologi ultro fatentur: quid ni igitur & fuisset defloratus in annis Patriarcharum post diluvium: nec desunt qui affirment Samaritanos in odium & contemptum Judæorum in multis textum suum mendis aspersisse.

*Urgent*: De facto graves mendæ in textu hebræo comperiuntur, quæ in Codice græco non reperies: Ergo &c. Probatur antecedens. A diluvio ad nativitatem usque Phaleg, quo tempore gentium dispersio per universum orbem facta est, in hebræo centum dumtaxat numerantur anni; ab hoc vero eventu juxta S. Augustinum lib. 16. de civit. Dei cap. 11. verius illa tempora Nembrodus Babyloniorum Regnum erexit: Sed incredibile est tres Noe filios intra centum annos tantum hominum numerum procreasse, qui regnis condendis, propagandisque coloniis sufficeret: cum septuaginta capita, Jacob scilicet, ejusque filii & nepotes, ducentorum & quindecim annorum intervallo, quo in Ægypto versati sunt, sexaginta dumtaxat hominum millia non sine bene dictione speciali genuerint.

*Secundo*: Textus hebræus omittit Cainam juniorem Patriarcham, de quo tamen fit mentio in Codice græco, & Luc. 3. his verbis: *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*. Ergo &c.

*Tertio*: Demum Psalmo 20. hebræus textus legit: *Foderunt manus meas, & pedes meos*. Judæi in suis codicibus scripserunt: *Sicut leo manus meas, & pedes meos*. Loco *Caru*, quod significat, *foderunt*, posuere *Caari*, quod significat, *sicut leo*: Igitur textus hebræus fuit adulteratus.

*Quarto*: Ita propugnant Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. 3. cap. 24. Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 3. Origenes homil. 12. in Jerem. Chrysost. hom. 5. & 9. in Matth. Julianus Toletanus Archiepiscopus lib. 1. & 3. contra Judæos: Ergo &c.

*Respondeo* I. Controversiam præsentem nonnisi de calculis moveri, quę ad fidem saltem directe non pertinet, nusquam vero de substantia, circa quam nihil momenti reperies in textu hebræo: quod quidem potest illustrari sententia Psalmi vigesimi laudata: *Foderunt manus meas &c.* Hæc enim, *Sicut leo manus meas, & pedes meos*; in re consentit: utramque enim lectionem hebræorum libri habuerunt; ut vel ipsi Masoretæ fatentur, & in parva Masora traditur, vocis ipsius, *Caari*, significationem in idem, ac significationem vocis, *Caru*, recidere, quod nempe leo, sive unguibus, sive dentibus, ad capiendam & vorandam prędam utatur, & carnes pungat & perfodiat.

*Solutio* est D. Hierouymi & Aug. prior epist. ad vitalem loquens de calculis, ait: „ Hujusmodi hęrere quæstionibus non tam „ studiosi, quam otiosi hominis esse. „ Rursus in cap. 3. epist. ad Titum hujus„ modi quæstiones appellat: " Inutiles & „ vanas .... Quid enim mihi prodest, *ait*, „ scire quot annos vixerit Mathusalem; „ quoto ætatis suæ anno Salomon sorti„ tus sit conjugem: ne forsitan Roboam „ *videcimo* ætatis illius anno natus esse cre„ datur? Et multa istiusmodi, quæ aut „ difficile est invenire propter librorum va„ rietatem, & dum paulatim de inemen„ datis inemendata scribuntur, errores ino„ litos; aut etiamsi inveniremus magno „ studio & labore, nihil profectura cogno„ vimus. " Cæterum comm. in cap. 6. Isaiæ ait exemplaria hebræa a Judæis non fuisse deflorata, cum nec Christus, nec Apostoli hujus proditionis illos non insimulaverint & arguerint.

*Alter* scilicet Augustinus lib. 13. de civit. Dei cap. 3. vindicat textus Hebræi authenticitatem, cujus verba jam jam supra teximus.

*Respondeo* II. ad primum quidem distinguendo: Et non dicit textus sacer divisionem Nationum factam cœpisse fieri eo præcise anno quo natus est Phaleg, concedo: secus, nego, Sequitur solum perdurasse

qua vivebat ętate, asse ea propter quod inquit Hieronymus in traditionibus hebraicis: „Heber vaticinio quodam filio suo Phaleg nomen imposuit, qui interpretatur *divisio*, ab eo quod in diebus ejus linguæ in Babylone divisæ sunt. „ Disputant tamen de hoc calculo Historiographi: quidquid sit Gen. 9. hanc Deus dedit hominibus, translato diluvio, benedictionem: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*. Igitur versus Phaleg tempora potuit fieri homines cito-citius & magis multiplicare propter exterminium diluvii, ut multiplicarentur terræ incolæ, quam ea ætate, qua Jacob cum filiis habitabat Ægyptum; maxime cum tunc non deessent orbi incolæ.

*Ad* secundum distinguo similiter: Textus hebræus omittit Cainam juniorem explicite transeat: omittit & textus Samaritanus ad hebræum concinnatus; implicite, nego. Dico implicite, eatenus de Cainan fecisse mentionem, quatenus Salee Cainan filium dicit ab Arphaxad progenitum, non dubio-procul immediate, quippequi esset ipsius Salee Patruus, sed mediante suo filio Cainan, quo sensu ad hodiernam usque diem filii alicujus, etiam patrui filii nuncupantur. Neque vero omittenda sunt quædam observatione digna, ut præter Cain primogenitum Adæ filium, duos distingui Cainan, unum scilicet filius Enos ut habetur Genes. 5. alterum vero filium Arphaxad, ut legitur Lucæ 3. porro Christus suam, ut homo, non duxit originem a Cain, cujus progenies in diluvio fuit extincta, verum potius a Seth filio Adam, a quo directe processit Noe, & per ipsum, transacto diluvio, cæteri homines. Neque prætereundum est personas easdem diversa in Scripturis sortiri nomina, quod non uno potest illustrari exemplo ad difficultatum solutiones. Sic 4. Reg. 23. Joachin antea Eliacim, fuit Rex Juda, & appellatur Melchi Lucæ 3. post ipsum vero constituitur Rex ejus filius Joachin 4. Reg. 24. qui & Jechonias nominatur Jerem. 37. Neri vero Luc. 3. 1. ei successit suus patruus Matthanias, qui & Sedecias vocatur 4. Reg. 24. demum Jechonias genuit Salathiel. &c.

*Ad* tertium ex dictis patet solutio, cum lectiones sententiæ laudatæ in substantia conveniant, & non nisi aliquam penes expressionem diversæ sint.

*Ad* quartum denique ita distinguimus: Et Patres pro objectione recensiti non loquuntur de textu hebræo primigenio, sed de versionibus textus hebræi in græcum Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi, qui hæreseos fuligine aspersi, Scripturam sacram suis translationibus contaminaverunt, concedo. Eas enim tametsi græcas, nominabant tamen hebræas, ex eo quod ex hebræo primitus emanarant, in quo quidem sensu Patres nonnumquam textum hebræum defloratum asserunt: & loquuntur de textu hebręo originali, nego. Sed hoc dato & non concesso, ceteris prævalet auctoritas SS. Hieronymi & Augustini, qui sunt, nullo diffitente, in indagandis sacris Scripturis omni exceptione majores.

## §. III.

### *Proponuntur difficultates speciales pro authenticitate cod'cis græci supra hebræum.*

Opponunt: Textus Septuag. hebræo prævalet textui: Igitur & calculus Codicis græci supra hebræum. Probatur Antecedens: Textus ab ipso Christo & Apostolis usui consecratus alterum in authenticitate superare debet: Atqui & Christus, & Apostoli & cæteri cum ipsis Christiani textu Græco utebantur; sic enim de hoc momento loquitur S. Augustinus l. 18. de civit. ca. 43. & quidem de versione Septuag. „ Hæcque Septuag. est, tamquam „ sola esset, sic recepit Ecclesia, eaque „ utuntur Græci populi Christiani, quo- „ rum plerique utrum alia sit aliqui igno- „ rant. „ Ibidem cap. 43. dicit esse inspiratam: Tum lib. 13. cap. 11. scribit non esse probabile Seniores timoratos in annis Patriarcharum sacras mutilasse Scripturas.

*Respondeo* negando probationem, & distinguo: Et usus Codicis græci ab ipso Christo & Apostolis consecratus hoc unum tantummodo probat Codicem græcum primigenium non fuisse defloratum, & non obstantibus calculorum mendis permansisse quoad substantiam optimum, concedo; superare in authenticitate Hebræum, nego. Contrarium enim sacra Synodus Tri-

Tridentina declaravit: quia vero tempore Christi lingua græca erat vulgaris, & plurimum usitata, eo quod vix Romani suo asciverant Imperio Judæam, ideo non curando de calculis, Codici græco adhæserunt. Nec quicquam roboris detrahit a nostra sententia auctoritas sancti Augustini, cum arguat solum Codicem græcum magni fuisse ponderis: & vero re maturius considerata, simul cum Hieronymo juxta sanioris critices legem pro textu hebræo stetit.

*Instant*: De Scripturarum auctoritate, juxta Patrum & ipsius Ecclesiæ sententiam, judicare debemus: Atqui multi Patres apud Baronium in appar. ad Annales Ecclesiast. & Morinus lib. 1. de hebræi, græcique textus genuinitate, Codicem græcum hebræo anteponunt: immo Ecclesia Romana in Martyrologio adhæret calculo LXX. Seniorum ad annuntiandam Christi nativitatem: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo minorem: Et auctoritas SS. Hieronymi, & Augustini in hoc cæteris prævalet, concedo: & non prævalet, nego. Cæterum hæc quæstio de calculis levis est, cum qualibet natio in chronologia suo abundet sensu. Hinc sanctus Julianus supra laudatus lib. 1. & 3. Judæos urget magis secundum prophetias quam juxta calculum Septuaginta, cui adhæret. Hoc ipsum vel ipse declarat in sui operis argumento, quod exponit Ervigio Regi, his verbis: „ Ut primo hujus „ operis libro convincantur manifestis an„ te evidentibus signis veteris Testa„ menti, quibus sine aliqua supputatio„ ne annorum Christus Dei Filius non „ nasciturus, sed olim natus liquido de„ claretur &c. „

*Ad* aliud pro objectione momento distinguo: Et prævalet definitio Tridentini Martyrologio laudato, concedo; secus, nego. Quid plura? Non idem est pro omnibus & singulis Ecclesiis Martyrologium; quinimmo Ecclesia Romana alio quondam utebatur, quoad ab Heriberto Rosvveido Parisiis anno 1613. Typis fuit excusum, in quo quidem absque annorum numero ea sola verba habentur, *Nativitas Domini secundum carnem*.

*Urgent*: Sexta Synodus Oecumenica calculis Septuag. sua consignavit acta, namque a mundi origine usque ad illud tempus celebrati Concilii anni numerantur 6199. Ergo &c.

*Respondeo* I. Synodum laudatam appellari quidem sextam generalem, quæ tamen revera non fuit sexta Synodus generalis, sed potius pseudo-Synodus, dicta Trullana; vel quini-sexta, tempore Justiniani Imperatoris adunata, quæ dubio procul nullius est ponderis in Ecclesia Latina, ut probat Melchior Canus lib. 5. de locis Theologicis.

*Respondeo* II. distinguendo: Et definitio Concilii Tridentini alteri præponenda est, concedo; secus, nego.

*Replicant*: Josephus Judæos de hoc momento audiendus est, & post ipsum Philo: Sed prior lib. 1. antiquit. cap. 4. & 7. annos Patriarcharum ante diluvium numerat juxta græcum codicem, & post ipsum Philo: Ergo &c.

*Respondeo* I. ut supra, auctoritatem SS. Hieronymi & Augustini ac demum Concilii Tridentini in immensum aliorum auctoritates superare.

*Respondeo* II. ad auctoritatem Josephi, ipsum adhæsisse calculis textus hebræi, ut observat P. le Quieu cap. 5. partis 2. defensionis textus hebræi, & Fridericus Spahemius parte 2. cap. 3. chronologiæ sacræ. Et vero si annos, quos Josephus lib. 7. antiq. cap. 2. & lib. 10. cap. 11. numerat a creatione mundi usque ad templi ædificationem, quæ facta est anno 4. Salomonis, accurate quis supputare velit, reperiet, a mundo condito usque ad fabricam templi effluxisse dumtaxat, juxta calculum Josephi 3045. annos qui Josephi calculus consentit cum Epilogismo Hebræorum. Secundo, idem Josephus lib. 1. contra Apionem cap. 2. ab exordio mundi ad Moysis obitum usque numerat tria prope annorum millia: Sed si adhæsisset calculis Septuag. numerasset usque ad Moysis obitum quatuor annorum millia.

*Ultro* tamen fatemur textum Josephi nonnihil depravatum fuisse a Græcis in calculo annorum Patriarcharum ante & post diluvium. Revera quidem lib. 1. Antiq. cap. 4. a creatione mundi ad diluvium usque assignatos 2656. annos, & tamen in eodem prorsus capite textus hodierni solum 2256. numerantur. Rursus Josephus a diluvio usque ad Abrahæ nativitatem

in

in priori textu, computat tantum 292. annos; in præsenti vero conficiunt annorum summa à 992. quocirca Morinus lib. 1. de Hebræi, Græcique textus genuinitate exerc. 7. cap. 1. scribit quemdam sciolum textui primigenio Josephi centum addidisse sententias.

*Jam* ad Philonem convertitur oratio. Testantur Sixtus Senensis lib. 5. Bibliothecæ sanctæ, tum & Becciolius lib. 7. chronologiæ reformatæ cap. 2. illum Judæum in componendis Patriarcharum annis Hebræorum adhæsisse calculo, neque vero contrarium probari potest ex libro, qui *de temporibus* inscribitur, quippequi falso tribuatur Philoni; quandoquidem nec Eusebius lib. 2. hist. Eccl. cap. 18. nec S. Hieronymus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum inter opera Philonis illum commemorant; & merito: tot enim mendis & fabulis a capite ad calcem usque opus refertum est, ut inter eruditos nemo dixerit esse sapientissimi Philonis fœtum.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Adhærendum est pro Chronologia Scriptura calculo hebrai textus.*

PRIMO: Quia alii textus, ne quidem excepto Septuaginta ab hebræo veluti ex primigenio fonte promanarunt, ut docet S. Aug. lib. 15. de civit. cap. 13. ex quo concludit Hebræo textui adhærendum esse.

*Secundo*: Juxta inconcussam S. Hieronymi regulam, quoties vel alii textus, vel etiam versiones defloratas esse animadvertitur, correctio & emendatio facienda est recurrendo ad textum Hebræum velut ad primigenium & immaculatum, quod argumentum est, illum cæteris præponderare.

*Tertio*: Sic definivit Synodus Tridentina, quæ Vulgatam ex Hebræo concinnatam, omissis aliis textibus, authenticam declarat. Suffragantur Hieronymus, Augustinus, Beda & alii.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Quandoque discrepant sententiæ textus hebraici a textu Septuaginta, sed solum in levioribus, & non quoad substantiam.

*Secundo*: Textus Septuag. ab Hebræo primigenio emanavit, & hoc probat ipsum decursu temporum in chronologia fuisse adulteratum, vel etiam ex intentione recta LXX. Seniorum in calculis fuisse mutatum, ne Rex Ptolomæus fidem non adhiberet Scripturis, quæ homines jam ætate provectos magnam filiorum copiam habuisse referrent: & sic absque mendacio aliquam annorum seriem detrahendo genealogiam Patriarcharum texuerunt.

*Tertio*: Non negamus Christum & Apostolos usos fuisse versione Septuag. non obstante calculorum dissonantia; tum quia res erat de sententiis Christum annuntiantibus, ad quas attenditur sensus, non præcise calculus: Tum quia lingua Græca erat familiaris, Hebræa vero Romanis Judææ illa ætate Dominis vix cognita.

# INTRODUCTIO
## *AD UNIVERSAM*
# SCRIPTURAM SACRAM.



ANC Scripturæ divinæ analyſim, antequam de ſingulis libris tractemus, exhibere juvat, ut Lector in uno veluti ictu ocui videat quid in quolibet Libro ſacro annotandum, quid pro myſteriis ſpeculandum, quid pro morum proborum inſtitutione rimandum animadvertat. Opus certe, nedum fidelibus in lectione Scripturæ delectantibus jucundum, ſed maxime Theologiæ candidatis, & ad ſacros ordines promovendis perutile. In hac rei gravitate nobis ſolis confidere non ſatis habuimus, ſed ex variis hinc inde manuſcriptis collectis, maxime ex fuſo tractatu Scripturæ quem modo tradimus, iſtam Synopſim congerere animus fuit.

*Quæres*: Quid ſit Scriptura ſacra?

R. *Eſt* verbum Dei ſcriptum quod continetur in Libris canonicis, tum veteris, tum novi Teſtamenti.

*Quare* Scriptura dicitur ſacra?

R. *Quia* fuit ſcripta dictante Spiritu ſancto.

*Scriptura Sacra* fuit ne dictata a Spiritu ſancto non ſolum quoad ſenſum, ſed etiam quoad verba?

R. *Quidam* tenent fuiſſe dictatam quoad utrumque; alii ſolum quoad ſenſum, cum ſpeciali tamen aſſiſtentia Spiritus ſancti, ita ut nihil ſit in ea falſum, aut indecorum.

*Quotuplex* ſenſus Scripturæ?

R. *Duplex*: litteralis & myſticus.

*Quid* eſt ſenſus litteralis?

R. *Eſt* ille quem littera ipſa exhibet, ſeu quem proxime verba oſtendunt; dicitur etiam hiſtoricus, quia refert hiſtoriam rerum geſtarum.

*Quid* ſenſus myſticus?

R. *Eſt* ille qui reconditur ſub rebus per verba ſignificatis, unde myſticus idem eſt ac occultus.

*Quotuplex* ſenſus myſticus?

R. *Triplex*, allegoricus, tropologicus ſeu moralis, & anagogicus.

*Quid* allegoricus?

R. *Eſt ille* quo explicantur Scripturæ per ordinem ad Eccleſiam militantem.

*Quid* tropologicus?

R. *Eſt* ille quo explicantur Scripturæ per ordinem ad mores.

*Quid* ſenſus anagogicus?

R. *Eſt* ille quo explicantur Scripturæ per ordinem ad Eccleſiam triumphantem: hoc videre eſt in illo verbo, *Jeruſalem*; ſumitur enim litteraliter pro civitate Palæſtinæ; allegorice, pro Eccleſia militante; anagogice pro Eccleſia triumphante; tropologice, pro anima juſti.

*Scriptura* ſacra eſt ne abſolute neceſſaria?

R. *Si* defuiſſet Scriptura, traditio fuiſſet ſufficiens regula fidei, unde colligitur duplicem eſſe fidei regulam mortuam; ſcripturam ſcilicet, & Traditionem.

*Quid* eſt Traditio divina?

R. *Eſt* verbum Dei non ſcriptum, ab Apoſtolis quaſi per manus tranſmiſſum: auctoritas autem traditionis probatur præſertim ex illo Epiſtolæ 2. ad Theſſalonicenſes 2. *Tenete Traditiones quas accepiſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam.*

*Aſſigna* quaſdam Traditiones divinas?

R. *Tales* ſunt v. g. quod Libri canonici ſint verbum Dei, quod Symbolum Apoſtolo-

ftolorum fit canonicum; quod fint feptem Sacramenta.

*Nonne* etiam in veteri Teftamento erant Traditiones divinæ?

R. *Affirmative*, v. g. de Libris canonicis illius temporis: de remedio contra peccatum originale, &c.

*Præter* Traditiones divinas, nonne funt & aliæ Traditiones?

R. *Sunt* duplicis generis, nempe Apoftolicæ & Ecclefiafticæ.

*Quid* eft Traditio Apoftolica?

R. *Eft* obfervantia facra & falutaris ab Apoftolis viva voce tranfmiffa ad ritus religiofos, morefque fidelium formandos. Tales funt aquæ benedictio, fignum crucis, jejunium quadragefimale &c.

*Quomodo* differunt Traditiones divinæ ab Apoftolicis?

R. *Traditiones* divinæ aliquando etiam Apoftolicæ vocantur, quatenus per Apoftolos tranfmiffæ funt: Sed differunt ab eis quæ dicuntur proprie Apoftolicæ, quod iftarum Apoftoli fint auctores, divinarum vero, Deus.

*Quid* Traditiones Ecclefiafticæ?

R. *Sunt* obfervantiæ falutares quæ fenfim obtinuerunt vim legis, vel laudabilis & fpontaneæ confuetudinis, antiquis Ecclefiæ Prælatis, tacite, vel expreffe approbantibus: Tales funt v. g. jejunium quatuor temporum, benedictiones cinerum, abftinentia a carnibus certis diebus &c.

*Quid* eft Biblia facra?

R. *Eft* collectio Librorum Deo auctore fcriptorum, qui complectuntur ea quæ contigerunt ante adventum Meffię, & in ejufdem adventu.

*Quare* Libri facri dicuntur canonici?

R. *Quia* in Ecclefię canone, aut catalogo recenfentur, & ab Ecclefia recepti funt, tamquam infpirante Spiritu fancto, confcripti.

*Quinam* funt Libri canonici?

R. *Omnes* qui in Vulgata Biblię editione continentur, preter orationem Manaffis, duos libros pofteriores Efdrę, id eft tertium & quartum, & duos pofteriores Machabęorum, qui propterea in fine Bibliæ extra feriem canonicorum fepofiti funt ut pote apocriphi.

*Quid* eft apocriphon?

R. *Idem* fonat ac occultum.

*Quid* intelligis per libros apocriphos?

R. *Libros* non folum quorum auctores funt occulti, fed etiam qui nufquam fuerunt ab Ecclefia recepti, fed potius reprobati.

*Libri* Canonici, quotuplicis generis funt?

R. *Duplicis*: alii dicuntur Proto-canonici, id eft, primarii; alii dicuntur Deutero-canonici, id eft, fecundarii: priores funt illi de quorum auctoritate in Ecclefia numquam a Catholicis dubitatum eft, pofteriores vero illi de quorum auctoritate aliquando a Catholicis dubitatum fuit, fed nunc non amplius dubitatur. Hi tamen libri in Ecclefia legebantur ad ędificationem, fed non admittebantur inter canonicas Scripturas, unde dicebantur Ecclefiaftici.

*Qua* lingua fcripti funt libri veteris Teftamentiti, numero 45?

R. *Omnes* illos Libros habemus hebraice fcriptos pręter Sapientiam, Ecclefiafticum, Tobiam, Judith, Machabęos, qui nunc grece exftant. Obferves tamen divum Hieronymum affirmare Tobiam vertiffe .... ex Chaldęo & Judith, & primum Machabęorum hebraicum fe vidiffe, fimiliter in Daniele, in Efdra & Jeremia quędam pars fuit chaldaice fcripta.

*Qua* lingua fcripferunt auctores novi Teftamenti, numero 27.?

R. *Omnes* gręce fcripferunt, excepto S. Mattheo, qui hebraice fcripfit, eo quod ad Hebræos fcriberet .... Nota quod fermo, quo utebantur Hebræi tempore Apoftolorum effet Syrus feu Chaldaicus; dicebatur tamen Hebræus, fed ab antiquo Hebræo diverfus, eo quod admiftum Chaldæum haberet. Si quæras cur Hebræi nomen retineret? Quia Hebræum Idioma Chaldeo preponderabat.

*Quandonam* fcripferunt Evangelifte?

R. *Matthæus* fcripfit anno a Paffione Chrifti, fexto; Marcus, decimo; Lucas, vigefimo-tertio; Joannes, fexagefimo-tertio.

*Quid* intelligitur per textum originalem Librorum?

R. *Intelligitur* textus ille ex quo factæ funt Verfiones.

*Quotuplex* eft textus originalis?

R. *Triplex* eft, videlicet Hebraicus, Samaritanus, & Gręcus: Hebraicus,

utpote primus & antiquior precipuus, & per Antonomasiam solus originalis, saltem primigenius, ex quo cæteri fluxerunt non semel appellatur.

*Textus* Hebraicus fuit ne semper scriptus eodem charactere?

R. *Non*; nam Esdras post captivitatem Babylonicam, cum Hebræi chaldeæ linguæ necessitate compulsi incumberent, alias litteras seu characteres in hebræo sermone reperit.

*Numquid* etiam postea additum est Hebræo antiquo?

R. *Addita* sunt puncta, nempe secundum opinionem sapientiorum, a Judæis Tyberiadis, quinto vel sexto sæculo post Christum.

*Ad* quid inserviunt illa puncta?

R. *Tenent* locum vocalium, & distingunt verborum sensum, qui antea vagus erat, ita ut vera lectio textus penderet a Traditione, juxta quam solebant Judæi legere; unde diversitas versionum, tum antiquarum, tum recentiorum, emersit. Ut ergo hanc servarent traditionem doctores Tyberiadis punctuationem adinvenerunt.

*Quinam* erant hi doctores Tyberiade?

R. *Erant* Judæi Academiæ quæ erat Tyberiadis.

*Quomodò* dicti sunt illi Doctores?

R. *Masorita*, hoc est traditores, qui Masoram id est Traditionem Patrum secuti sunt.

*Solam* ne punctationem addidere?

R. *Insuper* Codices sacros correxerunt, & editionem fecerunt Bibliorum.

*Quid* continet textus Samaritanus?

R. *Continet* solum Pentateucum parumve differt ab hebraico textu.

*Unde* textus vocatur?

R. *Plurimis* Orientis Provinciis a Græcis occupatis sub Alexandro Magno, lingua eorum usitata esse cœpit in Judæa, quæ est pars Orientis, ideoque Scriptores sacri non sine Spiritus sancti inspiratione in libris suis usi sunt lingua græca, scilicet ante Christum natum annos circiter 325.

*Quot* sunt versiones Græcę?

R. *Sex* sunt: prima, septuaginta Interpretum: secunda, Aquilæ: tertia, Symmachi: quarta, Theodotionis, & duæ aliæ quarum auctores sunt incerti; hinc dictæ sunt, quinta & sexta.

*Quænam* est antiquior & prima earum versionum?

R. *Ea* est quæ dicitur septuaginta Interpretum.

*Quinam* erant hi septuaginta Interpretes?

R. *Communior* est sententia Eleazarum Pontificem Judæorum, rogatu Ptolomæi Philadelphi Regis Ægypti misisse septuaginta duos senes Hebræos qui linguam Græcam callebant cum exemplari primigenio ut Scripturam interpretarentur græco sermone, quod & fecerunt. Tum hæc versio reposita est in Bibliotheca a Ptolomæo Philadelpho Alexandriæ collecta.

*Cur* versio dicitur Lxx. Interpretum, cum fuerint LXXII?

R. *Ut* numerus sit rotundus.

*Quinam* libri versi sunt ab illis interpretibus?

R. *Communis* est sententia totam Scripturam sacram fuisse versam ab illis, licet antiqui existiment solum fuisse versum Pentateucum . . . Nota, hanc versionem fuisse in omnium manibus tempore Christi, unde Apostoli ex ea depromebant testimonia, quibus ad probandam Christi a Patre Æterno missionem utebantur.

*Numquid* corrupta fuit aliquando ista versio Lxx. Interpretum?

R. *Ita*; unde plures viri docti eam corrigere susceperunt, inde etiam nata est diversitas Versionum. Divus Hieronymus Vulgatam diligentius expurgavit, & emendationem edidit.

*Quot* sunt Versiones latinæ?

R. *Plurimæ* sunt: sed inter alias duplex fuit Vulgata, quæ semper maximæ fuit in Ecclesia auctoritatis: Prima, quæ dicitur vetus seu Itala, cujus auctor ignoratur, & quæ vigebat ante Hieronymum, quæque traducta est ex fonte græco Lxx. Interpretum; alia facta est ab ipso Hieronymo qui novum Testamentum ex græco transtulit, aut saltem emendavit; vetus vero totum ex hebræo latine reddidit.

*Versio* illa Vulgata quæ nunc approbata est

est a Concilio Tridentino, & nunc est in usu, est-ne versio D. Hieronymi?

R. *Editio* illa compacta fuit ex Itala veteri & nova S. Hieronymi.

*Quis* edidit Vulgatam illam?

R. I. *Edidit* Sixtus V. deinde Clemens VIII. emendationem novam fieri curavit.

*Non-ne* sunt aliæ Versiones præter versiones græcas & latinas?

R. *Aliæ* sunt: videlicet Syriacæ, Arabicæ & Persicæ, quæ reperiuntur in Polyglottis.

*Quid* intelligis per editionem Polyglottæ?

R. *Est* collectio textus originalis Bibliorum cum una versione aut pluribus versionibus in variis linguis: Antiquior est Origenis. Post inventam typographiam multæ editæ sunt Polyglottæ; inter quas celebriores sunt versiones D. *le Gay*, & altera facta in Anglia, quæ inscribitur VValtonii Polyglotta.

*Quænam* est prima omnium editionum Bibliorum?

R. *Prima* facta est ab Esdra, absoluta captivitate Babylonis, cum Scripturæ sacræ in illo exilio non fuissent satis religiose asservatæ: Post captivitatem Esdras & celebriores Judæorum, inter quos erant ultimi Prophetæ, Aggæus, Zacharias, Malachias, & juxta quosdam Daniel, codices varios collegerunt, & in unum corpus redegerunt.

*Quid* est Paraphrasis quæ vulgo dicitur Chaldaica?

R. *Est* interpretatio seu versio librorum hebraicorum in lingua Chaldaica, unde paraphrasis idem sonat ac interpretatio, seu translatio, estque nomen græcum, hæc autem vocatur ab Hebræis *Targum*, vel *Targumin*.

*Qua* ratione edita est illa Paraphrasis?

R. *Ex* occasione captivitatis Babylonicæ; cum enim in ea Judæi propriæ linguæ immemores, Dominorum linguam didicissent, nempe chaldaicam, Biblia necessario erat chaldaice exponenda.

*Quot* sunt Libri Canonici tam veteris quam novi Testamenti?

R. *Veteris* XLV. & novi XXVII.

*Quomodo* dividitur Biblia sacra?

R. *In* novum & vetus Testamentum. Vetus est collectio Librorum sacrorum qui promittunt venturum Redemptorem cum præceptis antiquæ Legis: Novum vero est collectio Librorum sacrorum qui Messiam præsentem exhibent cum præceptis novæ Legis.

*Quare* vetus & novum Testamentum dicuntur Testamenta?

R. *Quia* in his manifestatur voluntas Dei, sicut per Testamentum manifestatur voluntas hominis morientis.

*Quare* dicuntur etiam fœdus?

R. *Quia* illa duo Testamenta continent fœdus quod pepigit Deus cum hominibus. Primum quidem cum Judæis in antiqua Lege: Secundum vero cum Christianis in nova Lege.

*Quomodo* dividitur vetus Testamentum?

R. *Dividitur* in Libros legales, historiales, sapientiales, & prophetales. Legales sunt illi in quibus leges & judicia de ore Dei edita promulgantur. Historiales, in quibus rerum gestarum historiæ narrantur. Sapientiales, in quibus vera sapientia describitur: Prophetales, in quibus ventura prænuntiantur.

*Quinam* sunt libri legales?

R. *Sunt* quinque libri Moysis.

*Quomodo* vocantur quinque libri Moysis?

R. *Vocantur* Pentateucus, hoc est, quinque libri, nam *Penta*, nomen græcum vertitur latine, quinque; & *teuchos*, etiam nomen græcum, significat latine volumen, quasi qui diceret quinque volumina.

*A* quo scriptus est Pentateucus?

R. *Fuit* scriptus a Moyse, unde sæpius dicitur, *sicut scriptum est in lege Moysi*, per legem autem Mosaicam intelligitur Pentateucus.

*Quid* significat vox *Moyses*?

R. *Idem* sonat ac *attractus sub de aquis*, namque a filia Pharaonis fuit subtractus ab aquis.

*Unde* natus est Moyses? Quis socer Moysis, & quæ uxor ejus?

R. *Natus* est ex Levi, sive ex domo Levi; socer ejus, *Jetro* Sacerdos Madian; uxor, *Sephora*; patria, Madieri; Pater, Amram; *Jochabeth* mater eius.

*Quomodo* Moyses potuit describere mortem suam ac sepulturam in isto libro?

R. *Vel* Moyses antequam moreretur ea quæ ad suum obitum pertinent, per spiritus prænotionem scripsit, ne ab Hebræis repu-

reputaretur non mortuus, vel hæc addita fuere a Josue, sive etiam ab Esdra.

*Quæres*, quo pacto solvi possint objectiones, quæ fieri solent contra præcedentem responsionem, nempe quod Moyses fuerit auctor Pentateuchi; ibi enim Regum multa referuntur, quæ non nisi post Moysen acciderunt?

R. *Plures* difficultates solvuntur dicendo, Esdram, qui sacros Libros collegit, & restauravit, post captivitatem Babylonicam, quædam annotasse in margine ad illustranda loca difficilia, quæ postea in textum irrepere potuerunt, vel etiam ab ipso Esdra textui misse addita majoris explicationis gratia.

*Quo* tempore librum hunc scripsit Moyses?

R. *Hic* liber videtur scriptus post exitum ex Ægypto, & promulgationem legis. Libri Moysis sunt, Genesis, Exodus, Leviticus, liber Numerorum, & Deuteronomium.

*Quid* vox ista *Genesis* significat?

R. *Idem* sonat ac generatio seu creatio.

*Quid* continet Liber Genesis?

R. *Continet* non solum mundi creationem ac originem, sed etiam eius progressum per spatium 2369. annorum usque ad obitum Josephi; nempe creationem hominis, peccatum illius, constructionem arcæ, diluvium, & vitam sanctorum Patriarcharum, scilicet Abraham, Isaac, Jacob, & Joseph, electionem populi Dei, & descensum eius in Ægyptum. Observes velim, quod hæc inscriptio non sit Hebræorum, sed Græcorum Interpretum: Hebræi enim illos appellant Libros sacros, & habent quinque capita, librum a primo capitis verbo nominant: Sic Genesim vocant *Beresith*, quod idem sonat ac *in principio*.

*Quid* significat *Exodus*?

R. *Significat* exitum, & complectitur res gestas per annos 145. ab obitu Josephi, usque ad erectum Tabernaculum; nimirum duram populi Israelitici servitutem in Ægypto sub Pharaone, ejus ab eo liberationem, transitum maris rubri, a quo dicitur *Exodus*, promulgationem Legis divinæ: habet capita quinquaginta.

*Quare* tertius liber dicitur Leviticus?

R. *Eo* quod sit veluti Rituale cæremoniarum, & in eo contineatur id genus Legum, quæ ad cæremonias & officium Levitarum pertineut, ut sunt holocausta, & alia sacrificiorum genera, ignis perpetuus, discrimen animalium mundorum, promulgatio Jubilæi: Complectitur etiam alia plurima tum de esu carnium, tum de matrimonio ineundo. Constat XXVII. capitibus.

*Quare* dicitur liber Numerorum?

R. *Quia* in ipsa libri fronte describitur computatio populi per Tribus facta a Moyse & Aaron: Continet etiam res gestas ab anno secundo post exitum ex Ægypto usque ad annum quadragesimum, hoc est, historiam rerum gestarum in deserto: specialiter vero obmurmurationum peccata, & eorumdem flagella. Habet XXXVI. capita.

*Quid* significat *Deuteronomium*?

R. *Idem* sonat ac posterior seu secunda Lex. Porro est nomen græcum *Deuteros*, latine posterior, & *nomos*, lex, completur XXXIV. capitibus.

*Quare* dicitur secunda lex?

R. *Non* dicitur secunda lex, eo quod contineat aliam legem ab ea quæ data est in Monte Sinai, sed quia est fusior explicatio illius legis, & repetatur coram filiis eorum, qui post primam promulgationem perierant in deserto.

*Quinam* libri historiales?

R. *Dividuntur* in libros qui continent historiam generalem Israelitarum, & ii libri sunt Josue, Judicum, Regum, Paralipomenon, Esdræ, & Machabæorum. Et in libros qui exhibent historiam particularem, quales sunt Ruth, Tobiæ, Judith, Esther & Job.

*Quot* sunt libri historiales?

R. *Sunt* numero XVII.

*Quid* liber Josue?

*Continet* res gestas a morte Moysis usque ad mortem ipsius Josue qui Moysi successerat; narrat victorias ejusdem Josue, transitum Jordanis, introductionem in terram promissionis, & divisionem ipsius terræ per Tribus. XXIV. capitibus absolvitur.

*Quisnam* fuit auctor libri Josue?

R. *Communior* sententia est librum Josue ab ipso scriptum fuisse, verba autem quæ sunt exarata post mortem ejus, ab Esdra addita fuisse creditur.

*Quid* continet liber Judicum?

R. *Hic*

R. *Hic* liber sic nuncupatur a Magistratibus Israelitarum, qui Judices vocantur, & quorum historiam refert, incipiens a morte Josue usque ad mortem Samsonis: exhibet varias servitutes, quibus Deus castigavit peccata populi. In eo numerantur XXI. capita.

*Quænam* Ruth historia?

R. *Liber* ille complectitur Ruth mulieris Moabitidis fortunam, quæ ob eximiam pietatem, ex pauperrima evasit opulenta, Boozo videlicet prædiviti juncta secundis nuptiis, ex qua quidem Christus secundum carnem prodire non dedignatus est, ut in hoc ostendat, se in hunc mundum venisse, ut peccatores salvos faceret.

*Quinam* auctores librorum Judicum & Ruth?

R. *Non* unam esse pro isto momento sententiam; alii Samueli, alii vero Esdræ illos tribuunt.

*Quid* continet liber Regum.

R. *Primus* continet historiam Samuelis, electionem Saul in Regem, gesta ejus; uno verbo omnia quæ gesta sunt a judicatura Heli usque ad mortem Saul. Habet XXXI. capita. Secundus refert gesta Davidis a morte Saul usque ad finem regni David. Capitibus XXIV. clauditur. Tertius describit mortem David, regimen & acta Salomonis, divisionem regni & historiam quorumdam Regum Juda & Israel; habet capita XXII. Quartus exhibet historiam sexdecim Regum Juda, & tredecim Regum Israel, actiones Eliæ & Elisei Prophetarum, captivitatem Babylonicam, & subversionem urbis & templi a Nabuchodonosor. Capita XXV. complectitur.

*Quare* dicuntur libri Regum?

R. *Quia* referunt acta Regum.

*Quare* duo primi vocantur etiam Samuelis libri?

R. *Sic* vocantur, non quod illos composuerit Samuel; mortuus enim erat ante Saul, sed quia liber prior facta ipsius refert; alter vero ejusdem Prophetiarum adimpletionem.

*Quomodo* divisum est illud regnum Juda?

R. *Tempore* Roboami filii Salomonis, decem Tribus abierunt cum Jeroboamo, & constituerunt regnum Israel, duæ vero Tribus, nimirum Juda & Benjamin remanserunt cum Roboamo, & constituerunt regnum Juda: Porro cum numerosior esset Tribus Juda, ab ea dictum est regnum Juda; populi vero Judæi.

*Quis* auctor librorum Regum?

R. *Samuel* existimatur auctor prioris; secundus tribuitur Nathan & Gad, alii vero duo posteriores, sicut & duo Paralipomenon ab Esdra elucubrati sunt: Ipse vero est auctor librorum qui nomen ejus præ se ferunt.

*Quid* significat vox *Paralipomenon*?

R. *Est* nomen græcum quod idem sonat ac prætermissorum.

*Quare* ii libri dicuntur Paralipomenon, sive prætermissorum?

R. *Quia* in iis plura reperiuntur quæ in libris Regum fuerant omissa.

*Quomodo* illi libri vocantur ab Hebræis?

R. *Vocantur* verba dierum, id est, gallice, *histoire journaliere*, eo quod ex diurnis Regum excerpti sint.

*Quid* continent libri illi?

R. *Primus* continet electionis, gubernationis, gestorumque Davidis historiam, ipsius & genealogiam. Habet capita XXIX. In posteriori fit recapitulatio regiminis per Salomonem & alios Reges Juda, immo & Israel. XXXVI. capitibus comprehenditur.

*Quid* continet liber primus Esdræ?

R. *Historiam* Hebræorum cum e captivitate Babylonica in patriam reversi sunt. Habet decem capita.

*Quid* secundus Esdræ comprehendit?

R. *Refert* reædificationem templi & urbis.

*Quomodo* alio nomine vocatur iste liber secundus?

R. *Vocatur* liber Nehemiæ, eo quod sit a Nehemia compositus: dicitur tamen secundus Esdræ, quia enarrat res conjunctas cum priori libro Esdræ: capita tria supra decem exhibet.

*Quid* continet liber Tobiæ?

R. *Historiam* ipsius Tobiæ in sepeliendis mortuis indefessi, peregrinationem ejus filii: & Angeli Raphaelis ipsi, ejusque filio præstita beneficia. Ex capitibus XIV. conflatur.

*Quid* liber Judith?

R. *In* eo narratur præclarum facinus illius feminæ generosæ, quæ amputato capite Holophernis, Judæam liberavit. Liber sex exhibet capita.

*Quis* maritus Judith?

R. *Manasses*, qui mortuus est tempore messis hordeaceæ.

*Quid* refert liber Estheris?

R. *Ea* quæ Esther pro Judæis suis perfecit, magnificentiam Regis Assueri, suspensionem Amani in patibulo, exaltationem Mardochæi. Capita ejus XVI.

*Quid* liber Job?

R. *In* eo referuntur quæ contigerunt Job incredibilis patientiæ viro, & disputationem seu dissertationem quam habuit cum amicis de attributis Dei. Capita XLII. habet.

*Quinam* auctores librorum historialium particularium, veteris Testamenti?

R. *Non* constat a quibus libri illi scripti sint; existimatur tamen a quibusdam librum Tobiæ ab ipso Tobia juniore scriptum fuisse, & ea quæ sunt de morte ejus, ab alio fuisse addita: Librum Judith, a Joachim seu Eliachim Sacerdote magno. Librum Esther, a Mardochæo, Librum Job ab ipso Job.

*Quot* sunt libri Sapientiales?

R. *Quinque*, liber Sapientiæ, Proverbiorum, Cantica Canticorum, Ecclesiastes, Ecclesiasticus, quibus additur Psalterium Davidicum.

*Quis* auctor librorum Sapientialium?

R. *Proverbiorum* & Ecclesiastes, auctor est Salomon; a quibusdam tamen solus non censetur auctor: Canticum Canticorum tribuitur eidem Salomoni: D. Hieronymus credit a Phylemone Judæo compositam fuisse Sapientiam: Jesus filius Syrach creditur scripsisse librum Ecclesiastici.

*Quid* continet liber Sapientiæ?

R. *Disserit* sublimius de sapientia tam creata quam increata.

*Quid* liber Proverbiorum?

R. *Continet* regulas ac præcepta divina pro omnibus cujuscumque status.

*Quare* dicitur liber Proverbiorum?

R. *Quia* continet comparationes seu parabolas.

*Quid* Cantica Canticorum?

R. *Est* veluti carmen nuptiale exprimens castos complexus animarum cum Deo sponso. Cantica Canticorum, idest Canticum Excellentissimum.

*Quid* Ecclesia e.?

R. *Totus* est in describenda vanitate rerum mundanarum, significat concionatorem, seu convocatorem; toto enim opere concionatur Salomon de mundi vanitate.

*Quid* Ecclesiasticus, & quare sic dicitur?

R. *Exponit* obedientiam subditorum, nobilitatem sapientiæ, laudem Sanctorum: uno verbo, altissimas regulas morum. Sic dicitur ex eo quod, ait S. Augustinus, in Ecclesia quondam legeretur.

*Quid* Psalterium?

R. *Liber* laudum Dei, & veluti compendium totius Scripturæ. Continet CL. Psalmos & repræsentat.

*David* cecinit-ne omnes Psalmos, sive composuit-ne omnes?

R. *Minime*.

*Quot* sunt libri Prophetales?

R. *Sexdecim* conjungendo Baruch cum Jeremia, cujus Jeremiæ Baruch erat Scriba.

*Quot* sunt Prophetæ?

R. *Dividuntur* in quatuor majores, & duodecim minores, conjungendo Baruch ut supra.

*Quare* alii dicuntur majores, alii vero minores?

R. *Quia* aliorum opera sunt majora, aliorum vero opera minora.

*Quinam* sunt Prophetæ minores & majores?

R. *Majores* sunt Isaias, Jeremias, Ezechiel & Daniel. Minores vero Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, & Malachias. Auctores librorum sunt ii quorum nomen exhibent.

*De* quo agitur in Isaia?

R. *De* Judæorum reprehensione, de adventu Christi in carnem, de ejus passione, de vocatione Gentium, unde dicitur Evangelista adventus Christi: capita LXVI. complectitur.

*De* quo agit Jeremias?

R. *Agit* de captivitate Judæorum, de destructione civitatis Jerosolymæ, de lamentatione propter ejus eversionem .... Baruch qui non separatur a Jeremia prænuntiat præcipue reditum populi.

*Quo* tempore vaticinatus est Jeremias?

R. *Ante* captivitatem Babylonicam, &

& ipsa durante, quo etiam ævo prophetabant Ezechiel, & Daniel.

*Quid* continet Ezechiel?

R. *Multas* visiones comprehendit; enarrat ruinam Jerosolymæ, & ejus reparationem prædicit. Habet XLVIII. capita.

*Quid* Daniel?

R. *Agit* de monarchia mundi, de regno Christi, de historia Susannæ, de destructione Bel, de interfectione draconis, de projectione Danielis in lacum leonum, & de allato prandio ab Habacuc Propheta. Ejus capita XIV.

*Quid* Osee?

R. *Describit* idololatriam populi Israel, punitionem ejus peccatorum, & conversionem Gentium sub figura meretricis quam Propheta sibi sponsavit. Capita XIV. habet.

*Quid* Habacuc?

R. *Prænuntiat* ruinam Judæorum a Chaldæis, & ruinam Chaldæorum, a Persis liberationem Judæorum per Cyrum, peccatorum vero per Christum: constat tribus capitibus.

*Quid* Sophonias?

R. *Loquitur* de naufragio Jonæ, de pœnitentia Ninivitarum, de vocatione Gentium.

*Quid* cæteri Prophetæ?

R. *Omnes* ferme alii deplorant peccata Judæorum, minantur iram Dei, prædicunt vel describunt punitionem eorum, prænuntiant adventum Messiæ, aliquando primum, aliquando secundum, sæpius fausta prænuntiando consolantur populum.

*Quinam* Prophetæ clarius prænuntiaverunt Christum?

R. *Isaias*, Ezechiel, Daniel & Zacharias; nota Isaiam descripsisse omnes pene circumstantias vitæ Christi; Jeremiam fuisse figuram Christi patientis; Danielem exponere occisionem ejus, & cessationem cæremoniarum veteris legis: Joelem prænuntiare adventum ejus in fine mundi: Malachiam oblationem ejus in Templo: Oseam, conversionem Gentilium: Zachariam, humilitatem adventus ejus & ejusdem ingressum super asinum in civitatem Jerusalem.

*Quid* libri Machabæorum?

R. *Referunt* statum reipublicæ Judæorum sub Monarchia Græcorum, præcipue vero quæ gesta sunt ab Assamoneis sive Machabæis.

*Quare* Assamonei dicti sunt Machabæi?

R. *Quia* in eorum vexillis erant descriptæ tres illæ syllabæ, ma, cha, bæ, quæ sunt initiales verborum Hebreorum significantium: *Quis similis tui in diis, Domine.*

*Quomodo* dividitur novum Testamentum?

R. *Sicut* vetus; in Legales, Historiales, Sapientiales, & Prophetales. Legales sunt quatuor Evangelia: Historiales, Actus Apostolorum: Sapientiales, Epistolæ Apostolorum: Prophetales, Apocalypsis.

*Quare* novum Testamentum Evangelium dicitur?

R. *Quia* attulit bonum nuntium, scilicet adventum Messiæ: Evangelium idem sonat ac faustum nuntium.

*Quid* est Evangelium?

R. *Est* liber continens historiam Christi, adventum ejus, doctrinam; demum omnia tum dicta, tum facta refert.

*Quotuplex* Evangelium?

R. *Unicum* est, scriptum vero per quatuor auctores, videlicet, Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, qui Evangelistę idcirco vocantur.

*Nota*, cuilibet Evangelistę secundum expositionem factam, tribui signum: Primo apponitur Angelus in figura hominis: secundo datur leo: tertio, bos: quarto, aquila. Matthæus pingitur cum homine, sive Angelo, quia principaliter scripsit de humanitate Christi: Marcus cum leone, quia egit potissimum de fortitudine & resurrectione Christi: Lucas cum bove, quippe qui præcipue agat de passione & morte Christi, sive de sacrificio: Joannes cum aquila, eo quod proximus accedens ad divinitatem, sacramenta divinitatis Christi aperuit.

*Quot* sunt Evangelistæ ex numero Apostolorum?

R. *Duo*, Matthæus & Ioannes.

*Quid* continet liber Actuum Apostolorum?

R. *Continet* ascensionem Christi in cœlum, visibilem sancti Spiritus Missionem, prędicationem, gestaque Apostolorum, & pręcipue sancti Pauli: Uno verbo historiam Ecclesię nascentis a morte Christi per annos circiter triginta.

*Quis* auctor libri Actuum Apostolorum?

R. *Sanctus Lucas*.

*Quot*

*Quot* sunt Epistolæ Catholicæ?

R. *Septem*, una Jacobi, duæ Petri, tres Joannis, & una Judæ.

*Quare* dicuntur Catholicæ?

R. *Quia* sunt omnes missæ, non ad unum virum tantummodo, aut ad gentes quasdam, sed ad omnes fideles; *catholicon* enim idem sonat ac universale.

*Quot* sunt Epistolæ D. Pauli?

R. *Quatuordecim*.

*Assigna* D. Pauli.

R. *Prima* ad Romanos, secunda & tertia ad Corinthios; quarta ad Galatas; quinta ad Ephesios; sexta ad Philippenses; septima ad Colossenses; octava & nona ad Thessalonicenses; decima & undecima ad Thimoteum; duodecima ad Titum; decima-tertia ad Philemonem; decima-quarta ad Hebreos.

*Ad* quid Apostolorum Epistolę?

R. *Ad* instruendos mores Fidelium.

*Quid* refert Epistola S. Pauli ad Romanos?

I. *In* ea Apostolus revocat Romanos ab erroribus Gentium, & cæremoniis legis ad veram catholicam fidem. XVI. capita.

II. *Ad* Corinthios I. in ea quosdam a falsis Apostolis & Prophetis per eloquentiam, quosdam per observantiam Legis Judaicæ seductos revocat ad veram fidem Catholicam, Evangelicamque sapientiam: capita XVI.

III. *Ad* Corinthios II. in ea eosdem ad pœnitentiam conversos & emendatos consolatur, & laudat: Capita XIII.

IV. *Ad* Galatas: in ea ipsos seductos a pseudo-Apostolis ut ad legem & ad circumcisionem reverterentur, ad veram fidem adducit: capita VI.

V. *Ad* Ephesios: in ea Ephesii qui ab Apostolo verbo veritatis accepto, perstiterunt in fide, collaudantur: capita VI.

VI. *Ad* Philippenses, in qua Philippenses, accepto veritatis verbo, in fide perstiterunt, & non receperunt falsos Apostolos; unde propter hoc laudat S. Paulus; capita IV.

VII. *Ad* Colossenses; in ista Colossenses præventos a Pseudo-Apostolis ad veritatem fidei revocat admonitionibus saluberrimis: capita V.

VIII. *Prima* ad Thessalonicenses, in qua omnes laudat Apostolus, quod, veritate accepta, cum persecutionem paterentur a civibus suis, perstiterint in fide, nec falsos Apostolos receperint: capita IV.

IX. *Secunda* ad Thessalonicenses, in qua eosdem instruit de novissimis temporibus, de adventu Antichristi, de ipsius exaltatione, & ruina: capita III.

X. *Prima* ad Timotheum, in qua ipsum instruit de ordinatione & officiis Episcopatus, & Diaconatus, atque omnis Ecclesiasticæ disciplinæ: capita VI.

XI. *Secunda* ad Timotheum, in qua excitat ipsum ad martyrium, informans eum de catholica veritate & novissimis temporibus: capita VI.

XII. *Ad* Titum, in qua illum instruit de constitutione Presbyterorum, & spirituali conversatione, atque de Hæreticis vitandis: capita III.

XIII. *Ad* Philemonem, in qua ipsum de fide, & charitate in Sanctos instruit, & ut Onesimo servo indulgeat, precatur: caput I.

XIV. *Ad* Hebræos, in qua Apostolus defectum & evacuationem Legis Mosaicæ, perfectionemque Legis Evangelicæ ostendit, & quod Christus sit verus Deus & homo, atque hominum Mediator: capita XIII.

*Epistola* D. Jacobi, in qua ad patientiam hortatur, bella & controversias reprehendit, atque ad virtutem inducit: capita V.

*Epistola* D. Petri prima, in qua ad munditiam sectandam, adversitates ferendas exemplo Christi, honorem senioribus a junioribus tribuere hortatur; agit etiam de ornatu mulierum, dicitque homines, Christi morte redemptos, dilectioni incumbere debere: capita V.

*Epistola* secunda divi Petri, in qua inducit credentes ad tenendam fidei veritatis constantiam, Hæreticorum damnat falsitatem, & secundum Christi adventum describit: capita III.

*Epistola* S. Judæ, in qua monet omnes de propria salute, inducit altercationem Michaelis Archangeli cum dracone, & detestatur Hæreticorum vitam: caput I.

*Epistola* prima D. Joannis Evangelistę, in

in qua testimonium perhibet de verbo veritatis & vitæ, hortatur ad confessionem peccatorum, affirmans nos Jesum habere Advocatum ad Patrem: dilectionem Dei, & proximi inducit: capita V.

*Epistola* D. Joannis secunda, in qua Electam & filios ejus commendat, & ad fraternam hortatur charitatem, atque Hæreticos vitare admonet: cap. I.

*Epistola* tertia D. Joannis in qua Cajum extollit propter pietatem quam exercebat in peregrinos, atque ut in hac pietate permaneat, hortatur: cap. I.

*Quid* continet Apocalypsis?

R. *Visiones* B. Joannis Evangelistæ, & omnia quæ ventura sunt a primo Christi adventu usque ad secundum.

*Quid* significat Apocalypsis?

R. *Idem* sonat ac revelatio.

*Ubinam* Joannes scripsit Apocalypsim?

R. *In* Insula Pathmos ubi erat relegatus.

*S. Paulus* Apostolus scripsit-ne omnes Epistolas quæ ipsi tribuuntur?

R. *Affirmative.*

*Quisnam* est ordo Epistolarum divi Pauli? Sunt-ne dispositæ in Biblia ordine suo?

R. *Illæ* Epistolæ sunt dispositæ non secundum ordinem quo scriptę sunt, sed potius juxta urbium dignitatem ad quas scribuntur.

Quædam Epistolæ divi Pauli fuerunt scriptæ ante vincula, alię in vinculis, & alię post vincula.

*Ante vincula.*

AD Romanos.... A Corintho in Achaja.
*Ad* Corinthios, I. ....... Ex Epheso
*Ad* Corinthios, II. ........ A Troade.
*Ad* Galatas ............ Ex Epheso.
*Ad* Timotheum ....... Ex Laodicea.

*In vinculis.*

AD Philippenses...
*Ad* Ephesios.....
*Ad* Colossenses...
*Ad* Philemonem...
) Ex urbe Roma.

*Post vincula.*

AD Hebræos ........... Ex Italia.
*Ad* Timotheum II. in fine dierum conjectus a Nerone in vincula.
*Ad* Thessalonicenses.
*Ad* Titum.

---

*Calendarium Judæorum ubi inscribuntur dies Festivitatum & Jejuniorum.*

I. MENSIS.

VOCATUR NIZAN. 30. diebus constat: Est primus mensis anni sancti; Respondebat Martio nostro & Aprili.

*Primo die*, Neomenia, hoc est Festum: jejunium pro morte filiorum Aaron.

*Decimo die*, Unaquęque familia de agno Paschali sibi providebat. Jejunium pro morte Mariæ.

*Decimo-quarto die*, Agnus Paschalis immolabatur: Primę vesperę Festivitatis Azimorum.

*Decimo-sexto die*, Oblatio manipuli spicarum frumenti: Tum Messis incipiebat: Ab hac celebritate numerabantur 49. dies usque ad Festum Pentecosten.

*Die vigesimo-primo*, Octava Paschæ: Vigesimo-secundo, jejunium propter mortem Josue: Tum dedicatio Tabernaculi.

II. MENSIS.

JAR. 29. dies habebat. Secundus anni sancti: Respondebat Aprili nostro & Majo.

*Primo die* Neomenia.

*Decimo*, Jejunium in luctum mortis Eli summi Sacerdotis; & Arcę quondam a Philisthinis captę.

*Vigesimo-nono*, Jejunium pro lugenda morte Samuelis Prophetę.

III. MENSIS.

GIVAN. 30. dies exhibebat: Tertius anni sancti: Respondebat Majo nostro & Junio.

*Primo die*, Neomenia.

Sex-

*Sexto*, Pentecostes.

*Decimo-tertio*, Solemnitas octavæ,

*Vigesimo-tertio*, Jejunium propter schisma & divisionem decem tribuum, quæ abdicato Roboam, abierunt post Jeroboam.

IV. MENSIS.

JAMNUS. 29. diebus complebatur: quartus anni sancti: Respondebat Junio nostro & Julio.

*Primo die* occurrebat ex more Neomenia.

*Decimo-septimo die* jejunium, eo quod Moyses exacerbatus legis tabulas a Deo acceptas præ indignatione confregisset.

V. MENSIS.

AB. Ex 30. diebus coalescebat: quintus anni sancti: Respondebat Julio nostro, & Augusto.

*Primo die*, Neomenia & jejunium pro morte Aaron

*Die-undecimo*, jejunium propter iteratam templi destructionem primum a Chaldæis, tum a Romanis eodem die factam.

VI. MENSIS.

ELUL. 29. dies complectebatur: sextus anni sancti: Respondebat Augusto nostro, & Septembri.

*Primo die*, juxta consuetudinem Neomenia.

*Die-nono*, jejunium propter exterminium eorum, qui visa terra promissionis, tædio laboris præsentis & in futurum subeundi fracti, Israelitas ab illa abjicienda invitaverunt, qua de causa morti traditi sunt.

VII. MENSIS.

TISRI. 30. diebus absolvebatur: erat septimus anni sancti: Respondebat Septembri nostro & Octobri.

*Primo die*, Neomenia, eodem die festum Tubarum celebrabatur.

*Decimo*, Festum expiationum: Jejunium. Hac ipsa die Jubilæum in hunc annum coincidens annuntiabatur.

*Decimo-quinto*, Scœnopegia quæ octo occupabat consequentes dies, occurrebat vero septimus dies octavæ, 21. die.

*Vigesimo-secundo die*, ipse octava.

*Vigesimo-tertio*, dedicatio Templi per Salomonem celebrata.

VIII. MENSIS.

MARHESVAN. 29. dies: octavus anni sancti: Respondebat Octobri nostro & Novembri.

*Primo die*, Neomenia.

*Sexto die*, jejunium institutum pro lugendo & Sedecia, qui effossis oculis ductus fuerat in Babylonem captivus, & ejus prole quæ tunc temporis extincta est.

IX. MENSIS.

KISLEU. 30. diebus terminabatur. Nonus anni sancti: Respondebat Novembri nostro & Decembri.

*Primo die*, Neomenia.

*Vigesimo-quinto*, Festum purificationis Templi opera Judæ Machabæi.

X. MENSIS.

THEBETH. 29. dies exhibebat: decimus anni sancti, Decembri nostro & Januario respondebat.

*Primo die*, Neomenia.

*Decimo*, jejunium per modum lamentationis Civitatis sanctæ, quæ ingemuit animadvertens Regem Babylonis accedere ad eam obsidendam.

XI. MENSIS.

SHEBETH. 30. diebus absolvebatur: undecimus anni sancti, Januario nostro, tum & Februario respondebat.

*Primo die*, Neomenia.

*Nono*, Festum, quo perdurante pro usu Sacrificiorum, & Sacerdotum ad annum ligna asportabantur in Templum: A Josepho Xilophoria nuncupabatur.

*Vigesimo-quarto*, jejunium in memoriam belli cæterarum Tribuum adversus Beniamitam Tribum, quæ pene tota tunc discerpta & occisa extincta est.

XII.

XII. MENSIS.

ADAR. 29. diebus constabat : duodecimus anni sancti : Respondebat Februario nostro, simul & Martio.

*Primo die*, Neomenia.

*Septimo*, jejunium propter Moysis obitum.

*Decimo-tertio*, Estheris jejunium,

*Decimo-quarto*, Festum Sortium, illudque minoris præ cæteris ordinis.

*Decimo-quinto*, Festum magnum & solemne Sortium. Tum dedicatio Templi cura & opera Zerobabelis facta.

*Superest* ut Ecclesiasticos ad studium sacræ Scripturæ invitemus Gregorii XIII. sermonibus, qui paucis quicquid de præstantia & sufficientia Bibliæ dici potest, Epist. ad Regem Catholicum complectitur, dicens : *Scripturarum beneficium permagnum esse : nam quod ad Theologiam attinet, qua est summa Philosophia, his libris omnia nostra religionis & divinitatis mysteria explicantur ; quod vero ad eam partem attinet qua Moralis nominatur ; huic quoque omnia ad omnes virtutes præcepta colliguntur. quibus quidem duabus partibus omnis nostra salutis & felicitatis ratio continetur, ut nihil esse possit horum librorum lectione dignius, nihil fructuosius, nihil omni hominum generi accommodatius, nihil majori doctrina & sapientia refertius.*



# DISSERTATIO SECUNDA DE SINGULIS SCRIPTURÆ SACRÆ LIBRIS,

## Juxta feveriorem Patrum & Interpretum criticem.



CRIPTURA facra dividitur in vetus & novum Teftamentum ; de utriufque Libris inpræfentiarum agimus.

### CONTROVERSIA PRIMA.

*De Libris veteris Teftamenti.*

DICTUM eft Manichæos veteris Teftamenti libros abnuere : Proteftantes quofdam ut inutiles & apocryphos rejiciunt. Sed contra quod dicitur, 2. Machab. 2. *Habemus folatio fanctos libros*. Dogma de veritate & utilitate librorum V. T. ex dictis patet : Jam ulterius probatur ab enumeratione partium, in quibus mira, tum pro fidei defenfione, tum pro morum inftitutione elucent.

---

### ARTICULUS PRIMUS.

*De Pentateuco.*

DUo queruntur de hoc momento, unum de auctore, alterum vero de ipfis libris in fe fpectatis. Unde fit

### SECTIO PRIMA.

*Num Moyfes fit auctor Pentateuci?*

PENTATEUCUS idem eft ac quinque libri ; fic enim dicitur a verbo greco *pente*, id eft, quinque, tum & *theucos*, quę vox fignificat volumen.

*Primus* liber vocatur *Genefis*, a verbo ifto græco fignificante generationem : exhibet mundi creationem & originem, tum etiam ejus progreffum feu incrementum per fpatium 2369. annorum ufque ad obitum Jofeph ; adeoque creationem hominis, ipfius lapfum, diluvium, arcę fabricam, vitam SS. Patriarcharum, videlicet Abraham, Ifaac, Jacob & Iofeph. Hebræi infcribunt libros a prima dictione libri, fic Genefim vocant *Berefith*, quod idem fonat ac principium.

*Secundus*, dicitur *Exodus*, id eft, exitus; nominatur enim ab exitu Ifraelitarum de Ægypto : tum eorum complectitur res geftas per annos 145. ab obitu Iofeph ufque ad erectum Tabernaculum ; nempe fervitutem in Ægypto, liberationem populi a captivitate, tranfitum maris rubri.

*Tertius*, appellatur *Leviticus*, quia eft velut Rituale Iudęorum, continens officium Sacerdotum, de anni Iubilęi promulgatione, & de his quę acta funt intra unum menfem & dimidium.

*Quartus*, infcribitur, *Liber Numerorum*, quia refert computationem populi per Tribus factam a Moyfe & Aaron; continet etiam res geftas ab anno fecundo poft exitum de Ægypto ufque ad annum 40. Eo loci refertur populi obmurmuratio & rebellio, & ejufdem punitio.

*Quintus*, nominatur *Deuteronomium*, id eft, pofterior feu fecunda lex, a vocabulo græco *Deuteros*, latine, *pofterior*, defumitur, tum & voce, *nomos*, latine *lex*. Eft eadem lex, fed fufior explicatio & repetitio coram filiis eorum qui mortui fuerunt in deferto : hi quinque libri dicun-

dicuntur lex, seu libri legis, ut dicetur infra.

*Patres* omnibus retro sęculis auctorem Pentateuchi agnoverunt Moysen; quę quidem opinio perpetua Judęorum, & Christianorum traditione, apertisque Scripturę locis firmata, ut sola orthodoxa habita est: hoc tamen non obstante, propter levissimas conjecturas id negavit ultimis temporibus post Thomam Hobbesium in suo Leviatham, cap. 33. & Spinosam in tractatu Theologico politico, Richardus Simon, congregationis Oratorię olim confrater, in suis de veteri Testamento criticis, cap. 2. ubi nihil aliud Moysi concedit, quam leges & cæremonias: cætera vero notariis publicis fictitiis; cujus opus merito censura proscriptum fuit ab illustrissimo Domino du Harlay Archiepiscopo Parisiensi, viro sane in sacris litteris, & scientiis Conciliorum exercitissimo. Contra quem & alios sit

## CONCLUSIO.

*Moyses est auctor Pentateuchi.*

Probatur auctoritate & ratione.

*Primo, ex veteri Testamento.*

EXODI cap. 24. 4. 5. 4. habetur: *Scripsit itaque Moyses universos sermones Domini.* Ibidem, cap. 17. 14. *Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc* (Amalecitarum scilicet cladem) *ob monimentum in libro, & trade auribus Josue: delebo enim memoriam Amalech sub cœlo.* Deuter. cap. 31. *Scripsit Moyses legem hanc*: id est, præcepta, cæremonias & historias: unde sic argumentor: Qui scripsit universos sermones Domini, præcepta, cæremonias & historias, est auctor Pentateuchi, hæc enim solum continet: Atqui ex citatis scripsit hæc Moyses: confirmat perpetua traditio Judæorum, immo & Samaritanorum, qui in hoc Judæis consentiunt, propter quod servaverunt semper Pentateucum: Ergo &c. Confirmatur: Exodus tribuitur Moysi, Josue cap. 8. 31. tum lib. 2. Paralip. cap. 31. 3. sicut & Malachiæ cap. 4. v. 4. Item Leviticus tribuitur Moysi, Numeror. cap. 31. v. 21. tum lib. 2. cap. 8. 14. Esdræ; item liber Numerorum eidem tribuitur lib. 2. Paralip. cap. 3. v. 3. & Tobiæ, cap. 7. v. 14. Item & Deuteron. lib. 4. Reg. cap. 14. v. 6. lib. 2. Paralip. cap. 25. 4. Rursus lib. 2. Esdræ cap. 13. 1. & 2. Ergo &c.

*Secundo, ex novo Testamento.*

S. MARCUS cap. 12. sic loquitur: *De mortuis autem quod resurgant non legistis in libris Moysis super rubum quomodo dixerit illi Deus: Ego sum &c.* Illa verba sunt in Exodo, cap. 3. 6. Ibidem Christus subjicit Levitici & Numer. sententias, ut patet Luc. 2. 22. & cap. 5. v. 14. *Vade* inquit, *ostende te Sacerdoti .... sicut præcepit Moyses.* Joan. cap. 5. v. 46. *Si crederetis Moysi, forsitan & crederetis mihi, de me enim ille scripsit.* Tum Luc. cap. 24. 26. & 27. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam tuam: Et incipiens a Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant.* Unde sic argumentari fas est: Ille est auctor Pentateuchi qui sic agnoscitur a Christo: Atqui ex dictis Moyses agnoscitur a Christo auctor celeberrimus librorum legis: Ergo &c.

*Confirmatur*: Joan. cap. 1. v. 45. habetur: *Invenimus quem scripsit Moyses in lege*; Judæi hoc ad prophetiam Jacob, quæ jacet Genesi, cap. 49. referunt: Igitur Genesis agnoscitur tamquam Moysis fœtus a Joanne. Exodus citatur ut Moysis liber, Luc. cap. 2. v. 23. Rom. cap. 7. v. 7. Hebr. cap. 9. v. 19. Leviticus citatur tamquam Moysis etiam opus, Luc. cap. 2. v. 14. & Joannis cap. 8. v. 5. Item liber Numerorum, Matth. cap. 12. 5. Similiter & Deuteronomium, Matth. 22. 36. Quid plura? Ab ipsis Judæis prodiit pro isto momento celeberrimum testimonium; namque libri legis, in Pentateuco contenti, tamquam a Moyse facti legebantur non solum septimo quolibet anno, qui apud Judæos erat annus remissionis, coram omni populo, sed etiam per omne Sabbatum in Synagogis, ut habetur Act. 15. 21. *Moyses enim & temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.*

Ter-

*Tertio, ex Patribus.*

Ex primo sæculo habemus Apostolos Ecclesiæ Protoparentes qui passim in suis Scriptis laudant varias Moysis sententias ex Pentateuco excerptas.

*Ex* secundo S. Iustinus Martyr in Parænesi: Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum Pentateucum veluti genuinum Moysis fœtum habent; similiter, & alii singulis sæculis subsequentes.

*Ex* tertio Origenes in expositione Psalmi primi, cujus testimonium commemorat Eusebius lib. 6. cap. 25. S. Athanasius præfatione in Psalmos.

*Ex* quarto, S. Hieronymus in epistola ad Paulinum, Innocentius I. epist. ad Exuperium Tolosanum Episcopum, Melito Sardensis epist. ad Onesium apud Eusebium lib. 4. hist. Eccles. cap. 28.

*Ex* quinto, S. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. His accedit Concilium Laodicenum canone ultimo, Romanum sub Gelasio, Tridentinum denique sess. 4. Non abs re erit aliqua Patrum testimonia ad veritatis confirmationem hic texere.

*Primus quidem* in testimonium & testem nobis occurrit Cyr. Alex. l. 8. contra Julianum Apostatam negantem Mosaicum illud oraculum, quod a B. Stephano, Act. 7. refertur, de Jesu Nazaræno intelligi, quodque sic exprimitur, *Hic est Moyses qui dixit filiis Israel:* Prophetam *suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me, ipsum audietis.* Sic revincit pag. 256. " Cum autem Christi Nativitatem „ inquirat, & in lege Moysis Sapientis„ simi frustra se torqueat: discat a nobis „ doctrinæ Mosaicæ scopum ad Christi „ Mysterium pertinere, Christumque apud „ eum multoties describi. „

*Insignis* est controversia Samaritanorum de illo oraculo Deuteronomii: *Dabo verbum meum in ore ejus:* Quod alii Josue, alii vero Dositheo Samaritano accommodabant: utramque hanc sententiam damnavit Eulogius Alexandrinus Episcopus: ibi enim, ponderata Samaritanorum controversia, definivit & verba Moysis ad Christum pertinere; ita refert Photius, Codice 230. suæ Bibliæ.

*Confirmatur* eadem ex Samaritanis deprompta probatio: Prænotandum est Samaritanos crudeli schismate & perpetua dissociatione, a Judæis fuisse divulsos tempore Alexandri Magni, ea potissimum data occasione, quod Manasses, Jaddi summi Pontificis frater, contra legis præceptum in suam duxerat uxorem filiam Sanaballetis Satrapæ, qui Darii Persarum Regis Samariæ nomine imperabat; ut dictum est: eam ob prævaricationem exutus Sacerdotio, amatam uxorem dimittere abnuens, confugit ad Sanaballetem socerum suum, a quo quidem præfectus est templo in monte Garizim extructo, ibique Pontificis munia obiit, hinc ab illo ævo Samaritanos inter & Judæos exitiosum & implacabile exarsit dissidium.

*His* prælibatis, citra dubium est Samaritanos habuisse Pentateucum quo suos instituerunt & ritus cultus divini & mores: neque vero doctissimos latet in odium Judæorum cæteros veteris Testamenti libros respuisse. Quod autem a Moyse libros quinque legis haberent, ex eo maxime liquet, quod textus Pentateuchi Samaritani litteræ, sint vel ipsi veterum Chananæorum characteres juxta eruditissimorum sententiam. Revera quidem Josephus Scaliger dissert. de litteris Ionum scribit, græcos characteres ad exemplum characterum Samaritanorum esse formatos, iam verò cum antiquissima sit litterarum Ionicarum origo, quippequæ profecta sit a Phœnicibus, seu Chananæis, quorum regionem hebræi habitabant, sequitur vetustas ut plurimum esse litteras Samariticas, ac subinde antiquissimum Pentateucum, quem a Moyse scriptum esse ultro fatentur Samaritani, & uti talem pro aris & focis defendunt hanc veritatem. Non levius annuntiat illud apud eosdem Samaritanos, quod non obstante inter se & Judæos dissociatione, quinque legis libros seu Pentateucum & legem servare studerint.

*Quarto, ex historicis utriusque Testamenti.*

JOSEPHUS lib. 1. contra Apium hoc ex professo docet: Id ipsum fuse explanat Eusebius lib. 3. demonstrati Evang. cap. 2. immo & Porphyrius atque Julianus, qui licet Christianæ religionis infensissimi hostes, Moysen tamen Pentateuchi au-

auctorem agnoverunt, & alii permulti apud P. Alexandrum dissert. 9. de libris Moysis, pag. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

*Quinto, ex Profanis historiographis.*

*Testimonium* ex inimicis non levius pro astruenda veritate ponderat, cum hanc ipsam subindigitet ita claram & sub oculis positam esse, ut illam inficiari nullus sanæ mentis audeat. Porro veteres apud profanos auctores libros Moysis, veluti quadam conspiratione facta, agnoverunt. Eos fuso calamo recenset P. Alex. dissert. 9. pag. 6. col. 2. de libris Moysis. Eos igitur celebrant: " Manethus Sebennyta „ in Ægyptiaca historia, referente Josepho lib. 1. contra Apionem. Philocorus „ Atheniensis, qui Ptolomæi Philopatoris „ temporibus floruit, referente S. Justino „ Martyre in Parænesi: Polemon, qui „ Ptolomæi Epiphanis ævo Græcanicam „ scripsit historiam, eodem S. Justino & „ Cyrillo lib. 1. adversus Julianum, referentibus. Eupolemus ab Alexandro Polyhistore laudatus, cujus illustria fragmenta legere est apud Eusebium lib. 9. „ præp. Evang. cap. 17. 26. 30. Appollonius Molonis, referente Josepho lib. 2. „ contra Apionem. Castor sive Rhodius, „ sive Galata, Dejotari gener, cujus testimonium laudat S. Justinus in Paræ„ nesi: Diodorus Siculus, quem idem S. „ Justinus, & Cyrillus lib. 1. contra Julianum testem appellant. Chæremon Ægyptiacæ historiæ conditor, qui Augu„ sti ætate floruit, a Josepho laudatus. „ Trogus Pompeius, cujus historiam in „ Epitomen contraxit Justinus sub Antonini Pii Imperio. Nicolaus Damascenus... Herodis Judæorum Regis amicus, cujus aliqua testimonia Josephus „ descripsit &c. „

*Mitto* Ptolomæum Mendesium qui res ægyptiacas tribus libris complexus est; Longinum Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ a consiliis & studiis, qui Moysen summo prosequitur encomio in libro de sublimi genere dicendi, eo quod Moyses in exordio libri Geneseos, sic inducat Deum loquentem, *Fiat lux, & facta est lux*. Concinit Juvenalis, nam 14. Satyra testatur volumen Legum Judaicarum non alium habere præter Moysen auctorem, de quo sic canit:

*Judaicum discunt, & servant & metuunt jus ?*
*Tradidit arcano quodcumque volumine Moyses.*

SUFFRAGATUR Cornelius Tacitus lib. 5. historiæ Romanæ his verbis: " Moyses, quo sibi in posterum gentem fir- „ maret, novos ritus contrariosque cæ- „ teris mortalibus indidit.... Hi ritus, „ quoquomodo inducti, antiquitate de- „ fendentur. „

*Sexto, ratione & quidem multiplici.*

PRIMA est, quia canon Hebræor. & Ecclesiæ suscipit libros legales tamquam genuinum Moysis fœtum: Sic & omnia Concilia, quæ de Scripturis V. T. tractaverunt. Idem dicunt Athanasius præfat. in Psalmos: & alii Patres jam jam laudati: Ergo &c.

*Secunda*: Samaritani qui Pentateucum retinuerunt, non alium præter Moysen illius habent auctorem. Concinunt LXX. Seniores & tota Judæorum Synagoga: Ergo &c.

*Denique* probatur argumento ad hominem. Concedit ultro Richardus Simon Moysen scripsisse legem: Sed per legem intelliguntur quinque libri Pentateuchi: Ergo &c. Probatur minor: Luc. 2. v. 22. habetur: *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini*. Hæc lex habetur Exod. 13. Item Joan. 18. habetur: *In lege Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare*: Hæc lex habetur Levitici 29. Item Joan. 8. *In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est*. Hæc lex habetur Deut. 8. 17. Rursus Matth. 12. vers. 5. *Aut non legistis in lege, quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant & sine crimine sunt*? Hæc lex habetur Levit. 24. vers. 8. & numer. 28. vers. 9. & iterum Matth. 22. 36. *Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illis Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Hæc lex jacet Deut. 6. Igitur ex ipso novo Testamento nomine legis intelliguntur quinque libri Pentateuchi; ita Josephus, lib. 1. adversus Apionem, ubi refert solos Prophetas scripsisse quæ acta sunt a morte Moysis, usque ad Artaxerxem Longimanum, nec alium auctorem

Pentateuchi, præter Moysen agnoscit: nullusque ex Hebræis meminit Tabellionum a Richardo Simone confictorum.

*Solvuntur objectiones.*

VARIA proponit Spinosa, & post ipsum Simonius, quæ aut contradictoria, aut absolute falsa sunt, aut saltem post obitum Moysis facta, ut probent Pentateuchi, ipsum non esse auctorem.

*Objiciunt* ergo: Genes. 12. vers. 6. Abraham dicitur pertransiisse usque ad Convallem illustrem, & additur in parenthesi: *Chananæus tunc erat in terra*; videtur ergo quod non essent amplius Chananæi in Palæstina, quando auctor hæc scripsit: Atqui tamen tempore Moysis, nondum erant ex hac regione propulsi, cum hoc non nisi post ejus mortem contigerit: Igitur Moyses hæc non scripsit, adeoque non est Pentateuchi auctor.

*Respondeo* negando consequens: Sensus est, tempore Abrahæ Chananæum, jam hanc terram incoluisse, quod quidem Moyses subnotare debuit, cum inter Abraham & se ipsum intercederent anni circiter 400. Tum quia ut intelligerent Hebræi, in quorum gratiam scribebat, Palæstinam vel ipso Abrahæ tempore occupatam, eam ipsam esse terram quam Abrahæ & ejus semini dare Deus spoponderat.

*Instant*: Genes. 35. lib. 21. nominatur turris gregis, sic enim habetur de Jacob: *Egressus inde fixit tabernaculum trans turrem gregis*: quæ dubio-procul ante urbem Jerosolymam non fuit ædificata: Igitur Moyses non scripsit Genesim: quomodo enim locutus fuisset de turre quam non viderat? II. Multa describuntur in eodem libro quæ homo privatus & in Ægypto absconditus, qualis erat Moyses, non potuit scire: ut cum Gen. 2. lib. 11. habetur de fluminibus: *Nomen uni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Hevilath ubi nascitur aurum, & aurum terra illius optimum est. Ibique invenitur Bdellium & lapsis Onychinus*. Item cum Genes. 10. habetur: *De terra illa egressus est Assur & ædificavit Niniven, & plateas civitatis, & Chale Rasen quoque inter Niniven & Chale; hæc est civitas magna*. Ergo &c.

*Respondeo* I. generaliter ad omnes objectiones, Moysen locutum fuisse spiritu prophetico: quod enim fuerit Propheta testatur ipse Christus Luc. 24. ubi sic alloquitur discipulos Emaus de ejus resurrectione non nihil dubitantes: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? & incipiens a Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant*. Igitur Moyses res & præsentes, & præteritas, sicut & futuras potuit scribere.

*Respondeo* II. ad singula: Ad primum-quidem, distinguendo: & ibi non loquitur Moyses de turre Jerosolymitana, concedo: non constat enim eamdem esse de qua in Genesi, eum altera tempore Davidis: & constat esse eamdem, nego. Fieri tamen potuit eam turrim quæ ævo Jacob extabat in terra Chanaan potuisse perseverare, usque ad ædificationem urbis Jerosolymæ. Quidquid sit; Moyses scientia prophetica donatus potuit priorem annuntiare.

*Ad* secundum, distinguo: Utique naturam lapidum pretiosorum, & auri aliaque enarrata potuit scire Moyses per traditionem parentum, sicut multas urbes aliorum regnorum cognoscimus narratione eorum qui illas viderunt, concedo: sic civitates Niniven & Chale cognovit: & non potuit scire per traditionem, nego. Non injucundum erit hic breviter texere traditionem Chronologicam ab Adamo ad Moysen usque. Citra dubium est Adamum scientia infusa excultum fuisse, ut nepotes edocere posset de initio & creatione mundi, ac de rebus naturalibus, ut scriptum est Eccli. 17. tum alia Scriptura Gen. 2. *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*. Porro Protoparens vixit annos 930. Mathusalem vero natus est anno mundi 687. vixit igitur cum Adamo annos 244. ac subinde potuit ab eo ediscere quæ spectant mundi creationem, rerum omnium tum insensibilium, tum sensibilium, atque viventium naturas: primi hominis lapsum, & promissum mediatorem. Jam vero Mathusalem qui cum Adamo annos 244. vixerat, vixit etiam cum Sem filio Noemi annis

100.

100. Sem enim erat filius centum annorum quando contigit diluvium, ut vel ipsa sacra Scriptura testatur. Evenit autem diluvium anno mundi 1656. & Mathusalem vixit 969. videlicet ad diluvium usque: quid prohibet igitur Sem a Mathusalem edoctum de iis omnibus quæ ab ipso acceperat Adamo? eamdem notitiam citra dubitum Isaac Abrahæ filius a Semo habuit, quandoquidem ille quinquaginta annis cum Isaac vixit, cujus rei argumentum est, quod Sem vixerit post diluvium quingentis annis, & mortuus sit anno mundi 2158. Isaac vero natus sit anno 2108. immo Jacob, quem Isaac genuit sexagesimum annum agens, decennio post obitum Semei natus est, viditque filios Josephi, quibus, antequam moreretur, benedixit. Filii autem Josephi potuerunt videre Moysen, quia a morte Josephi usque ad Moysis nativitatem intercesserunt tantum sexaginta quatuor anni. Ex his omnibus liquet Moysen potuisse ex traditione accipere omnia facta Israeliticum populum sive in Ægypto, sive in deserto spectantia, similiter & alia quæ de Paradiso, de fluminibus, de auro, & lapidibus conscripsit. Neque vero poterat illudere auditoribus, cum sicut ipse, sic & inter seniores & majores multi pleraque, maxime quæ de Redemptore futura erant, ex eadem traditione tenebant.

*Tria* potissimum in Pentateuco Christianam Religionem spectant. Primoquidem facta, quæ credenda sunt, scilicet creatio Proto-parentis a quo cæteri suam ducunt originem, ejusdem lapsus & promissio Salvatoris. Secundo, promissa in quorum spem religio fractos animos erigit, scilicet remissio peccatorum, resurrectio & vita æterna. Tertio cultus, quem Christiana Religio præscribit Deo reddendum; cultus autem ille situs est in observatione legis, in supremi Numinis adoratione, quibus & peccatorum veniam, & ejus gratiæ opem efflagitamus, eique grates pro beneficiis acceptis rependentes nova nobis elargiri petimus. Et vero qui credit mundum a Deo conditum, lapsum primi hominis, ejus per Christum reparationem, aliaque similia ut primum extra dubitationis aleam posita sunt, potest & alia bene multa fide firmissime credere.

*Replicant*: Genes. 36. vers. 31. habetur: *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent Regem filii Israel, fuerunt hi &c.* Quæ verba significare videntur auctorem vixisse sub Regibus Israel, adeoque non fuisse Moysen. 2. Genes. etiam dicitur, Sara 80. annorum rapta esse a Rege Ægypti ob pulchritudinem: sed hoc non videtur verum, mulier enim quæ processit in diebus suis non dicitur pulchra: Ergo &c.

*Respondeo*, non sequi ex verbis allatis auctorem vixisse tempore Regum Israel: sufficit enim ut Moyses cognoverit spiritu prophetico, & prædixerit, ut fecit in Deuteronomio, filios Israel habituros fore Reges, sicut aliæ nationes: sic Edom Regem ante filios Israel, habuit.

*Respondeo* II. distinguendo: Antequam haberent Regem, simpliciter, concedo: Regem ut sic, nego. Nomen Rex in Scriptura sumitur etiam pro Duce, sic Deuter. 33. vers. 5. Moyses dicitur Rex in eo sensu; eo utique modo passim usurpatur in libro Judicum. Cæterum hoc nihil facit contra nos; supponamus enim fuisse octo Reges Judæorum sive essent de familia Esau, sive de aliis nationibus, hoc contigit, antequam Moyses educeret de Ægypto populum, quo tempore Israelitæ Reges vel Duces habere dubio-procul potuerunt: sicque contra veritatem ne minimum quidem scripsit Propheta.

*Ad* secundum: Non probat objectio, Moysen non esse auctorem Pentateuchi, & aliquid incredibile esse in Genesi: Sara enim erat sancta & uxor sancti, unde potuit suam servare pulchritudinem usque ad 80. annos; tum quia vita erat longior his temporibus, tum quia Deus potuit addere splendorem sicut dedit Judith, ut bene a Rege idololatra tractaretur.

*Insistunt*: Exod. 16. vers. 35. habetur: *Filii autem Israel comederunt Man 40. annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt usque quo tangerent fines terræ Chanaan*. Auctor respicit ad tempus cum manna cessavit: sed hoc evenit eo tempore, quo jam mortuus erat Moyses, ut patet Josue vers. 12. Igitur Moyses hoc non potuit scribere.

*Respondeo* distinguendo: Aliti sunt usque quo tangerent fines Chanaan moraliter, concedo: physice, subdistinguo: usque

quo tangerent citra Jordanem, concedo: trans Jordanem, nego. Certum est Moysen appropinquantem Jordanem, adeoque terræ promissionis confines, Og & Sehon Reges Basan & Amorrhæorum devicisse; tunc autem cessavit manna, & frugibus terræ aliti sunt Israelitæ. Postea Moyses mortuus est inmonte Neboth: tum Josue Duce Hebræi transierunt Jordanem, & terram Chanaan occupare cœperunt, capta civitate Jericho, sicque immediate ante transitum Jordanis tangebant moraliter & initiative ac physice terram Chanaan: Igitur Moyses potuit omnia scribere. Nonnulli respondent, verba allata addita fuisse a Josue, vel ab Esdra aut ab aliquo Propheta, vel etiam ab ipso Moyse, qui Spiritu Dei revelantis actus, futura veluti præsentia cernebat. Sic Deuter. 17. 14. prænovit filios Israel habituros aliquando Regem: sic Deut. 25. 19. monet Hebræos de exterminanda Amalecitarum gente, postquam terræ promissæ possessores facti essent.

*P. Alexander* diss. 9. hist. veteris Testamenti pag. 7. col. 1. solvit difficultatem, his " verbis: Respondetur primo, *Moysen* hæc „ dici locutum *trans Jordanem*, habita ra„ tione Terræ Sanctæ, cujus compara„ tione Scriptura sacra situs locorum „ consignare solet; *campestria* enim *Moab*, „ in quibus *Moyses* ad Judæos extremum „ verba faciens legem iteravit, sunt trans „ Jordanem Judæis terram promissam in„ colentibus. „

*Persistunt* I. Exod. 24. vers. 7. citatur volumen fœderis scriptum a Moyse. II. Num. 21. vers. 14. & 15. citatur etiam liber bellorum Domini, his verbis: *Unde dicitur in libro bellorum Domini: sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum. III.* In eodem libro scripta erat Amalecitarum clades, ut patet Exod. 17. vers. 14. sed si Moyses hæc scripsisset, non citarentur, ut scriptum a Moyse, neque diceretur: hoc dixit & fecit Moyses, ut passim habetur in Pentateuco. Ergo &c.

*Respondeo*, distinguendo minorem: Et Moyses scripsit historiam quasi aliena persona a se, non secus ac Julius-Cæsar in commentariis, ac cæteri duces qui sua acta conscribunt, & hoc ad humilitatem & faciliorem textus comprehensionem, concedo: secus, nego.

*Jam* vero quicumque sit liber Bellorum Domini, ut Canonicus haberi debet. Probabiliter creditur canticum quoddam ab Hebræis celebratum, quia multæ sententiæ, quæ ex eo recitantur Num. 21. vers. 14. Poeticæ sunt: neque vero requiritur ut in libro speciali distincto ab Exodo scriptum sit illud Canticum, cum vox hebræa (inquit Grotius) non magis librum quam narrationem aliquam significet: unde illud Canticum apud Hebræos celebratum, ut tritum potuit Moyses jungere in libro Legis.

*S. Augustinus* quæst. 42. in Numeros suspicatur, his verbis: Librum aliquem Chaldæorum vel Ægyptiorum designari, qui bellorum Domini nomine donetur, ea potissimum ratione, quod de bellis celeberrimis tractaret. Hunc autem Librum quamvis profanum Moysen citare potuit, sicut Apostolus quædam ex Poetis laudavit Atheniensibus, quibus existentiam veri Dei eis probare satagebat; hinc loquens de illo libro Canticorum hæc subdit S. Præsul: " Qui tamen non ideo „ sit assumendus in eas Scripturas, qui„ bus divina commendatur auctoritas, sic„ ut nec Propheta ille Cretensis, cu„ jus mentionem facit Apostolus; nec „ Græcorum Scriptores vel Philosophi, „ vel Poetæ, quos idem ipse Apostolus „ magnum sane aliquid & veraciter prom„ ptum ad Athenienses loquens, dixisse confirmat. „

*Reponunt*: Num. 12. vers. 3. Moyses dicitur vir omnium mitissimus: sed sanctus non se laudat: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo minorem: Non se laudat amoris proprii motivo, & propter se, concedo: inspiratione Dei, & ad mirabilia Dei ostendenda in suis creaturis, nego. Sic Paulus se commendavit apud primos Christianos, narrando revelationes, tum & persecutiones quas propter Christum subierat. Solutio est S. Gregorii in præfatione libri Job cap. 1. " Unde, *ait*, „ & B. Job sancto Spiritu afflatus, po„ tuit sua gesta, quæ erant videlicet super„ næ aspirationis dona, quasi non sua scri„ bere: quia eo alterius erant quæ loque„ batur, quo homo loquebatur quæ Dei „ sunt:

„ sunt : & eo alter quæ erant illius lo-„ quebatur , quo Spiritus sanctus loque-„ batur , quæ hominis sunt. „

*Instant*: Deuteronomii I. habetur : *Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem* : Sed Moyses nusquam transivit Jordanem : ergo hæc non scripsit.

*Respondeo* I. Solutionem jam ex dictis patere . Majoris tamen claritatis causa

*Respondeo* II. distinguendo: Et vox *trans* dicit terminum a quo sicut terminum ad quem , concedo : dicit solum terminum ad quem , nego . Transitus est motus qui incepit citra Jordanem & terminatus est trans Jordanem . In primo sensu sumuntur verba : secus in secundo : sic qui vellet transire Sequanam, Parisiis, & ibi aliquid prius faceret , diceretur scripsisse trans Sequanam : quod autem sensus sit genuinus patet, ex vocabulo, quod dicit vocem hebræam *trans* significare transitum: & antiquus Scholiastes qui versionem Jerosolymitanam ad Hebræum diligenter contulit, hic & in aliis locis ubi particula *trans* minus commode legitur , posuit in transitu.

*Respondet* R. P. Alexander diss. 9. pag. 7. col. 1. de genuinitate librorum Moysis : „ Unius forte voculæ hebraicæ æquivo-„ catione factum , ut interpres verteret „ *trans Jordanem* , quod ei Jordanem „ vertendum erat. Vox enim *Eber* , non „ solum *trans*, sed & *cis* significat, ut no-„ tant *Pagninus* & *Buxtorfius* , & norunt „ quique hebraice periti. Textus habrai-„ cus sic ad verbum reddi potest, ut ha-„ betur in Bibliis Polyglottis : *Ista verba* „ *quæ locutus est Moyses ad omnem Israel in* „ *transitu Jordanis* : Id est, cum mox trans-„ iturus Jordanem esset . „

*Insistunt*: Deut. 2. 12. habetur: *In Seir autem prius habitaverunt Horræi: quibus expulsis atque deletis habitaverunt filii Esau , sicut fecit Israel in terra promissionis suæ*. Eo loci significatur , vel tempus quo David Idumæos e sedibus expulit , ut sit sensus , Horrhæos ab Esau pulsos deletosque , non secus ac postea ab Israelitis ipsos Idumæos . Vel etiam designatur tempus quo jam Israelitæ occupaverant Chananitiden , quæ non nisi mortuo Moyse , quocumque sensu sumantur , contigerunt , adeoque ab aliena manu conscripta .

*Respondeo* I. ad illam objectionem solutione generali jam jam sæpius laudata : videlicet , sanctum Moysen , sicut præterita , sic & futura lumine prophetico illustratum ad instar, & pro more cæterorum Prophetarum recensita eructare potuisse.

*Respondeo* II. Hæc & similia specie pugnantia absque magno negotio conciliari. Et vero non sensus est Idumæos expulisse Horrhæos e monte Seir , sicut Israelitæ vel ipsos Idumæos postea ex eodem loco propulsaverunt , sed tantummodo quod Idumæi , ejectis Horrhæis, ibi habitaverint , ipsis vero deletis , illum locum ut terram possessionis suæ incoluerint Israelitæ. Neque vero hæc verba: *Sicut in terra possessionis suæ*; intelligenda sunt universim de tota terra promissionis , sed solum de illa parte duorum Regum *Og* & *Sehon* , quorum regna Israelitæ , Amorrhæis & Batanitis devictis, jam occupaverant, cum hæc scriberentur. Quandoquidem , Rubenitæ , & Gaditæ , & dimidia pars Manassæorum, illas regiones jam possidebant . Quocirca Arias Montanus vertit : *Sicut fecit Israel nonnullis in possessionibus , quas dedit eis Deus* . Hoc ipsum confirmat Moyses Deut. 3. *Terramque possedimus tempore illo ab Aroer , quæ est super ripam torrentis Arnon , usque ad mediam partem montis Galaad : & civitates illius dedi Ruben , & Gad. Reliquam autem partem Galaad , & omnem Basan Regni Og , tradidi mediæ tribui Manasse , omnem regionem Argob*.

*Opponunt*: Quædam sunt in Pentateuco, quæ dubio-procul ipse nec scripsit , nec scribere potuit Moyses : v. g. in calce Deuteronomii mors ejus refertur; quis autem cordatus usquam dixerit viventem Historiographum suam enarrare mortem : quædam alia quæ longe Moyse posteriora annotantur ; quædam etiam alio modo aut citantur, aut extitisse commemorantur a Moyse , quorum omnium non unum est exemplum . Primoquidem , Gen. cap. 14. urbs *Lais* vocatur *Dan* , cum tamen iuxta omnes interpretes nonnisi post Moysis obitum *Dan* vocata sit . II. Genes. 22. mons Moria appellatur , *Mons Domini videlicet* . Quod

utique solum, mortuo Moyse contigit, eo nimirum dumtaxat tempore, quo mons ille ædificatione templi destinatus est. III. Civitas Hebron Gen. 23. 2. cap. 35. 27. celebratur, & tamen hoc nomine celebrata est tantum a Caleb Hebronis filio, & hoc, defuncto Moyse, ut habetur Josue 15. 14. namque antea Caria Tharbe appellabatur. Postremo Deut. 3. 14. ista leguntur: *Jair filius Manasse possedit omnem regionem Argob, usque ad terminos Gessuri, & Machati. Vocavitque ex nomine suo Basan, Naveth Jair, id est, Villas Jair, usque in præsentem diem.* Ex ultimis verbis colligi posse videtur nonnisi longo post Moysis obitum tempore hæc scripta fuisse.

*Respondeo* I. Istas & similes objectiones jejunas admodum esse. Cum enim, ut non semel dictum sit, Moysen Spiritus sancti afflatu scripsisse, suam mortem sicut prævisam, sic & veluti præsentem describere potuit: neque vero plus virium habet variatio urbium nominum. Cum enim naufragia iterum atque iterum in diversis Israelitarum captivitatibus Libri sacri passi sint, potuit Esdras, qui eos collegit, notioribus tunc nominibus appellare, ut populus innatæ linguæ jam ex parte oblitus, melius caperet quid Propheta eis legeret & doceret.

*Respondeo* II. Nonnullos propugnare quinque libros Legis fuisse per modum Diarii & Annalium a Moyse conscriptos, Josue vero post ejus obitum, aut alium Prophetam in ordinem digessisse, & nonnulla afflatu Spiritus sancti intertexuisse. Sic Baruch Jeremiæ Prophetiam ordinavit: sic etiam Parabolæ Salomonis ab aliis Scriptoribus sacris fuerunt ex ejus scriptis congestæ & concinnatæ, ut legitur in libro Proverbiorum.

*Jam* ad singula breviter respondeo. Ad primum quidem, obitum Moysis ab aliquo scriptore Canonico additum fuisse ad calcem Deuteronomii. Ad secundum, dico cum Doctissimo Huetio, nomen *Dan* antiquius esse expeditione sexcentorum virorum Daniticæ Tribus, qui ablato Michæ Idolo cum Sacerdote urbem *Lais* expugnarunt, & suo Nomine *Dan* vocaverunt, ut habetur Judicum 18. 28. ex duobus quippe fontibus *Jor* & *Dan* Jordanis nomen derivatum est, ut testantur S. Hieronymus, & Philostorgius. Hinc liquet fluviolum ex quo Jordanis partim emanat, nomine *Dan*, sicut Jordanis sic & *Dan* quid antiquius esse expeditione laudata. Illum igitur fluviolum forte significavit S. Moyses cum de Abrahamo loquens, Genes. 14. ait: *Numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est usque Dan.* Tum devictis hostibus captum Lothum reduxit incolumem. Ad tertium, ut ipsa Scriptura testatur, ab Abrahamo primum mons iste vocatus est *Dominus videt*. Sciscitans enim Isaac a Patre ubi erat victima, Genes. 22. respondit Abraham: *Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Quia vero Dominus pepercit filio dilecto: *Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Appellavitque nomen illius, Dominus videt. Unde usque hodie dicitur: in monte Dominus videbit*; quo nomine non propter ædificationem templi juxta se iterata vice celebrata est. Ad quartum, responsio generalis sufficit, dicendo aut Moysen spiritu prophetico cuncta rimantem sic scripsisse de *Jair*, aut Esdram aliumve Prophetam, quæ post obitum Moysis contigerant circa personas jam jam a Moyse ex parte celebratas addidisse, ne aliquis in historia texenda deficeret numerus.

*Pari* & consimili ratione solvitur argumentum istud. Auctor Pentateuchi texit seriem octo Regum Edon seu Idumæorum, tum ad eorum duces transit; constat tamen ex lib. 1. Paral. cap. 1. 51. Idumeos non habuisse duces nisi multo post Moysis obitum; nemo quippe non videt hæc fuisse scripta ab auctore Canonico, videlicet aut a Moyse præscientia futurorum ductus, aut ab Esdra.

*Insistunt*: Alia plurima facescunt in veritate dignoscenda difficultatem, tum circa ipsam libri Pentateuchi substantiam, tum etiam circa auctorem. Primoquidem, Genes. 40. 15. Josephus, ita loquitur: *Furto sublatus sum de terra Hebræorum*; hoc est de terra Chananæa: Atqui ista terra nedum ab Hebræis nomen acceperat, quandoquidem eam nondum occupaverant: Ergo &c. II. Deut. 3. 11. scriptum est: *Solus quippe Og Rex Basan*

resti-

*restiterat de stirpe Gigantum. Monstrantur lectus ejus ferreus, qui est Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus*. Quorsum autem hec inutilia memoriæ mandare, cum vel ipsi Israelitæ oculis suis viderant illum Regem. III. Epist. 2. ad Timoth. cap. 3. Apostolus mentionem facit Joannis & Mambris Magorum Ægyptiorum quos Moysi restitisse asserit, altum tamen est silentium in Pentateuco de illis. IV. Hebr. 12. dicit Moysen, ut primum montem Sinai ardentem conspexisset, exclamasse: *Exterritus sum & tremebundus*; quæ quidem verba etiam in libris Legis desunt. V. Auctor Pentateuchi libros ab ipso Moyse conscriptos citat, videlicet librum fœderis, librum bellorum Dei, & librum Legis Dei. Exod. 24. 4. 7. Num. 21. 14. Deut. 31. 9. Igitur non Moyses, sed alter est auctor Pentateuchi.

*Facilis* est ad hæc omnia responsio. Nego igitur antecedens. Ad primam probationem, distinguo minorem: Terra Chanaan nondum erat ab Hebræis occupata ex jure avito, concedo: ex jure promisso, nego. Tempore Joseph Hebræi jam jam in magnum creverant numerum, suasque ad instar Abrahami ibi fixerunt sedes, hinc & vicinis gentibus non erant ignoti: eam vero terram Deus promiserat ejus semini: Igitur potuit jure merito Josephus dicere: *Furto sublatus sum de terra Hebræorum*, hoc est de terra quam Hebræi tunc incolebant.

*Ad* alteram prob. distinguo: Et Moyses historiam texebat rerum mirabilium gestarum, adjuvante Deo, nedum pro viventibus & præsentibus, sed & pro nepotibus, ut ad beneficia Dei recolenda promoveret, concedo: hinc manum Dei fortem in expugnatione *Og* de stirpe Gigantum commendat, ostenditque describendo lectum, immane devicti Regis robur & fortitudinem, & scripsit pro iis præcise qui prælio adversus Regem *Og* adfuerant, nego. Non igitur inutilitatis, sed summæ sapientiæ Moysis argumentum est, quod difficilem partu victoriam ex fortitudine devicti Regis memoriæ traderet posteris, ut magnalia Dei erga suum populum celebraret, ad ciendos ejusdem plebis in benefactorem pietatis affectus.

*Ad* tertiam; verba *exterritus*, & *tremebundus* sunt æquivalenter in Pentateuco.

*Ad* quartam & quintam probationem dico: Nomina laudata, quæ forsan injuria temporum e Pentateuco exciderant, Esdram dedidicere potuisse vel ex vetustissimis historiis, vel etiam ex traditione Mosaica, quippequi foret in lege indaganda inter coætaneos peritissimus, & ea supplevisse. Tametsi igitur vocabula nunc in libris Legislatoris desiderentur, non inde concludendum est Pentateucum luxatum & interpolatum ad nos usque pervenisse.

*Contra*: Si Pentateucus esset genuinus Moysis fœtus, tanta cum diligentia eum Israelitæ servassent, ut neutiquam periisset, aut saltem oblivione fuisset datus, quandoquidem Moysen non solum ut Patrem & benefactorem, sed ut Legislatorem cui locutus fuerat Deus, habebant: Atqui tamen hæc inconvenientia non semel comperta sunt. Et probatur: Lib. 4. Reg. cap. 22. & lib. II. Paralip. cap. 34. legitur quod Josiæ Regis Juda temporibus repertus sit codex legis ab Helcia summo Sacerdote: *Reperit Helcias Sacerdos librum Legis Domini per manum Moysis*. Cumque librum illum coram Josia legisset *Saphan* scriba, audissetque Rex *verba Legis*, *scidit vestimenta sua*. Pentateucus igitur erat tunc temporis ignotus, sin minus Rex non fuisset tanta admiratione raptus in voluminis istius adinventione, nec præ dolore quo angebatur de libro Legis apud Judæos neglecto, sua scidisset vestimenta.

*Respondeo*: Istam argumentationem ad summum probare, aliquam irrepsisse in Judæos pro libris Legis asservandis incuriam, nusquam vero eorum non esse auctorem Moysen, cum potius habeatur ad veritatis confirmationem: *Reperit Helcias Sacerdos librum Legis Domini per manum Moysis*. Quid expressius?

*Respondeo* II. negando minorem: Non obstante multorum Judæorum idololatria, non deerant, qui voluntatem haberent in Lege Domini: credebat quidem quondam has se relictum esse solum qui perseveraret fidelis, cum tamen responderit ei Deus, septingentos adhuc qui genua non flexe-

flexerant coram Baal, habere. Ultro fatemur sub Manasse & Ammone impiis Juda Regibus Rempublicam in deteriora abiisse, sed Josiam Ammonis filium religiosissimum aras omnes iniquo victimarum sanguine pollutas subvertisse, templum mundasse, & cultum Dei legitimum restituisse. Porro anno 13. Regni Josiæ volumen Legis Helcias invenit in templo, sed non inde concludas velim fuisse unicum exemplar, cum potius autument docti fuisse Autographum Legis manu Moysis conscriptum, quod non obscure subindigitant illa Scripturæ verba in objectione laudata: *Reperit Helcias Sacerdos librum Legis Domini per manum Moysis*. Et vero eodem anno quo inventum est illud volumen, Josias una cum omni populo Pascha solemne celebravit, ut habetur lib. 2. Paralip. 34. Quis autem credet & Sacerdotes, & Levitas, & reliquos Judæos in tanta temporis angustia, cum unico Legis codice omnes cæremonias & ritus in festivitate celebranda observandos discere & memoria retinere potuisse. Demum libri Moysis in Regnis & Juda & Israel a Prophetis & Sacerdotibus summa cum diligentia asservabantur, unde gratis dicitur omnes uno solo Moysis Autographo excepto, codices periisse.

*Objiciunt* illud argumentum quod est palmare, apud Simonium: Apud Hebræos Scribæ, seu Prophetæ divino afflati Spiritu, id muneris obibant, quod res gestas & annales temporum colligerent memoriæ suis scriptis tradendas: sic eo fungebantur officio Hierophantæ apud Ægyptios; Chaldæi, apud Babylonios; Magi, apud Persas; Gymno-sophistæ, apud Indos; litterati, apud Sinas; Pontifices apud Romanos: Igitur probabilissimum est apud Judæos hanc legis Annalium colligendorum Provinciam Scribis & Prophetis, nusquam vero ipsi legislatori demandatam fuisse; maxime cum Principes & legum Conditores Amanuensibus pro rebus gestis uti soleant.

*Confirmatur*: Diodorus Tarsensis, S. Athanasius, Theodoretus & alii testantur, quatuor libros Regum & duos Paralipomenon esse compendiosam historicam collectionem conflatam ex Libris Scribarum & prophetarum, qui res memorabiles suis temporibus peractas scripserunt. Instar omnium sint facta Salomonis, quæ Nathan, Ahia Silonites, & Addo memoriæ tradiderunt, ut habetur lib. 2. Paralip. cap. 9. 29. sic etiam Addo & Semeias, Scribæ Roboam gesta litteris mandarunt. Ibidem cap. 12. sic adhuc Addo acta Abjæ Regis Juda scripsit. Ibidem cap. 13. sic Jehu filius Hanani qui fuit scriba Josaphat, Ævi illius præclara facinora retulit. Ibidem. Cap. 20. Sic tandem nobilis Isaias, qui initio Libri sui asserit se fuisse in diebus Oziæ, Jonatham, Achaz, & Ezechiæ Regum Juda, scripsit facta Oziæ & Ezechiæ; hinc istius gesta, quæ referuntur lib. 4. Reg. cap. 18. 19. & 20. excerpta sunt ex quatuor capitibus 36. 37. 38. & 39. Prophetiæ Isaiæ: Idem proportionaliter dicendum de libro 2. Machabæorum, qui ex libro Jasonis Cyrenæ historiæ depromptus est. Igitur non citra fundamentum dicitur Pentateucum ab aliquo Scriba fuisse collectum.

*Respondeo*: Systema Simonii petere jugulum, dum concedit solos Scribas a Deo inspiratos, & Prophetas spectasse Libros sacros componere, & hoc ipsum testatur Josephus lib. 1. contra Apionem. Unde sic distinguo: Et Moyses inter Prophetas erat maximus, quippequi & legislator extiterit, concedo: ad ipsum igitur spectabat scribere legem, immo Deo jubente, fecit: & non erat, nego. Ad probationem nego paritatem; hoc enim intercedit discrimen inter Legislatorem a Deo inspiratum, & alterum mere civilem, quod ille ipse debeat prodere & scribere legem qualem a Deo accepit, ne legi possit subesse falsum, & ut etiam populi majorem legibus adhibeant fidem, majorique eam prosequantur amore.

*Ad* confirmationem, distinguo similiter: Et S. Athanasius aliique non dicunt libros Regum cæterosve fuisse memoriæ traditos ab aliquo ex illis Scribis publicis, quales fingit Simonius, sed ab aliquo scriptore canonico, puta a Jeremia, vel Esdra, qui transacta captivitate, sacros Libros dispersos collegit, concedo: & contrarium propugnant, nego. Ad confirmationis probationem, nego paritatem: Tametsi enim opinio sit probabilis eorum, qui acta Salomonis & Regum Juda fuisse conscripta a laudatis Prophe-

phetis, ut innuere videtur Scriptura sacra, nusquam tamen Simonius in eodem comperiet Pentateucum aliena manu a Moyse conscriptum, cum e contra ex illo fonte habeamus non alium præter ipsum fuisse Pentateuchi auctorem.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Moyses est Pentateuchi auctor.*

PRIMO: Hoc annuntiat vetus Testamentum Exod. 17. ubi, jubente Deo, victoriam supra Amalecitas reportatam describit. Tum Deuter. 17. prænotione Spiritus memoriæ mandat Israelitas decursu temporum habituros esse Reges. Hoc Novum, ubi sæpius Christus remittit Pharisæos ad legem Moysis, nomine vero Legis intelligitur Pentateucus, sic Joan. 5.

*Secundo*: Hoc definit sacra Synodus Tridentina sess. 4. in decreto pro Libris sacris, quos ibi sic commemorat: *Sunt vero infra scripti: Testamenti veteris, quinque Moysis, &c.*

*Tertio*: Sic traditio Patrum docet: Cyrillus Alex. lib. 8. contra Julianum pag. 256. Melito Sardensium Episcopus, epist. ad Onesium apud Eusebium lib. 4. cap. 28. Hieronymus epist. ad Paulinum, Augustinus lib. 2. de doctr. cap. 8. & alii.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Quædam prima fronte contradictoria apparent, v. g. de diversis urbium nominibus, quæ ab Esdra, qui sacros collegit Libros, ad faciliorem intelgentiam juxta usum potuerunt immutari.

*Secundo*: Absque veritatis dispendio potuit Moyses, sua ipsa facta, ut alterius personæ, enarrare: sic Julius-Cæsar & alii Duces Principesque suam ipsi factorum historiam texerunt, maxime cum modestia non sinat, se ipsum directe laudare.

*Tertio*: Ad multorum solutionem animadvertendum est Moysen afflatu prophetico potuisse varia memorare, quæ suum post obitum contigisse constat.

## SECTIO SECUNDA.

*De rebus contentis in Pentateuco.*

JAM probatum est libros legales esse divinos, & S. Moysen eorum esse auctorem. Factum est quoque satis objectionibus quas Heterodoxi & contra veritatem illorum operum, & adversus eorumdem auctorem incassum proponunt. Ad complementum controversiæ operæ pretium hic breviter texere palmaria capita quæ complectuntur. Hæc quidem delibavimus in synopsi seu introductione ad universam Scripturam sacram, sed eadem fusiori calamo tractare non injucundum erit.

*De Libro Genesis.*

HEBRÆI hunc librum *Beresith*, id est in principio, desumpto scilicet a primo libri vocabulo, Græco *Genesim*, Latini generationem appellant, ea potissimum ducti ratione, quod Moyses principaliter agat de hujus mundi spectabilis creatione. Auctor, primo rerum mere corporearum, tum Proto-parentum eximiis innocentiæ dotibus exccultorum productionem refert: Postea vero Adami & Evæ e Paradiso voluptatis ejectionem, cæterorum hominum ab eis ut ab una eademque origine prodeuntium, pessimorum nepotum aquis diluvii, exceptis justo Noemo cum uxore, tribus filiis suis & uniuscujusque sponsis, exterminationem. His peractis commemorat quo pacto homines totum orbem post constructam Turrim Babelicam, & confusionem linguarum dispersi omnibus regnis initia dederint. Demum, Abraham, Isaac, Jacob & Joseph, sanctorum Patriarcharum qui ante legem scriptam floruerunt, mores, illustria facta, religionem, & ingressum in Ægyptum fuso calamo delineat.

*Non* desunt qui cum Eusebio lib. 7. præp. Evang. Theodoreto & multis aliis asserunt Moysen, hunc librum post egressum de Ægypto & legis promulgationem a Deo in Monte Sinai acceptam conscripsisse: Liber juxta Vulgatam quinquaginta habet capita; [illegible] figuræ nedum Christi adum[illegible], sed &

ejus genus, & Nativitatis tempus non obscure multa subindigitant oracula. Celebre est vaticinium de Christi nobili stirpe cap. 12. his verbis complexum: *Dixit Dominus ad Abraham .... In te benedicentur universæ cognationes terræ*. Rursus cap. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Tempus vero Messiæ annuntiat istud Jacobi morientis effatum cap. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donec veniat qui mittendus est &c.* Observes velim Moysen suo de mundi creatione systemate omnes eorum, qui tenent mundum ab æterno productum, errores profligare, ut fuse probavimus, ubi de existentia Dei, cum ex libro Genesis constet cuncta habuisse initium: Eodem jure dicimus Prophetam præoccupare commentitias de Præadamitis fabulas, & dissipare; quod quidem hic paucis demonstrare juvat.

## PROPOSITIO UNICA.

Adam fuit omnium hominum Primus.

*Probatur argumento Theologico, eoque efficacissimo.*

Quæ ex divina voluntate pendent, nobis per sacras Scripturas manifestantur: Atqui creaturarum productio a sola Dei voluntate pendet, cum nullus ante mundum conditum esset; nec potuit scire quid creatum, vel non creatum fuerit, nisi Deus revelet: si enim per fas & nefas licitum est fingere & somnia componere, dabitur processus in infinitum; aliquis enim poterit dicere ante mundum istum alterum præcessisse, & istum alterum alternata vice habuisse antecessorem, & sic absque termino novos assignare mundos pro ut erit imaginationis impetus: Iam vero Scriptura primum omnium assignat Adamum: Igitur Præadamitæ sunt conficti homines. Jam probatur ex Genesi Adamum fuisse primum hominem.

*Habetur* Genes. 1. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*. Quod autem hæc verba intelligantur de primo homine non unum probat argumentum.

*Primo*: Cap. 5. Ibidem, vel ipse Moyses asserit his verbis: *Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum & feminam creavit eos, & benedixit illis, & vocavit nomen eorum Adam in die quo creati sunt*. Eo loci nullius alterius hominis creati ante Adam fit mentio, sed tantum de creaturis mere corporalibus, quibus mundum hunc Deus voluit prius adornare, antequam hominem crearet, ut Adamus, quem ad imaginem & similitudinem suam formare decreverat, paratum & omnibus numeris absolutum inveniret habitaculum.

*Secundo*: Ex Scriptura manifeste colligitur, maxime ex duobus nullum hominem antecessisse Adamum, sic enim librum Geneseos inchoat Moyses: *In Principio creavit Deus cælum, & terram*; hoc est, juxta omnium Patrum & ipsius Ecclesiæ interpretationem, creationis initium fuit productio cœli & terræ, cæterarumque creaturarum corporalium sex dierum spatio; tum his conditis, ad hominis formationem veluti ad operis complementum processit Deus, dicens: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam &c.* Quæ vox & designat nullum ante Adam fuisse creatum hominem; quod & subsequentia denotant verba: *Masculum & feminam creavit eos: Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam &c.* Jam vero si homines, vel ante Adamum extitissent, non opus erat ulteriori multiplicationis benedictione, cum jam jam terra fuisset Præadamitis hominibus referta.

*Tertio*: Creatis Protoparentibus, quievit Deus ab omni opere quod patrarat: Igitur cum creatio sex dierum spatio absoluta sit, & omnes creaturæ tunc conditæ juxta genus & speciem nominentur, nec de alio homine quam de Adam & Eva fiat mentio, nisi alia ab isto opere creatio admittatur, citra dementiam non anteriores ipso Adamo homines admittendi sunt, nisi Scripturæ auctoritas pessundetur, & Moysis de creatione systema funditus subvertatur. Sic enim creationis opus concludit: *Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requievit die septimo ab universo opere quod patrarat*. Audis universum opus illud esse, in quo de uno homine Ada-

Adamo cum uxore fit mentio : Igitur Præadamitæ sunt conficti homines.

*Quarto* : Non possunt anteriores Adamo concipi homines, ipso teste Moyse, quippequi Geneseos resumendo historiam, subnotet, non aliarum creaturarum præter recensitas, fuisse creatas : Tum clare & verbis disertis scribit non alium ab Adamo fuisse in paradiso hominem qui hunc felicitatis locum excoleret. De primo momento sic loquitur cap. 2. *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram. Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret.* De altero momento subdit: *Non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram.* His verbis anathemate percelluntur Præadamitæ & confunduntur : ex ore enim vel ipsius Dei habemus nullum fuisse ante Adamum hominem, qui terram, plantas & herbas excoleret, *sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ.* Hæc ante hominis cujuscumque creationem sic existebant : Tum Deus Adam creavit, qui hanc benedictam terram operaretur : sic enim pergit Scriptor canonicus : *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.*

*Quinto* : Omnes ferme homines ortum ducere ab Adamo asserit Apostolus, declarant Concilia, annuntiat Ecclesia; quod non foret verum, si quidam alii homines Adam antecessissent : Ergo &c. Probatur Ant. S. Paulus asserit Rom. 5. mortem per unum Adam intrasse in mundum: & mortem inde pertransisse in omnes. Unde & quomodo ? Quia omnes ab Adam orti ex traduce peccatum originale contraxerunt : ait enim, *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccaverunt.* Sic definit Concilium Arausicanum II. can. 1. sic Tridentinum sess. 5. can. 1. sic Ecclesia in benedictione Cerei Paschalis ; sic Patrum Traditio, sic universa fidelium fides credit.

*Sexto* : Nulla ratione systema Præadamitarum innititur, sed ubique adversatur Scripturæ, & fabulam sapit: Ergo &c.

*Dices* I. Gen. 4. 17. habetur : *Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch* ; sed hoc non potest intelligi de filia Adami, quippequi nullam tunc temporis habuerat : Igitur de filia alicujus Præadamitæ : II. Rom. 5. legitur : *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ* : Igitur isti qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adami non erant ejus filii, sed hominum qui illum antecesserant.

*Respondeo*, negando Adamum non habuisse filiam, cum Cainus ex uxore suscepit Henoch ; non enim Auctor sacer numerat in Genesi omnem prolem in individuo, sed simpliciter de Adam : *Genuit filios & filias*, ut dicit cap. 5. & sic de cæteris : Ex dispensatione vero & necessitate compellente, ad multiplicationem, ut gens humana terram repleret, filii Adam cum propriis sororibus nupserunt. Solutio est D. Augustini lib. 15. de civ. cap. 16. " Cum igitur, *ait*, genus humanum post primam copulam viri facti " ex pulvere, & conjugis ejus ex viri " latere, marium feminarumque conjun- " ctione opus haberet, ut gignendo mul- " tiplicaretur ; nec essent ulli homines, " nisi qui ex illis duobus nati fuissent ; " viri sorores suas conjuges acceperunt, " quod profecto quanto est antiquius com- " pellente necessitate, tanto postea fa- " ctum est abominabilius Religione pro- " hibente. "

*Ad* II. dico, locum Apostoli systema Præadamitarum non astruere, sed potius subvertere, cum eo loci declaret Apostolus mortem ab Adamo per peccatum transmissam regnare etiam in iis qui propria voluntate, sicut Adam prævaricatus est, non peccant; hoc est, in parvulis. Sic locum S. Pauli explanat S. Augustinus lib. 1. de pecc. meritis & remis. cap. 2. " Ergo in omnibus regnavit mors ab A- " dam usque ad Moysen, qui Christi gra- " tia non adjuti sunt, ut in eis regnum " mortis destrueretur. Ergo in eis qui non " peccaverunt in similitudinem prævari- " cationis Adæ: id est, qui nondum sua " & propria voluntate, sicut illi pecca- " verunt, sed ab illo peccatum origina- " le traxerunt, qui est forma futuri : quia " in "

„ in illo constituta est forma condemnationis futuris posteris, qui eius propagine crearentur, ut ex una omnes in condemnationem nascerentur, qua non liberat nisi gratia Salvatoris. „

*Cetera* objectiones solutæ manent ex iis quæ diximus tract. de Attr. diss. 1. de existentia Dei, ubi systema Moysis pro creatione rerum omni argumentorum genere defendimus.

*De Libro Exodi.*

ISTE liber ab Hebræis *veelle Semoth* nominatur, hoc est, *Ecce nomina*, sumpta nimirum a primo totius libri vocabulo. Nomine *Exodi* a Græcis celebratur, ea potissimum ratione quod exitum Israelitarum ab Ægypto præcontineat. In tres partes vulgo dividitur: In prima Moyses enarrat Josephi in Ægyptum adventum, donum prophetiæ quo apud Pharaonem commendatus est, eius in actu auctoritatem, quomodo fratres cum patre ad se perduxit, populi sui multiplicationem, tum ejus in operibus gravamina. Describit etiam Auctor sacer suam in Ægypto nativitatem, ex aquis liberationem, educationem, missionem a Deo acceptam ad populum in manu forti a captivitate liberandum. In altera parte decem plagæ, quibus Ægyptii compulsi sunt relaxare Israelitas, referuntur: Ritus comedendi agnum Paschalem eo loci describitur ad perennem liberationis ex Ægypto memoriam conservandam: Tum sequitur narratio de columna nubis & ignis, qua quidem ad terram promissionis dirigebatur, de miraculoso transitu maris rubri, de Pharaonis insecutione & Ægyptiorum submersione. In tertia demum parte Scriptor sacer memoriæ commendat beneficia quibus Deus cumulavit Israelitas in deserto: Videlicet manna quo eos quadraginta annorum spatio nutrivit, amaras aquas ad sitim extinguendam dulces factas, alias e petra durissima eodem fine non sine magno miraculo eductas, victoriam de Amalecitis reportatam; postremo legem in monte Sinai datam, quæ multa complectitur præcepta; alia quidem moralia, ad mores recte instituendos; alia judicialia, quibus unicuique reddi quod suum est, statuitur; alia etiam ceremonialia, tum pro cultu divino cum pietate exhibendo, tum pro Tabernaculo ad honorem omnipotentis erigendo. Agnum Paschalem prælusisse Jesu Christi sacrificium in ara crucis exhibendum nemo fidelis non intelligit. Et vero agnus absque macula primum occisus, tum igne assatus festinanter comedebatur, cujus sanguine postes domorum aspersas conspiciens Angelus exterminator, parcebat Israelitis, dum primogenitos Ægypti ab homine usque ad pecus una falce metebat: Pari sed & efficaciori modo sanguis Christi in cruce effusus, est propitiatio, inquit S. Joannes Epist. 1. c. 2. non pro nostris tantum, sed & pro totius mundi delictis. Liber iste constat XL. capitibus in nostra Vulgata.

*Non* abs re erit hic observare Deum ministerio Moysis decem plagis acerbissimis percussisse Ægyptum, ut compelleret Pharaonem dimittere Israelitas, ut illi sacrificarent in deserto.

*Prima* fuit conversio aquarum, tum fontium, tum fluminum in sanguinem, ita, ut eas potare non sine gravamine possent Ægyptii; sic enim habetur cap. 7. 17. & 18. *Hæc igitur dicit Dominus: in hoc scies quod sim Dominus: Ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem. Pisces quoque, qui sunt in fluvio, morientur, & computrescent aquæ, & affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis.*

*Secunda* plaga fuit ranarum: Sic enim habetur cap. 8. *Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi: sin autem nolueris dimittere, ego percutiam omnes terminos tuos ranis. Et ebullient super stratum tuum, & in domos servorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos intrabunt ranæ . . . Extendit Aaron manum super aquas Ægyptii, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti.*

*Tertia* plaga fuit Sciniphum, ut habetur ibidem v. 16. & seq. *Extendit Aaron manum, virgam tenens: percussitque pulverem terræ, & facti sunt sciniphes in hominibus, & jumentis: omnis pulvis terræ versus est in sciniphes per totam terram Ægypti .... erantque sciniphes, tam in hominibus quam in jumentis.*

Quar-

*Quarta* plaga, erat omnis generis muscarum infinita prope multitudo, ibid. v. 24. & seq. *Et venit musca gravissima in domos Pharaonis & servorum ejus, in omnem terram Ægypti; corruptaque est terra ab hujusmodi muscis.*

*Quinta* plaga fuit pestis animalium, Cap. 9. 3. *Manus mea erit super agros tuos: Et super equos, & asinos, & camelos, & boves, & oves, pestis valde gravis.* Tum v. 6. *Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die: mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum: de animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit.*

*Sexta* plaga fuit pessimorum ulcerum, quibus & homines & animalia percussit Dominus. Ibidem v. 10. *Tuleruntque* Moyses & Aaron, *cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cœlum: factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus & jumentis.*

*Septima* plaga in grandine, tonitru & fulminibus apparuit. Ibidem v. 23. & seq. *Extenditque Moyses virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti. Et grando & ignis mista pariter ferebantur: tantaque fuit multitudinis, quanta ante numquam apparuit in universa terra Ægypti, ex quo gens illa condita est. Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab hominibus usque ad jumentum: cunctamque herbam agri percussit grando, & omne lignum confregit. Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit.*

*Octava* plaga fuit locustarum. Cap. 10. 13. *Extendit Moyses virgam super terram Ægypti: & Dominus induxit ventum urentem tota die illa, & nocte & mane facto ventus urens levavit locustas, quæ ascenderunt super universam terram Ægypti & sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt. Operueruntque superficiem terræ, vastantes omnia. Devorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat: nihilque omnino virens relictum est in lignis & in herbis terræ, in cuncta Ægypto.*

*Nona* plaga in densissimis tenebris sita erat. ibid. v. 20. *Extenditque Moyses manum in cœlum: & facta sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat: ubicumque autem habitabant filii Israel, lux erat.*

*Decima* plaga fuit omnium tam de hominibus, quam de pecoribus primogenitorum strages. Cap. 11. v. 4. & seq. *Hæc dicit Dominus: Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis qui sedet in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam, & omnia primogenita jumentorum. Eritque clamor magnus in universa terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est, apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine usque ad pecus.*

### *De Libro Levitici.*

LIBER Levitici hebraice dicitur *Vajera*, id est, *& vocavit*, sumpta scilicet denominatione a primo libri vocabulo. A Latinis & Græcis Leviticus inscribitur, eo quod & cæremonias, & sacrificia, quibus colitur Deus, in viginti septem capitibus exhibeat. In quatuor partes recte dividi potest. In prima quidem parte referuntur sacrificia, quorum alia ex animalibus constabant, & nomine hostiæ seu victimæ donabantur; alia ex fructibus terræ, & immolationes dicebantur; alia ex liquoribus, & libamina seu libamenta appellabantur. Jam vero, vel ipsa eadem sacrificia juxta diversum finem diversis adhuc insigniebantur nominibus. Quædam enim cedebant ex omni parte in honorem Dei, ad recognoscendum scilicet supremum ejus in creaturas Dominium, & in iis res oblata tota flammis absumebatur; vocabanturque holocausta: Quædam offerebantur modo ad gratias Deo pro beneficiis acceptis rependendas, modo etiam ad nova ab ejus bonitate obtinenda beneficia. Hujusmodi sacrificia hostiæ pacificæ appellabantur, seu etiam sacrificium Eucharisticum si pro gratiis rependendis, impetratorium vero si pro gratiis novis obtinendis, essent; neque vero omittendum est hostiam pacificam in tres partes pro more tunc distribui; una quidem in honorem Dei igne

com-

comburebatur, altera cedebat in usum Sacerdotis, tertia in usum offerentium. Porro observandum est hostiam pro peccato vel totius populi, vel Sacerdotis oblatam prorsus flammis consumi, dum vero offerebatur pro peccato unius solum hominis, in duas divibebatur partes, quarum una cremabatur, altera vero cedebat in usum Sacerdotum, qui ea in atrio templi vescebantur. In altera libri parte tractat Moyses de his, qui offerunt sacrificia, maxime vero de consecratione Sacerdotum, de legibus munditiæ, & immunditiæ; & de modo purgandi & expiandi immunditias legales. In tertia assignantur tempora in quibus & sacrificia sunt offereuda, & festivitates celebrandæ: In quarta fit mentio de votis, de eorum solutionibus & redemptionibus, de rebus Deo consecratis, de decimis &c.

*De Libro Numerorum.*

LIBER ille XXXVI. capita habet: ab Hebræis *Vajedabber* dicitur, hoc est, *& locutus est*. Sumpta a primo vocabulo denominatione: Latini librum Numerorum vocant, ea ducti ratione, quod in eo numerentur & bellatores qui gentes ad obtinendam terram promissionis fregerunt, & familias quibus ipsa distributa est terra. Primoquidem recensetur 603000. bellatorum numerus, cum quibus tamen Levitæ non commemorantur. Tum obmurmuratio populi adversus S. Moysen, & punitio, objurgatio legislatoris qui quasi in fide dubitans bis petram percussit ut ex ea profluerent aquæ ad sitim multitudinis explendam, transgressio exploratorum, qui, præter Caleb & Josue, Israelitas ab ingressu terræ promissę divertebant, ambitio & flagellum Core, Dathan, & Abiron; profligatio hostium, scilicet Idumæorum, Chananæorum, Amorrhæorum, & Moabitarum, ingressum Hebræorum in terram promissam impedire molientium. Postremo enumerantur quadraginta duæ mansiones quas Israelitæ fecerunt in deserto; tum terræ promissę possessio & distributio referuntur. Capite vigesimo quarto mira Balaami de Christo prophetia enarratur his verbis: *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth*. Et vero stella, est Symbolum Christi, qui fuit & est lumen mundi: virga, regiam ejus denotat dignitatem; Principes Moab, simulacrorum cultores ad fidem conversos exprimunt; per filios Seth intelliguntur omnes fideles quibus Christus dominatur. Præter istam de Christo Prophetiam insignis altera Christi Redemptoris figura est serpens æneus in deserto elevatus ad sanitatem languentium, qui a serpentibus ignitis vulnerati fuerant; ille enim præntiabat homines peccato sauciatos a Christo per passionem salvandos.

*De Libro Deuteronomii.*

LIBER iste Deuteronomium inscribitur, quod idem sonat ac lex repetita, quia leges a Moyse jam latæ uberius explicantur. Multa in hoc volumine pertractat S. Legislator: Primoquidem, recenset beneficia, tum ante, tum post legis promulgationem Hebræis collata. II. Dat præcepta de necessitate diligendi Deum, de extirpanda idololatria, de pœnis quibus subjacere debent Idololatræ, superstitioni addicti, homicidæ, stupri & incestus noxii rei, & falsi accusatores. Tum Pharaonis, Core, Dathan & Abiron funestum interitum, ut a peccato committendo Israelitas deterreat, exponit. III. Statuit leges pro Sacerdotibus & Levitis, pro summo Sacerdote, & populi supremo Judice, pro institutione Regis, pro secernendis veris a falsis prophetis, pro vivis & mortuis, specialiter vero pro iis qui suspenduntur in ligno. Ultimo loco Moyses post recitatum Canticum, qui sic incipitur, *Audite cæli quæ loquor &c.* populum ad legem observandam hortatur, & transgressoribus comminatur maledictiones: liber hebraice vocatur *Elle Haddebarim*, id est, *hæc sunt verba*, sumpta nimirum denominatione a primo libri vocabulo; habet XXXIV. capita; cap. 18. prænuntiat Christum Moyses, dicens, *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus*. Non secus enim ac Moyses, Christus fuit legislator, ut habetur, Act. 3. & 7. Eusebius l. 3. demonst. Evang. de hoc tractat momento.

A R-

## ARTICULUS SECUNDUS.

### De libro Josue.

*Utrum sit sacer & canonicus?*

LIBER ille 24. capitibus constans a Josue seu Josua filio Nun nuncupatur, ea potissimum ratione, quod præclara tanti Principis facta complectatur. Et vero ut seriem eorum quæ in illo continentur libro breviter texere possimus, observandum est ea complecti, quæ ab obitu Moysis per annos 17. duce Josue gesta sunt. In quinque primis capitibus refertur ingressus Israelitarum in terram promissionis. Tum septem victoriæ de 31. Regibus commemorantur: deinde verro terra promissionis singulis Tribubus partita & distributa describitur in sequentibus. In tribus ultimis reversio Rubenitarum & eorum quibus possessiones citra Jordanem contigerant, texitur: item & exhortatio ad plebem pro lege Dei servanda: denique mors Josue. Magnus ille Dux in distributione separavit civitates pro fugitivis, & 48. cum suburbandis dedit Levitis.

*Omissis* variis opinionibus de auctore hujus libri, Thalmudistæ omnes, sicut sancti Doctores, vix uno aut altero excepto, existimant scriptum fuisse a Josue, quod indicat illud capitis ultimi vers. 26. de Josue: *Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine Legis Domini*. Quibus prælibatis sit

## CONCLUSIO.

*Liber Josue est sacer & canonicus.*

PROBATUR hoc ratiocinio. Quod ipsa indigitat Scriptura, quod perpetua Ecclesiæ traditio, quod Concilii œcumenici auctoritas, & perpetua possessio Ecclesiæ, hoc dubio-procul tale credi debet, quale affirmatur: Atqui ista omnium argumentorum genera librum Josue sacrum esse declarant: Igitur & ita tenere debemus. Probatur minor quoad singulas partes. Primo: Ille liber 3. Reg. 16. 34. citatur, quaudoquidem aliquod Domini verbum ibi excerptum apparet ex Josue 6. 26. sic enim habetur: *In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel Jericho: in Abiram primitive suo fundavit eam, & in Segub novissimo suo posuit portas ejus: juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun*. Quæ quidem verba deprompta sunt ex Josue cap. 6. *In tempore illo imprecatus est Josue dicens: Maledictus vir coram Domino qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho: in primogenito suo fundamenta illius faciat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus*. Rursus iterum laudatur ille liber Eccli. 46. ubi hæc leguntur: *Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, & usque in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum*. Josue vero 14. Caleb ait: *Hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens ut eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat tam ad bellandum, quam ad gradiendum. Da ergo mihi montem istum*. Videas, velim, quanta sit inter utramque sententiam affinitas: Secundo, ille liber semper inventus est, & quidem in protocanone Judæorum, & immediate post libros legis seu Pentateucum semper positus legitur. Tertio, accedit omnium Rabbinorum & Prophetarum traditio. Ita quoque semper censuit eximius primorum sæculorum Patrum cœtus. Sic quoque de fide definivit sacra Synodus Tridentina sess. 4. Ergo &c.

*Solvuntur objectiones.*

OBJICIES textus Scripturarum Samaritanus genuinus est, ut supra ostensum est: Sed Samaritani non admittunt librum Josue: Igitur ille liber neque sacer, neque canonicus habendus est.

*Respondeo* distinguendo majorem: Textus Samaritanus genuinus est quoad ea quæ continet, concedo: quoad exceptiones, nego. Observandum est, Samaritanos fuisse a Jeroboam tempore Schismaticos, nec alios libros sacros præter Pentateucum suscepisse: cum enim ex Assyria tamquam colonia a Salmanzar, qui decem tribus captivas duxerat, fuerant missi, ut Samariæ terram habitarent, & a leonibus propter impietates dilacerarentur, uno aut altero vix elapso

anno

anno ad Regem scripserunt, eum suppliciter deprecantes, quatenus aliquos e captivis Sacerdotes, qui Deum terræ & cæli colere sicut oportet, eos edocerent, mittere dignaretur: quocirca libris legis, in quibus modus per sacrificia colendi Deum præfigitur, solum adhæserunt, & in odium erga Judæos, quibus non coutebantur, ut mulier Samaritana Joan. 4. asserit, cæteros abjecere.

*Instabis*: Liber sacer neque injusta & contra Dei legem, neque contradictoria complecti debet: Atqui tamen utrumque apparet in libro Josue: Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes. Primo quidem cap. 7. 27. Achan cum filiis suis occiditur, & tamen Ezech. 18. 20. Deus ait: *Filius non portabit iniquitatem patris*: Igitur filii Achan absque causa & injuste propter patris scelus interfecti sunt. Secundo ibidem Achan dicitur lapidatus, & postea vers. 25. igne consumptus: Sed mori per lapidationem & ignem, manifestam implicat contradictionem: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem. Ad primam probationem distinguo: Deo jubente vel inspirante, filii cum patre perierunt & interfecti sunt, concedo: contra Dei voluntatem, nego. Quod autem, Deo ordinante, fit, non est contra legem, cum ipse sit supra omnem legem: Igitur filii Achan vel furti a patre commissi conscii erant, vel etiam Deus, qui Dominus vitæ et mortis est, in tanti facinoris detestationem, voluit Achan & in se & in suis bonis, videlicet filiis, puniri.

*Ad* secundam partem utique distinguo: Lapidari & igne comburi implicant contradictionem pro eodem actu & eodem tempore, concedo: si ista diversis & temporibus & actibus complexantur, nego. Primum lapidatus est Achan cum filiis suis, deinde vero etiam cum tota sua supellectili ad deterrendum cæteros a prævaricatione legis, in ignem traditus, consumptus est, ut fuse describitur sub finem ejusdem capitis: immo & quotidiana edocet experientia, profanatores Templorum & Sacramentorum laqueo apud Gallias primum suspendi, deinde in sacrilegii detestationem, eorum corpora in ignem deiici & consummari.

*Urgebis*: Atque in libro Josue quędam alia capita manifestam implicant contradictionem: Ergo &c. Probatur subsumptum. Cap. 24. habetur quercum in sanctuario fuisse, quod quidem expresse prohibetur Deut. 16. 21. Item Josue 1. vers. 4. legitur: *Post diem tertium transibitis Jordanem*; & tamen cap. 2. vers. 22. missi de Sethim exploratores per tres dies latitarunt, quibus reversis, ad tres usque dies egressi de Sethim Israelitæ, in Jordanis littore morati sunt, priusquam Jordanem transirent: Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad primam probationem, distinguo: Erat quercus prope Arcam Dei, concedo: in ipso Dei Sanctuario, nego. Ex Scriptura liquet Arcam Dei quievisse seu fuisse repositam donec transportaretur in *Silo* circa quercum illam, ubi quondam Deus Abrahamo apparuerat, & Jacob defoderat idola, propter quod locus iste per quamdam ad Templum analogiam dictus est in Dei Sanctuario situs: Cæterum Deus prohibuerat quidem lucos, sed non unam aut alteram arborem prope Sanctuarii locum, aut plantari, aut plantatam servari; nunc etenim aliquę arbores, maxime in villis, circa Ecclesiam plantari & conservari non semel videntur.

*Ad* secundam probationem distinguo: Et forsitan speraverat Josue intra trium dierum spatium se cum Israelitis in terram promissionis ingressurum, quod, Deo disponente, aliter contigit, concedo: & hoc ipsum Scriptor Canonicus refert ut legentes in errorem inducat, nego. Res igitur secundum humanam dispositionem ordinatę referuntur, nec implicat factum, elapsis illis tribus diebus, evenisse: Sic gravissimi autumant auctores, qui putant tres dies ingressum in terram promissionis complectentes a tribus primis diebus fuisse distinctos. Solutio colligitur ex sancto Augustino q. 2. Josue. Quidam alii non absque fundamento censent Josue in persona Dei locutum fuisse, ejusque indicasse ordinationem quę tribus præfatis diebus completa est: mos enim inoleverat apud Prophetas, mandata Dei & prænuntiare, & eventus seu effectus subsequendos postea intimare: quo posito apertus est Scripturæ sensus, qui quidem talis censetur sicut probavit eventus. Deus igitur primum dixit Josue, post tres

dies

dies cum filiis Israel, transmeato Jordane, in terram promissionis intrabis, quod ita contigit sequentibus diebus a Deo præfixis & notatis. Utraque solutio genuinum Scripturæ sensum absque contradictione manifestat.

*Insistes*: Sunt alia adhuc contradictoria in eodem libro, & quidem formaliter: Ergo &c. Probatur subsumptum. Caleb qui fuit filius Jephone ut habetur Numer. 32. 12. fratrem non habuit Othonielem Senezi filium, ut legitur Josue 15. 17. Ergo &c. Confirmatur: Terra Chanaan partita dicitur inter decem Tribus, & dimidia unius partis data est Manassi, ut habetur Josue 13. 7. Sed hoc verum non apparet, namque capite 16. 9. urbes separatæ datæ sunt filis Ephraim in medio possessionis filiorum Manassis: Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad primam probationem distinguo: Et Caleb erat frater Othoniel ratione avorum, concedo: ita ut Othonielis neptem suam pro uxore haberet, nego. Et vero si Caleb fuisset Othonielis frater proprie loquendo, non potuisset filiam suam ei dare in uxorem; nam sicut legitur Levit. 18. 12. non potuit soror filio fratris sui nubere: ita nec videtur frater sui fratris filiam uxorem accipere: Igitur non nisi per ordinem ad avos Othoniel & Caleb fratres nominantur, quatenus erant Senezi nepotes, unde Senezai dicti sunt.

*Ad* secundam probationem distinguo: Et ordinatione Dei populi unius Tribus fratres aliarum Tribuum in numero excedentes, aliquas civitates aliarum tribuum accipere & habitare potuerunt, concedo: & hoc contra Dei mandatum ita factum legitur, nego. Non mirum igitur si, terra promissionis primum in decem divisa partes, aliqua unius partis portiuncula viciniori Tribui propter majorem numerum, ut in objectione refertur, concessa sit; & sic conciliantur Scripturæ tum de divisione terræ in decem partes, tum etiam de habitatione Ephraim in medio Manassis.

*Repones*: Quinque nominantur refugii civitates, Josue 20. 36. & tamen alibi non nisi quatuor recensentur. Secundo Josue 24. 26. habetur, quod Seniores & Principes congregati sint in Sichem in conspectu Domini & in Sanctuario; e contra vero capite 18. 1. arca Dei & Sanctuarium dicuntur esse in *Silo*: Sed hæc omnia pugnant: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo minorem: Hæc omnia eodem modo, & secundum eumdem respectum intellecta implicant contradictionem, concedo: secundum diversos spectata respectus, nego. Primum quidem patet, namque de facto quatuor solummodo civitates refugii fuere; si quidem quod eo loci legit Latinus Interpres, non invenitur in Hebræo, & sic versio latina per textum originalem corrigenda est; nec legi debet quinque: Igitur juxta diversas versiones tollitur contradictio; quædam enim leviores mendæ in Vulgata reperiuntur, ut dictum est supra. Secundum quoque claret ex supra dictis; namque Seniores & Principes stabant coram Arca versus quercum, seu Therebinthum apposita, sed asportanda *Silo*, ubi erat Sanctuarium, & sic apprime consociatur utraque Scriptura: Cæterum textus græcus Josue 24. 1. habet, *Silo*, scilicet Silo in agro Sichen. Et sic de civitate Sichen intelligi potest, congregantur Principes in conspectu Dei, qui in Synagoga vel in alio ad orationem destinato loco adunantur, qualis fuit illa quercus, de qua supra.

*Persistes*: Non legitimus est libri Josue ordo sententiarum, sed contradictorius: Ergo &c. Probatur antecedens, cap. 22. habetur, quod viri Tribuum Ruben, Gad, ac dimidia Manassis ad suas trans Jordanem possessiones dimissi sint, quasi toto illo longo tempore quo terra divisa est et unaquæque Tribus in sua sede collocata est, ipsi otiosi, suas uxores remque suam familiarem non curando, manserint in terra Chanaan, cum potius deberent ad propria reverti ex quo terra quievit a præliis: Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem distinguo: Cito et viri ex Tribu Ruben, Gad et dimidia Manassis ad suas trans Jordanem possessiones non reversi sunt, eo quod aliquod adhuc erat a Gentibus timendum, et donec quædam civitates distribuerentur Levitis, concedo: per meram inertiam, nego. Potuerunt igitur economię causa aliquo tempore circa Jordanem commorari, ut sese ab hostium incursu defenderent; omni terra vero in

pace composita, ad propria reverti dicuntur. Denique dato quod illa dimissio Tribuum facta sit prius, non male tamen posterius descripta fuisset; postposito scilicet naturali historiæ ordine artificiali, seu id exigente ratione, ne videlicet interrumperetur narratio eorum quæ ad perfectam terræ post hostes devictos possessionem pertinebant. Itaque observandum est charitatis causa Tribus Ruben, Gad & dimidiam Manassis dedisse Josue 5000. homines, ut sex Chananæorum Provinciæ suo subjaceret Imperio, quibus peractis, Dux ille divisit illas Regiones inter novem Tribus & dimidiam Manassis, deinde remisit copias auxiliares trans Jordanem ubi Amorrhæorum Provincia partita fuerat inter Tribus Ruben, Gad, & dimidiam Manassis. Josue fuit Christi typus juxta illud Hieronymi Epistola ad Paulinum: " Josue typum Christi Domini non " solum gessit, verum etiam nomine præ" fert. "

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Liber Josue est canonicus.*

PRIMO: Liber citatur 3. Regum 16. 34. Rursus Eccli. 46.

*Secundo*: A Synagoga habitus est ut liber Protocanonicus; & uti talis a Concilio Trident. sess. 4. agnoscitur.

*Tertio*: Concinit Traditio. Nec mirum, promissa Dei facta de terra promissionis non sine portentis adimpleta enarrat.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non mirum si Samaritanus textus hunc librum non complectatur, quippe qui solum Pentateucum retinerent Samaritani.

*Secundo*: Contradictoria secundum diversos respectus absque negotio conciliantur: Sic Acan dicitur dilapidatus simul & igne combustus, quia ipso mortuo, ejus cadaver igni traditum, in sceleris detestationem consumptum est.

*Tertio*: Neque vero ullum facessit negotium, quando Scriptor Canonicus quercum in Sanctuario fuisse commemorat; non in ipso Sanctuario, sed in agro fuit arbor illa, donec *Silo* Arca deferretur: Igitur Arca prope quercum reposita ad tempus dumtaxat fuit.

## ARTICULUS TERTIUS.

*Utrum Liber Judicum sit divinus?*

LIBER Judicum sic nuncupatur a Magistratibus tredecim Israelitarum, qui Judices vocabantur, quorum historiam per annos 300. secundum quosdam, & secundum Augustinum per 340. sic refert sanctus Doctor, incipiens a morte Josue ad mortem usque Samsonis. Eo loci commemorat etiam varias servitutes quibus peccata populi punivit Dominus. Thalmudistæ asserunt Samuelem hujus libri auctorem, alii vero Ezechiam: Auctor apparet antiquus, quando quidem Psal. 67. 9. hæc verba, *Deus cum egredereris in conspectu populi tui*, videntur excerpta ex libro Judicum capite 5. 4. ubi habetur: *Domine cum exires de Seir*.

*Scopus* Auctoris est multa ostendere: Primoquidem, cur Deus ante Josue e vita decessum Chananæos disperdere & procul pellere noluerit. Secundo, ut diversis tum belli, tum Gentilium adversus Israelitas irruentium calamitatibus domui Jacob inflictis probaretur Hebræorum erga Deum fidelitas. Denique ut Israelitæ intelligerent Deum esse & in promissis exequendis fidelissimum, & erga omnes qui illum invocant, divitem, juxta illud Psalmi 90. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*.

*Non* una fuit tunc temporis Israelitarum servitus: Prior igitur, mortuo Josue, fuit octo annorum sub Chusane Rege Mesopotamiæ, e qua soluti sunt per Othonielem. Altera 18. annorum sub Eglone Rege Moabitarum, a qua liberati sunt, adjuvante Ajod. Tertia 20. annor. sub Jubine Rege Chanaan, & salvati sunt per Debboram & Barac. Quarta 7. ann. sub Rege Madianitarum: ab ista eos eripuit Gedeon. Quinta 18. ann. sub Ammonitis, ex qua per Jephte sunt educti. Sexta 40. annor. sub Philisthæis, quam solvit Samson. Ipse, sicut Gedeon & Jephte fuerunt Christi

sti salvantis typus, teste Hieronymo epist. ad Paulinum: " In libro Judicum, *in-* " *quit*, quot Principes populi, tot figu- " ræ sunt. "

*In* isto libro duo referuntur speciales casus, unus quidem Micheæ de Monte Ephraim oriundi, qui abutens Sacerdotio idolum fabricavit; alter vero uxoris cujusdam Levitæ, quam multi ex Benjamitis libidine acti, in eam promisque irruentes, suffocaverunt; quo factum est, ut ejus maritus cadaver uxoris in duodecim partes secans, ad tam nefandum scelus vindicandum, partem ad singulas Tribus miserit, a quibus iteratis prœliis Beniamitica Tribus, exceptis sexcentis hominibus, deleta est. Jam sit

CONCLUSIO.

Liber Judicum est divinus.

*Probatur hoc brevi ratiocinio.*

ILLE liber est divinus, qui uti talis semper habitus est, & de hoc ne unus quidem gravioris ponderis auctor dubitavit: Atqui ita compertum est de libro Judicum: Ergo &c. Probatur minor. Primo, in Proto-canone Judæorum inscribitur. Secundo, ita censent utriusque Ecclesiæ Patres; sic quoque definit sacra Synodus Trident. jamjam laudata; immo ex capite 13. desumptum est quod per Prophetas dictum scripsit S. Matthæus capite 2. *Quoniam Nazaræus vocabitur*. Ita enim habetur loco citato Judicum vers. 5. *Cave ergo ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quidquam comedas; quia concipies & paries Filium, cujus non tanget caput novacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris utero: & ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum.* Ergo &c.

*Solvuntur objectiones.*

OPPONES I. Liber continens quædam legi Dei contraria, ex canone Librorum divinorum expungendus est: Atqui liber Judicum quædam legi Dei adversantia complectitur; namque extructum altare ad victimas mactandas capite 21. vers. 4. commemorat, cum tamen cautum sit ex lege Exod. 38. ne aliud altare ad hoc construeretur momentum præter istud unicum jam ædificatum, de quo Exod. 38. & Deut. 12. 13. Ergo &c.

*Respondeo* I. Ad ista & similia objecta, vel minimam quidem non involvere contradictionem, si cuncta adamussim, & æqua lance juxta diversos respectus ponderentur.

*Respondeo* negando minorem. Ad probationem distinguo: Prohibetur altare distinctum ab altare Sanctuarii alio construi in loco quam ante fores Tabernaculi, concedo: nullibi ædificari, subdistinguo: quando altare in Sanctuario extructum ad victimas immolandas & sustinendum, & complectendum sufficiebat, concedo: sin minus, nego. Ut primum igitur altare Sanctuarii pro victimis immolandis capiendis & suscipiendis non sufficiebat, licitum erat aliud ante fores Tabernaculi, & non alibi construere, videlicet in ipso Tabernaculi atrio; sicut enim 3. Reg. 8. 64. ita & Judic. 21. eodem factum est jure.

*Instabis*: Nonnulla videntur in libro laudato inconvenientia, immo & pugnantia: Ergo &c. Probatur subsumptum. Primo quidem cap. 18. Jerusalem dicitur capta a filiis Judæ, atque tota incendio tradita, cum tamen quædam pars civitatis potentissima ad Davidis usque tempora permanserit, ut habetur 2. Reg. 5. 6. quam & habitabant Jebusæi: Secundo, cap. 18. legitur Danitas nondum accepisse sortem inter cæteras Tribus, cui opponitur, quod Josue cap. 19. 40. scribitur. Tertio, Deus consultus ab undecim Tribubus, num ad puniendos Benjamitas propter scelus erga Levitæ uxorem patratum properarent, R. affirmative; nihilominus non semel cadunt in bello, & devictæ confunduntur illæ Tribus cap. 20. 28. & seq. Quarto, Israelitæ cap. 21. 8. & 18. asserunt se non posse suas in matrimonium dare filias iis qui ex Tribu Benjamin fuerant residui, eo quod juramento ad hoc negandum tenerentur, & tamen postea eas concesserunt: Ergo &c.

*Respondeo* ad primum distinguendo: Pars magna Jerusalem, quæque pro toto sumitur a filiis Judæ destructa & igne succensa narratur, concedo: tota civitas absolute loquendo, nego: Arx quippe remanserat, nec ab alio nisi a Davide capta fuit,

propter quod civitas David appellata est. Porro Arx seu castellum in rigore loquendo ad civitatem non pertinet, sed tantummodo est ad ejus defensionem propugnaculum, quocirca Auctor facer potuit scribere totam civitatem a filiis Judę fuisse & vastatam & igne succensam.

*Ad* secundum distinguo: Danitę non habuerunt suum ex terra promissionis funiculum quantum eorum exigebat numerus, concedo: absolutus, nego. Danitæ intra suos limites non nihil ab Amorrheis coarctabantur, quocirca non sufficiebat terræ spatium ut per familias commode viverent, & hanc ob rationem Scriptura dicit non habuisse suam ex Chananæorum terra partem, hoc est, ad commode vivendum sufficientem.

*Ad* tertium, verum est Deum tametsi consultum permisisse una & altera vice cæterarum Tribuum adversus Beniamitas pugnantium stragem, vel in vindictam Danitarum qui paulo ante idolis sacrificaverant, vel etiam in ultionem aliarum Tribuum quæ Danitis peccantibus non obsliterant, vel etiam quia Israelitæ in brachio suo, magis quam in Domino & confidebant, & gloriabantur, non tamen rediit verbum Domini vacuum; tertia quippe vice inito prælio, Beniamitas ita devicerunt, ut pauci admodum ex tanta strage relicti sint.

*Ad* quartum: leviori animo Israelitæ sese juramento obstrinxerant suas Beniamitis non dare filias ad suscitandum Beniamin pene extinctam Tribum; hinc suo stare juramento ne quidem tenebantur: peccaverunt tamen non præcise quod suas fratribus concesserint filias, sed propter juramentum leviori mente emissum.

*Retores:* Nonnulla indigna sicut & alia contradictoria iterum atque iterum in Judicum libro conspiciuntur: Ergo &c. Probatur anteced. Primo quidem cap. 4. refertur Deboram mulierem nedum in pace judicasse populum, sed & in præliando ducissam fuisse, quod certe videtur indignum: Secundo, Gedon de Tribu Manassis cap. 6. & Manue de Tribu Dan cap. 13. Deo sacrificia obtulerunt, cum tamen hoc solum ad filios Aaron spectaret. Tertio, cap. 8. legitur Gedeon in quamdam prolapsum fuisse idololatriam, quatenus Ephod ex auro conflatum fieri curavit, quod quidem Ephod Israelitę veluti idolum & habuerunt & adoraverunt, hoc vero in ruinam & opprobrium Gedeonis domus fuit: Ergo &c.

*Respondeo* ad primum, Deboram, Deo ordinante, utroque, de quo supra, fuisse functam munere, tempore quidem pacis, eo quod Jabin tyrannus esset, & licitum foret Israelitis suis uti ad propriam conservationem juribus: Tempore vero belli, ut Hebræi intelligerent sublimitatem esse solius Dei, qui sicut in viris, ita & in fragili sexu ad contundendos, & humiliandos sui nominis hostes parem habet facilitatem, juxta illud Apost. 1. Cor. 1. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*. Nec obstat quod legatur cap. 5. Barac eo ipso tempore collegisse adversus patriæ hostes, copias; potuit enim sese ad præliandum mulieri forti adjungere, tum devictis hostibus Heroissam cum ipso Barac judicasse populum, non levior est suspicio.

*Ad* secundum dico, Gedeonis non fuisse mentem Angelo qui illi apparuerat sacrificare, sed hominem quem credebat cibare, seu dapes pro victu offerre. Porro Manue cap. 13. attulit quidem hędum & lagenam aquæ, at utrumque non obtulit in sacrificium, sed obtulit Angelo, qui illi Samsonis prænuntiaverat nativitatem, ut ipse Deo optimo in gratiarum actionem offerret & Domino libaret: Nonnulli autumant Manue, jubente Deo, & per Angelum admonitum, sacrificasse; quia vero Legislator est supra legem, & de illa ad nutum dispensat, alium a familia & vice Aaron potuisse offere sacrificium, quid vetat?

*Ad* tertium, nego cum sanctis Patribus & Doctoribus Gedeon in idololatriam fuisse prolapsum, quando quidem Hebr. 11. ut sanctus celebratur; tum Judicum 8. in senectute bona mortuus enuntiatur: ultro fatemur fieri curasse Ephod, seu vestem Pontificalem ex serico & auro contextam, non vero ex puro auri metallo, quæque esset veluti statua et idolum, ut nonnulli hallucinantur, ita ut Israelitæ, illud suadente Gedeone, adoraverint: in pectorali lapides etiam pretiosi sicut eminebant, ita et affulgebant, ut Deus

con-

consuli posset in Thurim seu Thumin; Scriptura enim passim indicat Deum consultum solitum fuisse, tum oracula reddere utendo illis lapidibus quasi organo & instrumento, sive quædam tunc temporis appareret Scriptura, sive etiam in radiis refulgentibus lapidum, Deus quasdam vel erumperet in voces, vel etiam ex directione conceptuum, ex visu & attentione ad lapides consulentem alloqueretur. Unum quidem est de hoc momento in Scriptura clarum & certum, videlicet Deum locutum fuisse in Thurim & Thumin; alterum vero, scilicet de modo locutionis, subobscurum esse.

*Ad* Gedeonem redeamus: Dico igitur idolum Ephod adorandum non fabricasse, sed pro usu summi Pontificis vestem splendidam in Sanctuario, vel prope locum viciniorem asservandam ex pietate fieri voluisse, quod si, ipso mortuo, Sacerdotes Baal hanc prophanaverint vestem, & illam Israelitæ, immo & ex Gedeonis familia aliqui tamquam idolum habuerint, omnibus fuisse in scandalum & in ruinam quis dubitet, sed certe non Gedeonis culpa.

*Urgebis:* Alia pugnantia & contradictoria recensentur. Primo, cap. 4. pax inita inter Iabim & domum Aber facta fuisse dicitur, & tamen Sisara Dux militiæ Jabin in domo Aber postea interfectus est, ut Scriptor Canonicus enarrat: Secundo, Thola dicitur Judex de familia Isacar cap. 18. non fuit igitur filius patrui Abimelech, nec & pater ejus Gedeon e Manassis Tribu. Tertio, cap. 10. 50. civitates Havoth-Jair nominantur a Jasair judice, quæ tamen adhuc vivente Moyse, nomen illud obtinuerant, ut refertur Num. 32. Ergo &c.

*Respondeo*, omnia laudata ne quidem inter se adversari: Primum quidem optime conciliatur; cum enim Jabin esset tyrannus, uxor Pii Aber, aliquid & pro se & pro familia pertimescens, animadvertensque impleri ea quæ Deboræ prænuntiata fuerant, consilium dedit, ut Sisara dux militiæ Jabin interfceretur, nec de pace inita curare æquum duxit.

*Sed* neque secundum aliquam implicat contradictionem; nulla enim in Hebræo fit mentio patrui Abimelech, ubi solum legitur filius Phua filii Dado, sed Græcus & Latinus scriptor interpretatione nominis proprii Dado facta, sic verterunt, qua quidem interpretatione admissa, recte observat Augustinus q. 4. in Judices, potuisse Gedeonem & Phuam unam habere matrem, ex qua, sed diversis nupta viris, ut ex diversis patribus nati sunt, cum solerent nubere feminæ unius Tribus cum aliarum Tribuum viris, orti sunt.

*Ad* tertium dico, civitates idem servasse nomen quod ab antiquo acceperant, hoc autem factum est, auctore Thola, unde ne quidem aliquam hoc nomen implicat contrarietatem.

*Contra*: Atqui liber ille ex omni saltem parte sanctitatem in libro canonico non sapit: Ergo &c. Probatur subsumptum: Quædam facta temeraria in eo libro apparent: Ergo &c. Probatur anteced. Primo, cap. 4. Jephte votum vovit Domino, quod si de inimicis reportaret victoriam, primum quodcumque illi postea occurreret, se daturum Deo in victimam & sacrificium; devictis postea hostibus, filiam propriam exultantem quæ illi primum occurrebat, temere occidi & sacrificari voluit, quod factum Legi plurimum adversabatur: Deus enim prohibet sibi immolari homines, immo primogenita hominum pretio redimi statuebat. Secundo, Samson Dalilam sumpsit uxorem, ut propugnant Sulpitius Severus lib. 1. Hist. sacr. idem & refert auctor librorum de promissionibus Dei apud S. Prosperum part. 2. cap. 22. Sed lex prohibebat matrimonia cum alienigenis feminis celebrare: Ergo &c.

*Respondeo* I. Libros sacros sicut bona, ita & hominum mala facta referre, nec inde aliquid dedecoris in Scripturæ auctorem redundat; cuncta enim in gloriam Dei cedunt; bona quidem, dum ejus exaltant charitatem & misericordiam; mala vero cum in ultione demonstrent justitiam & æquitatem: Sufficit igitur ut Auctor Canonicus per omnia sit in narrando veritatis tenax.

*Respondeo* II. negando antecedens. Ad primam probationem distinguo: Et in voto adimplendo erravit Jephte, concedo: & hoc fecit Deo vel suadente, vel exigente, nego. Quod enim primum de animalibus illi occurrere contigisset, hoc ipsum juxta legis mentem & spiritum, & non filiam immolare debebat.

*Ad* secundum: Samson non peccavit in facto supra laudato; tum quia cum Dalila non fornicatus est, eam enim pro uxore habebat, ut apprime auctores citati referunt: tum quia, ordinante & permittente Deo, alienigenam sumpsit uxorem propter duo, nimirum ut per omnia Christi typus esset, qui nedum Judæos, sed & Gentiles salvare voluit; quocirca sicut Oseas, jubente Deo, fornicariam mulierem pro uxore accepit, ut Gentilium immundorum præfiguraret vocationem, eodem scopo & Samson Dalilæ junctus est in matrimonium: altera de hoc facto a nonnullis ratio assignatur; ad Dalilam eo perexisse fine, ut inde Philisthæos Hebræorum hostes debellandi sumeret argumentum & occasionem: Neque etiam peccavit, dum concussis templi Philisthinorum columnis in ædificii ruina ipse sepultus est, quippe qui vel in hoc etiam facto Christum Dominum præfiguraverit; nam sicut Samson sua morte & ruina multo-plures Philisthinos quam antea occidit & devicit; sic & Christus sua morte cuncta traxit secum, & ut ait Apostolus, Hebr. 10. *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*.

## SYNOPSIS PROBATIONUM

*Liber Judicum est Canonicus.*

PRIMO: Liber est in Proto-canone Judæorum; hujus autem canonis libri nemo præter Heterodoxos inficiatus est genuinitatem.

*Secundo:* Quasdam illius libri Sententias adoptant Evangelistæ. S. Matthæus cap. 2. istam quam Christo applicat, *Quoniam Nazaræus vocabitur*, & lib. Jud. cap. 13. excerpsisse videtur: Sic enim scriptum est: *Ne bibas vinum ac siceram... non tanget caput novacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua*. Quæ verba dicuntur de Samson qui fuit Christi figura.

*Tertio*: Concilium Tridentinum sess. 4. hunc librum declarat sacrum.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Non contradictoria continet Liber; tametsi enim prohibitum fuisset in Sanctuario altare construere, id tamen extra Sanctuarium fieri licebat, quando Sanctuarii altare non sufficiebat ad continendum victimas immolandas.

*Secundo*: Sicut bona, sic & mala hominum facta Scriptura commemorat, priora ad misericordiæ, posteriora vero ad justitiæ exaltationem: nec in hoc quidquam a sanctitate librorum detrahitur.

*Tertio*: Jephthe sicut temerarie votum emiserat, sic & temerarie adimplevit. Non sic ratiocinandum de Samsonis actibus. Nupsit, permittente Deo, cum Dalila, ut vocationem Gentium præfiguraret, & in morte quam ex ruina Templi voluntarie oppetiit, fuit typus Christi, qui sua morte omnes salutis hostes devicit, superavit, prostravit.

---

## ARTICULUS QUARTUS.

*Num liber Ruth, sit sacer?*

HUJUS Libri incertus est auctor; a Samuel tamen concinnatus creditur. Ruth nomine insignitur, eo quod istius mulieris, ex qua David suam duxit originem, & per David vel ipse Christus, facta referat.

*Quatuor* capitibus istud volumen concluditur. In priore refertur peregrinatio Elimelech viri Bethlehemitæ Ephratæi, qui, exorta fame in Palestina, una cum uxore Noemi & duobus filiis in terram Moab se contulit; afflictio Noemi, quæ & viro & filiis orbata cum utraque nuru remansit desolata, & tandem ejusdem Noemi cum nuru sua Ruth in patrium solum, id est, in Bethlehem reditus.

*In* altero capite habetur quo pacto, Ruth præ egestate spicas in agro Booz affinis sui colligens benigne ab eo suscepta sit. In tertio Ruth ex consilio Socrus suæ Noemi ad pedes Booz dormientis recubuisse dicitur, & ab eo honeste nuptias postulasse, idque, juxta legem, cum pri-

primus maritus Ruth fato functus, consanguineus esset Boozi admodum quidem divitis, sed jam ætate provecti. In postremo Ruth secundas nuptias cum Boozo coram Senioribus Bethlehem, universo approbante populo, init. Ex hoc connubio ortus est Obed in Genealogia Christi ab Evangelista celebratus; quocirca sanctus Hieronymus Epist. ad Paulinum, ait: " Ruth Moabitis, Isaiæ explet vaticinium, dicentis: Emitte agnum Domine, dominatorem terrę de petra deserti ad montem filię Sion. " His prælibatis, fit

## CONCLUSIO.

*Liber Ruth est sacer.*

PROBATUR isto ratiocinio: Ille liber est sacer, qui inter Libros sacros, tum a Judæis, tum a Christianis reponitur: Atqui liber Ruth ab iis omnibus uti talis celebratur: Ergo &c. Probatur minor. Apud Hebręos quidem, est unus inter quinque *Megillot*: Atque adeo ex ordine *Sethubin*, & quidem eorum primus juxta Thalmudicos in *Bababatra* qui publice in Festo Pentecostes legitur: Similiter vero ipse in Canonibus omnibus Ecclesię Christianæ post librum Judicum legitur.

*Neque* vero levius eius indicat authenticitatem, quod sit pars & velut appendix libri Judicum secundum Hebræos; in unum quippe Librum utramque compingunt historiam. Sic docet Origines apud Eusebium lib. 6. Hist. Eccles. cap. 25. sic sanctus Hieronymus in Prologo Galeato.

*Confirmatur*. Ille Liber est divinus, cujus historia laudatur a S. Matthæo, ut Christi Genealogiam ex Davide describat: Atqui S. Matthæus Genealogiam Christi a Davide per Ruth enarrat. Et probatur. Primo, ex ipso Evangelii textu; namque cap. 1. habetur: *Booz autem genuit Obed ex Ruth: Obed autem genuit Jesse: Jesse autem genuit David Regem.... Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus*. Secundo, ex sanctis Patribus. Instar omnium sit sanctus Hieronymus in cap. 1. S. Matth. S. Ambrosius in cap. 3. Lucæ, & Theodoretus quæst. 1. in Ruth, ubi sic loquitur: " Cur scripta est de Ruth historia? " Respondet: " Primum, propter Christum Dominum; ex ea enim ortus est secundum carnem, & ideo divinus quoque Matthæus conscribens Genealogiam, virtute quidem insignes ac celebres prætermisit mulieres, Saram & Rebeccam & alias: Thamar autem & Raab meminit, & Ruth, & uxoris Uriæ, docens quod propter omnes homines Unigenitus Dei Filius homo factus est, & Judæos & alias gentes, & peccatores & justos. "

*Diluuntur & explicantur objecta.*

NONNULLÆ difficultates solvendæ & explicandæ occurrunt, ne quid ab authenticitate libri detrahatur.

*Objicies* I. Liber Ruth Josepho lib. 1. contra Apionem, aliisque antiquioribus ignotus fuit, apud quos 22. tantum Libri sacri habentur. II. In multis deest exemplaribus. III. Noemi, quę in illo valde commendatur contra legem Exod. 34. 16. Num. 36. 6. Deut. 7. 30. uxores Moabitidas etiam in idololatria perseverantes, pro filiis suis accepit uxores, ut habetur Ruth 14. 15. quorum alteram, etiam Booz, qui & laudatur contra legem Deut. 23. 3. Moabitam in Synagogam uxorem pessimo exemplo induxit. Quid plura? Eadem Noemi nuri suæ Ruthę suasisse dicitur inhonestum perversumque cum Booz Matrimonium ineundi modum, ut habetur cap. 4. videlicet occultum, maxime cum illud a propinquioribus efflagitare debuisset vers. 12. *Nec abnuo me*, ait Booz, *propinquum, sed est alius propinquior me*. Igitur non proponitur in libro piæ mulieris exemplum. De hoc momento sic loquitur S. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 5. " Si secundum litteram sensum torqueamus, prope quidam pudor & horror in verbo est: si ad commixtionis corporeæ consuetudinem sententiam intellectumque referamus. " Hinc sanctus Hieronymus in cap. 1. Matth. Rutham inter peccatrices mulieres annumerat. Ergo &c.

*Quatuor* igitur aut quinque adversus

librum Ruth objiciuntur, quę e sacris Libris expungendum esse probant. Primoquidem, quod antiquioribus ignotus fuerit ille liber. Secundo, quod in multis exemplaribus desideretur. Tertio, quod Booz contra Legem uxorem duxerit alienigenam. Quarto quod ipsa Ruth, consilio Noemi deceperit Booz, cum fraudulenter, ipso dormiente discooperto, ad eum accesserit, ut pro viro illum haberet, quod quidem factum juxta sanctorum Doctorum effata abavis David eliminandum est, ut tanti Regis consulatur famæ &c.

*Respondeo* I. Sufficere ad Libri authenticitatem, quod Auctor sacer veritatem in dictis servet & scribat: jam vero ad cætera inconvenientia in promptu est solutio, cum in multis facta Scripturæ, nonnullas, permittente & ordinante Deo, suscipiant exceptiones.

*Ad* primum dico, secundum veteres Hebræos librum Ruth cum libro Judicum per modum unius habitum fuisse; Doctores quippe Synagogæ Libros sacros juxta numerum alphabeticum viginti duabus litteris complexum numerabant, quocirca viginti duos tantum Libros sacros computabant. Sic & duo libri Paralipomenon tamquam unus ab eis habebantur. Ita Origenes apud Eusebium lib. 6. hist. cap. 25. ubi expresse habetur librum Ruth cum libro Judicum, tamquam unum numerari.

*Ad* secundum distinguo: Deest liber Ruth in quibusdam exemplaribus, hisque mutilatis, concedo: in omnibus, nego. Nam in pluribus vetustis codicibus etiam Arabicis adinvenitur. Huic accedit constans & Synagogæ & Ecclesiæ Christi testimonium, cum & a Rabbinis, & a sanctis Doctoribus uti authenticus habeatur.

*Ad* tertium distinguo: Et Lex non semel ad bonum publicum permisit Judæis nubere cum alienigenis, concedo: sic Samson nupsit cum Dalila, Esther cum Assuero, ita & Booz potuit nubere cum Moabitida. Lex prohibet quidem nubere cum septem nationibus, sed non cum Moabitis: prohibet quoque mulieribus Hebræis accipere virum alienigenum, eo quod mulier sequatur conditionem viri, quocirca post Deos conflatiles viri abiret, sed non e contra: & prohibuit semper & ubique, nego. Potuit igitur Booz accipere mulierem alienigenam pro uxore, ut conversa per virum ad fidem proficeret in melius. Ita S. Augustinus quæst. 35. in Deut. Alii sanctissimi Patres ulteriorem de hoc momento afferunt rationem, asseruntque Booz non peccasse Matrimonium ineundo cum Ruth, quippequi per conjunctionem cum alienigena vocationem Gentilium præluserit.

*Ad* quartum distinguo: Patres reprehendunt modum quo Ruth accessit ad Booz, ut ab eo nuptias efflagitaret, concedo: ipsum arguunt Matrimonium, nego. Booz enim evigilatus mulierem ad pedes suos animadvertens, obstupuit; sed omnibus æqua lance ponderatis, propinquiore vero parente suo cedente juri, coram Senioribus Bethlehemitis, vel universo etiam applaudente populo, cum Ruth tametsi pauperrima nubere non erubuit; ex hoc autem Matrimonio sic honeste celebrato, natus est Obed, qui ab Evangelista in Genealogia Christi annuntiatur.

*Vel* ipse Ambrosius istas nuptias ut Mysteriis refertas encomio celebrat, ut colligitur ex verbis antecedentibus & consequentibus. Cuncta hic texere non injucundum erit. Sic loquitur pag. 306. "„ Quod Ruth, licet ipsa alienigena, tamen quia maritum habuerat ex Judæis, „ qui reliquerat superstitem proximum, „ eamque colligentem manipulos suæ „ Messis, quibus alebat & socrum, Booz „ vidit & amavit, non aliter eam accepit uxorem, nisi calceamentum ejus „ ante solvisset, cui uxor debebatur ex „ lege. Historia simplex, sed alta Mysteria: aliud enim gerebatur, aliud figurabatur. Nam si secundum litteram „ sensum torqueamus, propequidam pudor est ... Designabatur autem futurus „ ex Judæis, ex quibus Christus secundum carnem, qui proximi sui, hoc est „ populi mortui semen, doctrinæ cælestis semine resuscitaret, cui calceamentum nuptiale Ecclesiæ copulandæ præscripta Legis spiritalia deferebant. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Liber Ruth est sacer.*

PRIMO: Synagoga illum veluti libri Judicum appendicem recipit: tum Ecclesia in Concilio Tridentino adunata sess. 4.

*Secundo*: Hujus libri historia a S. Matth. cap. 1. ut pertinens ad Christi Genealogiam celebratur.

*Tertio*: Eumdem librum ut sacrum habent Origenes apud Eusebium lib. 6. hist. cap. 25. Hieronymus in Prologo Galeato. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 5.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Nemini mirum videri debet, si Josephus lib. 1. contra Apionem sileat Ruth volumen, quia nomine libri Judicum, cujus est velut appendix, illud comprehendit.

*Secundo*: Tametsi desit ille liber in quibusdam codicibus, non tamen in iis qui sunt optimæ notæ, & ab omni mutilatione & defloratione immunes.

*Tertio*: Quidam Patres abnuunt quidem modum quo Ruth accessit ad Booz, ut nuptias efflagitaret, sed non ipsum Matrimonium, quod juxta legem illi debebatur.

---

## ARTICULUS QUINTUS.

*Num quatuor libri Regum sint sacri?*

LIBER primus continet historiam Samuelis, electionem Saulis in Regem, ipsius gesta & omnia quæ acta sunt a judicatura Eli usque ad mortem Saulis. Item Arcam captam refert, sicut & gesta Davidis ut hominis privati, ejus per Saulem invidum exagitationem, Hebræorum quoque cladem, Saule & Jonata interfectis & mortuis: Incertus est hujus libri auctor. Theodoretus Præfat. in libros Regum tenet hunc primum, & etiam secundum a Prophetis scriptos. Primus exaratus est anno mundi 2848. ante Christum natum 1156. continet XXXI. capita.

*Secundus* complectitur gesta Davidis a morte Saulis per 40. annos usque ad ipsius mortem. Absalonis scelus duplex, unum in fratrem Ammonem quem occidit eo quod Thamar sororem suam deflorasset: alterum in Patrem quem regno spoliare tentavit. Scriptus est anno mundi 2949. ante Christum natum 1053. Primus vocatur liber Samuelis, quia multi illius eum credunt auctorem usque ad caput vigesimum quintum; finem vero & totum librum secundum scriptum fuisse a Gad & Nathan Prophetis, qui gesta Davidis memoriæ mandarunt, quippequi ejus floruerint temporibus, juxta illud lib. 1. Paralip. cap. 29. *Gesta autem David Regis priora & novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ: atque in volumine Gad videntis*. Viginti quatuor capitibus concluditur.

*Tertius* refert mortem Davidis, tum regimen & acta Salomonis, ejus nimirum sapientiam, ædificando & Templum & Regis domum: postremo divisionem regni, & historiam quorumdam Regum Juda & Israel: sed & quæ per 119. annos egerint. Scriptus est anno mundi 2989. ante Christum vero natum 1015. Quidam existimant Esdram esse hujusce Libri auctorem sicut & quarti, Habet XXII. capita.

*Quartus* exhibet Historiam 16. Regum Juda & 13. Israel: Eliæ & Elisei facta præclara, captivitatem Babylonicam, subversionem civitatis Jerusalem per Nabuchodonosor: Uno verbo, ea omnia quæ 308. annorum spatio acta sunt. Scriptus est anno mundi 3018. & ante Christum natum 896. continet XXV. capita.

*Divisio* regni facta est tempore Roboam. Decem Tribus, juxta Ahiæ Prophetiam abierunt post Jeroboam, qui thronum regni sui in Samaria posuit, ut dictum est, & propter majorem Israelitarum numerum, Regnum Israel dictum est: tribus vero Juda & Benjamin Roboam filio Salomonis adhæserunt, cujus quidem Regnum a Juda Tribu nobiliori nomine, Tribus Juda celebratum est. Isti duo posteriores libri ab Hebræis vocantur *Malachim*, quod latine dicimus, *Reges*; unde Latini illos sic appellant; jam sit

CON-

## CONCLUSIO.

*Quatuor libri Regum sunt Canonici.*

PROBATUR hac ratione. Illi libri sunt Canonici, qui inter priores numerantur Prophetas, hoc est, inter Libros ab auctoribus Canonicis & inspiratis conscriptos; qui in Hebræorum Proto-canone inscribuntur; de quorum authenticitate nusquam dubitatum est; quique in novo Testamento non semel in veritatis testimonium adducuntur: Atqui res sic se habet pro quatuor Regum libris: Ergo &c. Probatur minor. Primo quidem, Samuel & Esdras Prophetæ istorum Librorum auctores habentur. II. Juxta omnia manu-scripta, omnesque tum veteres, tum novas editiones in Proto-canone Synagogæ adinveniuntur. III. Patres Græci simul & Latini, ut Origenes, Augustinus, & alii, ut Eusebius lib. 9. Præp. Evan. cap. 30. Nicolaus Damascenus apud Josephum lib. 7. cap. 6. inter Libros canonicos, libros Regum commemorant. Denique Actuum 7. S. Stephanus historias Regum adducit in veritatis testimonium; quinimmo ipse Christus, & post ipsum Apostolus, quasdam ex istis libris Sententias deprompserunt, ut Matth. 12. 3. Rom. 12. 3. 4. 9. & Hebr. 1. 5. Ergo &c.

*Confirmatur*: Quoniam Libri alicujus authenticitatem nihil magis demonstrat, quam argumentum ex ipsa Scriptura sacra desumptum, non injucundum erit illud momentum ulterioribus exemplis illustrare.

*Liber* primus & secundus Regum passim laudantur in multis veteris Testamenti libris, pluresque Christi & ejus Ecclesiæ exhibent figuras.

*Libro* 1. cap. 2. 6. habetur: *Dominus mortificat, deducit ad inferos & reducit.* Eadem sententia Sap. 16. 13. citatur, his verbis: *Tu enim es Domine qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis.* Rursus Tobiæ 13. 2. *Quoniam flagellas, & salvas, deducis ad inferos & reducis.* Ibidem cap. 12. Samuel ad universum Israel dicit: *Loquimini de me coram Domino & coram Christo ejus, utrum bovem cujuspiam tulerim, aut asinum .... Si de manu cujusquam munus accepi.* De eodem Eccli. 46. 22. *Ante tempus finis vitæ suæ & sæculi, testimonium præbuit in conspectu Domini, & Christi: pecunias, & usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusavit illum homo.*

*Libro* 2. Reg. 7. Nathanis ore locutus est Dominus David dicens: *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo Regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum Regni ejus usque in sempiternum; Ego ero ei in patrem & ipse erit mihi in filium.* Similia leguntur Psal. 88. *In æternum servabo illi misericordiam meam, & Testamentum meum fidele ipsi, & ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies sæculi.*

*Rursus* ibidem cap. 7. vers. 14. *Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum & in plagis filiorum hominum: misericordiam autem meam non auferam ab eo.* Quibus concinunt illa Ezech. 17. verba: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur.* Quæ sententia etiam excerpta videtur ex eodem lib. 2. Reg. cap. 14. ubi mulier ad David, ait: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur. Nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abjectus est.*

*Reprobatio* Saulis & translatio Regni ad Davidem significat vocationem Gentilium, qui gratia Christi a Davide secundum carnem oriundi, in locum Judæorum abjectorum suffecti sunt. Anna Samuelis mater quæ prius fuit sterilis, & posteriore fecunditate lætata est, typus fuit Christi Ecclesiæ, cujus quidem nomine propheticum Canticum edidit lib. 1. Reg. cap. 2. *Exultavit*, inquit, *cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.*

*Liber tertius & quartus Regum non semel laudantur in novo Testamento.*

CHRISTUS Luc. 4. ait: *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel quando clausum est cœlum annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidonis ad mulierem viduam, & multi leprosi erant in Israel sub Elisæe Propheta. Et nemo eorum*

*eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Hæc ipsa lib. 3. Reg. 17. & 4. Reg. 4. enarrantur.

*Rursus* Rom. 11. habetur: *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura? quemadmodum interpellat Deum adversum Israel: Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Ista sententia ex lib. 3. Reg. cap. 19. excerpta est. Demum sacra Synodus Trident. sess. 4. eos quatuor libros ascivit in Canone Librorum sacrorum. Concinunt omnes SS. Patres & Interpretes. Ergo &c.

*Solvuntur objectiones, quæ militant contra Librum primum Regum.*

OBJICIES: Multa in hoc libro non videntur vera, sed potius contradictoria: Igitur inter sacros non annumerandus. Probatur antecedens: Primoquidem, Elcana dicitur Ephratæus, & tamen erat Levites, ut habetur lib. 1. Parip. 6. ex quo sequitur Samuelem ejus filium non potuisse voveri Deo, quandoquidem soli filii Levitarum, ut legitur Num. 8. jure hæreditario altari consecrabantur. Secundo, non cohærent hujus libri Sententiæ: namque cap. 16. refertur Davidem in aula Saulis notum & familiarem fuisse, cum potius fuisse ignotum ex capite 17. constet. Tertio, Proverbium istud: *Numquid Saul inter Prophetas?* uno scribitur modo cap. 10. altero prorsus diverso cap. 19. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad primam probationem distinguo: Elcana dicitur Ephratæus a civitate Ramathain in Tribu Ephraim, cujus erat concivis & colonus, concedo: ex prosapia, nego. Origine quippe erat Levites; quia vero Levitæ in diversis Tribuum urbibus habitabant, etiam ex civitate nomen accipiebant, in quo sensu Elcana Ephratæus vocatur.

*Ad* aliam ejusdem probationis difficultatem, dico, Samuelem a matre ex pio voto pro ejus ortu & Nativitate Deo in perpetuum consecratum fuisse, ut serviret Deo, non quidem alternata vice, donec 25. attigisset annum, sicut alii Levitæ, sed etiam ut a pueris illi famularetur, quocirca prope Tabernaculum commorabatur: Debuit igitur specialiter Deo voveri.

*Ad* secundam probationem distinguo: Et Davidis duplex fuit ad aulam Saulis aditus, concedo: & tantummodo unus, nego. Primoquidem secutus est tres suos fratresqui ad bellum adversus Philisthæos properabant, & tunc in aula Regis ignotus apparuit, sic habetur cap. 17. postea vero absque mora in domum paternam reversus est, ut pro more suum pasceret gregem: Sed ex rumore certior factus de blasphemiis, quas Goliath 40. dierum spatio contra Deum evomuerat, inspiratus petiit iterum aulam, ut religionis & regni hostem infensissimum debellaret, quoquidem interfecto in funda & in nomine Domini, famosus & percelebris nedum in aula, sed in toto Regno factus est, ut legitur cap. 16. Scriptor autem non servavit rerum gestarum & temporum ordinem ac seriem, sed cap. 16. historiam Goliath, & victoriam Davidis indivulse texit & enarravit.

*Ad* tertiam probationem non abs re erit etiam uti distinctione: Et Proverbium istud, *numquid Saul inter Prophetas?* propter varia atque diversa prophetiæ oracula dictum est, concedo: Propter unum solum, nego. Cap. 10. Saul jussus prophetat: & cap. 19. Saul peccator etiam, Deo permittente, iterum prophetat; unde non mirum si proverbium laudatum in diversis celebretur capitibus.

*Repones*: Nonnulla etiam adversus Dei legem in isto commemorantur libro: Igitur non videtur esse sacer. Probatur antecedens multipliciter. Primo, Eli ait cap. 2. *Si quis in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* sed ex hac sententia sequitur dari peccatum irremissibile, quod certe fidei adversatur: Ergo &c. Secundo, Magnus ille Pontifex, ut ibidem habetur, propter peccata a filiis patrata graviter punitur: & tamen Deus, Ezechiel 18. non vult innoxium rei noxii portare pœnam. Tertio, Bethsamitæ ferme innumerabiles propter pietatis factum & sacrificium Deo oblatum morte puniuntur: Sed & hoc inconveniens videtur: Ergo

Ergo &c. Quarto, Samuel Ephod induit, offert holocaustum & sacrificium, ungit David in Regem, accendit lampades, ut ibidem Cap. 2. habetur; & tamen non satis claret Samuelem fuisse Sacerdotem, quandoquidem non erat ex filiis Aaron oriundus. Quinto, cap. 30. Lex Davidis diebus facta legitur, cum hoc, tempore dumtaxat Moysis peractum sit: Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad primam probationem nego minorem: Nullum enim peccatum in hac vita irremissibile censeri debet, cum teste sancto Cypriano, etiam si aliquis animam ultimate ageret, immo & ipsa veluti in faucibus, aut lingua seu etiam labiis hæreret, peccator misericordiam efficacia contritionis consequi potest. Sensus igitur Scripturæ ille est, quædam peccata enormem propter malitiam non nisi difficile remitti; tum quia peccator vix ad cor redire vult, tum quia etiam ex cordis obduritie, & gratiarum propellit imbres, & preces ab Ecclesia pro eo fusas inutiles reddit; quin immo nonnumquam ei denegantur quædam specialia auxilia, si loquamur de iis quæ in conventu Ecclesiæ per publica sacrificia, & jugis orationibus exhibentur. Et vero pro peccatis ignorantiæ, sicut & pro offensis erga proximum commissis, sacrificia in veteri lege offerebantur, raro vero admodum pro peccatis erga divinam Majestatem directe patratis: & in hoc prorsus sensu beatus Joannes epist. 1. cap. 5. ait: *Est peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roget quis*. Eo loci de quibusdam adversus S. Spiritum peccatis loquitur, quæ vix in hoc remittuntur mundo, quatenus per hujusmodi peccata quamdam excommunicationem incurrit peccator; namque ad terrorem sacrificia in veteri lege non erant pro iis qui in Deum directe peccabant, in nova vero quandoque per excommunicationem latæ sententiæ blasphematores & alii graviter cum scandalo peccantes, fructu sacrificii privantur. Hac solutione multa alia utriusque Testamenti Scripturæ dilucidantur & explicantur, sicut cum Deus, vel ipsius Samuelis pro remissione delicti Saul fusam precem abjecit.

*Ad* secundam probationem distinguo: Et Eli filiorum peccati luit etiam pœnas, eo quod talis peccati reus esset, concedo: absque jure punitus est, nego. Filii Eli populum ab immolando sua avaritia, sicut & gula elongabant, quatenus de adipibus, antequam Deo offerentur, sumebant, quod erat, ait Scriptura, grande peccatum: cujus tamen peccati non nihil reus erat pater, quatenus filios & corrigere, & punire neglexerat; hinc ejus incuria filii isti in peccatum alternatis vicibus prolabantur. Samueli sic loquitur Dominus cap. 3. de abjectione domus Eli a Sacerdotio. *Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, & non corripuerit eos*.

*Ad* tertium distinguo: Bethsamitæ puniti sunt propter incongruum, aut sacrificandi, aut orandi modum, concedo: præcise propter pium opus, nego. Saul opus in se bonum patrabat, cum Deum Sacrificio placare voluit, sed certe modum a Deo determinatum omisit, quandoquidem non ad laicum, sed solummodo ad Sacerdotem Sacrificium offerre pertinebat: & ideo abjicit Saulem Dominus. Israelitæ Regem a Deo expostularunt, & quis eos de peccato in hoc arguet, cum etiam Deus illis postulata concesserit, sed intempestive Regem sibi dari petierant, tempore scilicet Samuelis, qui illos juxta legem judicabat; hinc non placuit Deo eorum petitio, quæ alias pergrata fuisset, in ea scilicet hypothesi, qua vel tyrannum, vel impium pro judice habuissent: Non absimili modo Bethsamitæ flagellati sunt, dubioprocul non propter cultum Deo Arca præsente exhibitum, sed potius suam propter irreverentiam, debitum non servantes in sacrificando modum.

*Ad* quartum distinguo: Et juxta Dei ordinationem Sacerdotis munere functus est pius & devotus Samuel, concedo: seclusa Dei ordinatione, nego. Ad solos quidem Aaron filios jure hereditario pertinebat Sacerdotium & offerre Sacrificia; ad Levitas vero quædam alia in Templo gerere munia, ut pararent ad Sacrificium materiam: Samuel ex genere erat Levitico, nam & Levites in Scriptura nominatur: Sed & per privilegium ipse obtulit Sacrificia; jubente enim Domino ad Bethlehem perrexit civitatem ut Sacrificium offerret, & hac data & ordinata occasione vocavit Isai ad victimam, tum recensi-

ceusitis ejus filiis, illum in Regem unxit quem monstravit ei Dominus, scilicet David. Samuelem fuisse Domini Sacerdotem aperte declarat Scriptura Psal. 98. his verbis: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos qui invocant nomen ejus.* Ex qua sententia liquet quosdam præter Aaron & filios ejus per privilegium subiisse Sacrificium offerendi munus; quales fuerunt & Moyses & Samuel.

*Ad* quintum etiam distinguo: Lex dicitur facta tempore David, hoc est permittente Domino, legem interpretando quædam sanxit David, concedo. Lex ipsa condita est, nego. Joan. 1. habetur: *Lex per Moysen facta est*, sicut igitur Abraham quædam spolia omnibus dividi voluit, etiam illis qui ne quidem dimicaverant, sic & quædam ordinavit Rex David.

*Instabis*: In eodem libro quædam manifeste contradictoria habentur, & de hoc illud accipe exemplum. Cap. ult. Saulem a se ipso interfectum, & postea ejus armigerum, qui Regis insistens vestigiis, violentas sibi ipsi intulit manus, Scriptor canonicus commemorat, & tamen lib. 2. Reg. cap. 1. Idem Saul ab Amalecita occisus dicitur: Ergo &c. Secundo, congregari non potuit universus populus in Maspha, sicut habetur lib. 1. Reg. cap. 7. quandoquidem hæc civitas, ut habetur cap. 22. ad Moabitas pertinebat. Tertio, non verum est quod cap. 7. legitur, scilicet: *Philisthim non apposuerunt ultra, ut venirent in terram Israel*; cum etiam, adhuc vivente Samuele, Israelitas ita debellaverint, ut etiam Arcam ceperint; eamque in suas duxerint civitates. Quid plura? Etiam legitur in eodem libro spiritum Dei malum irruisse super Saulem, cui & ipse Samuel jam mortuus arte magica apparuit, eique erga Deum peccata exprobravit: Sed spiritus Dei profecto non est malus, nec absque impietate & blasphemia hoc dici potest; pari & consimili ratione non dicendum est animas sanctorum arte Pytonissæ quasi in corpore redivivas alloqui viatores: Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad primam probationem distinguo: Et Amalecita splendide mentitus est Davidi, ut ejus sibi conciliatet gratiam, credens magnum Regi præstitisse obsequium, dicendo illius adapertum occidisse hostem, concedo: & revera vilis ille Amalecita Saulem interfecerat, nego. Interfectum quidem adinvenit, ejusque armillam detulit David, quo quidem facto speciem habebat veritatis mendacium, sed spes eum sane fefellit, nam & ipse criminis ementiti luit pœnas: & sic utraque consociatur Scriptura. Solutio est Theodoreti, Abulensis, Lirani, Gerrari, Tornielli, maxime vero Tyrini comment. in cap. ult. lib. 1. Regum.

*Ad* secundum non absimili ratione distinguo: Non potuit congregari populus in Maspha Moabitica, concedo; Israelitica, nego. Duplex erat ejusdem nominis civitas, una ad Moabitas pertinens, altera vero ad Hebræos, quæ erat posita versus Tribus Benjamin confines: & in ista congregatus est populus.

*Ad* tertium utique distinguo: Non apposuerunt ultra Philisthim ut Israel debellarent toto Samuelis tempore, quique duobus circiter annis simul cum Saule judicavit populum, concedo: Mortuo Samuele, nego. Genuinus Scripturæ sensus est Israel prosperatum fuisse omni tempore quo eum judicavit fidelis Propheta Domini, unde ista verba, *non apposuerunt Philisthim &c.* hunc reddunt sensum, toto Samuelis tempore Philisthim & devicti, & propulsi sunt; quod quidem non impedit, ut postea populus incircumcisus Israel devicerit, nam sub Pontificatu Eli in prælio filii Israel, ipsa capta Arca, multis occisis, ceteri a facie Philisthiim fugerunt.

*Ad* quartum, eamdistinctionem adhibemus: Invasit spiritus Dei malus Saulem, hoc est, permisit Deus ut Saul ad erroris & malitiæ spiritus attenderet, & iterum atque iterum inobediendo peccaret, concedo: hoc est, proprius Dei Spiritus est malus, nego. Deus, teste divo Jacobo intentator malorum est, ejus spiritus & rectus, & per omnia sanctus est, juxta illud Psal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Rursus Psal. 50. *Spiritum rectum innova in visceribus meis*: Eatenus igitur malus dicitur etiam Dei Spiritus, quatenus non nisi, Deo permittente, dæmon potest tentare homi-

homines, & suas per peccatum trahere in partes.

*Ad* factum Pytonissæ non absque fundamento multi existimant mulierem illam peccatricem arte magica animam Samuelis non advocasse, sed tantummodo per phantasma impio illusisse Regi. Alii vero, Deo permittente, cujus quidem judicia abyssus multa, contendunt Sauli apparuisse Samuelem, qui illi iterum atque iterum ejus exprobraret inobedientiæ & malitiæ peccata.

*Urgebis*: Non desunt alia quę in eodem libro quamdam contradictionis speciem præ se ferant. Et probatur. Cap. 15. sic loquitur Sauli Samuel: *Scidit Dominus regnum Israel a te*; & tamen hoc jam jam factum fuisse cap. 13. commemoratur. Item cap. 14. Jonathas innoxius punitur, eo quod paulum mellis prægustasset contra preceptum Regis, & hoc etiam propter factum contritus est a Domino populus: Ergo &c.

*Respondeo* negando Ant. Ad primam probationem distinguo: Et eo loci pœnæ infligendæ propter iteratam Saulis inobedientiam repetita est sententia, concedo: & absque fundamento lata est hujusmodi sententia, nego. Saul alternata vice Domini transgressus fuerat præceptum, videlicet parcendo Regi Amalec, aliisque optimis, tum de gregibus, tum de divitiis quæ in suos converterat usus contra preceptum Domini: deinde adolendo thus imminente prelio, ut placaret Dominum, & hoc ante adventum Samuelis, ad quem solum spectabat offerre Sacrificia, quocirca supplicii sententia, etiam alternata vice adversus inobedientem lata est. Namque post primam culpam oraverat pro Rege Samuel, & Deus quasi placatus apparebat; sed iterata eadem inobedientiæ offensa, non adjecit Dominus ut misereretur Saulis, eoquod iste obduratus manebat, immo cum Samuel effusis lacrimis etiam preces pro Saule Deo funderet, non exaudivit Dominus.

*Ad* secundam probationem, respondent cummuniter Theologi, Jonathan non peccasse, quandoquidem ignorabat mandatum Patris, quo cunctis militibus certo tempore ab omni etiam levissimo cibo abstinere jusserat, subduntque ipsum Saulem peccasse votum emittendo de duriori jejunio: quia tamen melius est non vovere, quam vota non adimplere, ideo propter transgressionem Deus contrivit populum: nec mirum, Lex vetus erat severitatis Lex, ita Josephus.

*Dices*: Eadem Scriptura dicit Saulem duobus tantummodo annis regnasse: alibi vero multo pluribus rexisse populum scribitur: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Hoc est, duobus tantum annis Samuele scilicet adhuc vivente, Saul sapienter suum rexit populum, concedo: duobus tantum annis arithmetice sumptis regnavit, nego, Quoniam vero sola bona opera in libro vitæ inscribuntur, mala vero ab eo delentur, ideo, Scriptor canonicus prima fronte duos tantum pro Saulis regno commemorat annos, postea tamen de ceteris mentionem facit, a primisque secernit, quasi pro nihilo haberentur, & quorum non esset amplius memoria, juxta illud Psal. 68. effatum de impiis: *Deleantur de libro viventium, & nomen eorum non memoretur amplius.*

*Diluuntur objecta adversus Secundum librum militantia.*

VARIA objiciuntur ex isto libro, quæ quidem a veritate peregrina apparent. Primo Principes latronum vocantur cap. 4. v. 2. qui suo Regi adsunt; & cap. 21. 2. Gabaonitæ dicuntur Amorrheorum reliquię. Item cap. 24. v. 23. Rex aliquis Jerosolymorum Arcuna nominatur. Præsertim vero falsum est Isbosetum Regem constitutum fuisse super Gessuri. Sicut cap. 2. v. 19. dicitur, ac duos tantum annos regnasse juxta verum 10. namque 7. anni cum dimidio elapsi sunt antequam David regnaret super Israel. v. 7. item cap. 5. v. 5. *Fuit autem Tholomai semper Gessuri Dominus.* Cap. 13. v. 37. & primo R. 27. 8. &c.

*Respondeo* ista omnia absque negotio & explicari & concordari: Ad primum ista est responsio: Baana & Rechab vocantur in hebræo & græco Principes agminum: Sed latinus interpres, quia milites præsertim prætoriani deprædandis hostibus vacabant, latrones eos vocat. Porro antiqui omnes incolæ Palæstinæ sicut Chananæorum, sic & Amorrhæorum generaliter sumpto nomine nuncupantur: jam Arcu-

Arcuna seu Ornan Rex non dicitur in Paralipomenis nisi in Hebræo & Latino, 2. Reg. 24. nullatenus tamen in Græco, in Syro & Arabico: potuit vero sic vocari, quia fuit Gebusæorum Rex, cui utpote pio & proselyto David aliquod prædium in monte Moria concessisse videtur, quando Gebusæos ex illo ejicit loco.

*Ad* secundum, in Hebræo legitur super Assuri, quam dictionem ut obscuram vertit Græcus Thasiri, Latinus vero Gessuri: Sed potius ista voce significantur Assuræi, seu viri Tribus Aser, sicut sequenti Jesrael viri Tribus Issachar; ex quibus intelligitur Isboseth obtinuisse sicut Orientalem sic & Septemtrionalem totam Terræ sanctæ partem: porro intelligunt aliqui annos duos Isbosetum regnasse pacifice, seu usque ad luctam, de qua v. 14. sed forte verius est Israelitas diu absque Rege fuisse antequam Isbosetum sibi præficerent. Neque vero statim, illo mortuo, se Davidi subjecerunt, ut ex totis septem cum dimidio annis duos tantum regnasse Isboseth dicatur. Et sic patet solutio ad singulas difficultates.

*Urgebis:* Nonnulla alia veritati adversantia in isto secundo occurrunt libro: Ergo &c. Probatur Antecedens multis momentis: Primoquidem Arca vocatur Chidon, cum Cariathiarim quiescit. Cap. vero 6. Arca Nachor nomine celebratur. Secundo, David eodem capite 6. nudatus ante Arcam incedens dicitur. Lib. vero 1. Paralip. v. 27. Ephode byssino vestitus commemoratur. Tertio, Goliath a Deo datus cap. 21. occisus narratur, cum tamen ex lib. primo 17. Reg. constet a Davide fuisse interfectum. Quarto, non est verum Miphiboseth in mensa Davidis fuisse semper nutritum, ut habetur cap. 8. Quinto, neque magis verisimile apparet Absalom non habuisse filium, Michol vero quinque peperisse filios, ut cap. 18. sacer enarrat Scriptor. Falsum quoque est prælium in quo Absalom cecidit, commissum fuisse in saltu Ephraim qui cis Jordanem positus erat seu situs, ut in eodem habetur capite. Nec verum est quod rebelles Davidi Semei & Siba fuerint, ille de domo Joseph, iste de monte Ephraim, sicut cap. 19. v. 20. scribitur. Mitto quædam alia contradictoria: unum tantummodo inter cetera referam, videlicet non esse probabile, Davidem alias mitissimum, exquisitis cruciasse tormentis Ammonitas, maxime vero cum ex lib. 1. Reg. cap. 15. Rex ille & pius fuerit, & rectum fecerit coram Domino. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens; namque, ut supra non semel dictum est, juxta diversos respectus facta Scripturæ facile conciliantur, ut attendenti patebit.

*Ad* primum igitur dico, immutato Chidon nomine, Arcam Nachor nomen habuisse ex loco, ubi Osa temerarius percussus est.

*Ad* secundum distinguo: David ante Arcam incedens nudatus erat, hoc est, Regiis vestimentis spoliatus, concedo; & hac de causa superba mulier illudendo Regi, eum proclamavit nudum, propter quod a Deo gravi morbo percussa est: David erat simpliciter nudus, nego. Nam ut habetur lib. 1. Paralip. Ephode byssino erat præcinctus.

*Ad* tertium, frater Goliath interfectus legitur lib. 2. nusquam vero ille quem in valle Therebinti David percusserat.

*Ad* quartum dico, revera quidem Miphiboseti filium non semper mensæ David adsuisse, cum bona Saul pro suo victu & vestitu a Rege acceperat, sed non idem dicendum de ejus patre, quem in mensa David semper nutritum fuisse constat.

*Ad* quintum, sensus Scripturæ sic adaperitur: Absalom, aut non habebat filium, cum triumphalem extruxit Arcam, aut jam susceptos amiserat filios, quocirca cap. 8. legitur Absalom non habere filium.

*Ad* factum Michol graves auctores existimant esse in textu mendam, & loco *Mereb* sororis Michol, quæ quinque pepererat filios, appositum fuisse Michol: Sed & isti Michol filii adoptivi eatenus dici possunt, quatenus de eis curam egerat Michol.

*Ad* id vero quod dicitur prælium, in quo Absalom cecidit, non fuisse in saltu Ephraim commissum, ultro fatemur: attamen propugnamus recte dici posse commissum in saltu Ephraim propter interfectos ibi a Gephta Ephraimitas.

*Ad* subsequentem difficultatem dico: Et Semei 2. Reg. 16. 4. & Siba cap. 20. 1. Benjaminos, extitisse. Siba itaque dicitur de monte Ephraim fuisse habitatione,

præ-

præsertim, cum istius montis pars aliqua pertineret ad Beniamin Tribum; sed Semei se de domo Joseph dicit, vel quia sub vexillo Ephraim pugnabant Benjamitæ sicut & sub eodem incesserant Moysis tempore, Num. 2. v. 22. seu etiam ex eo quod sub nomine Joseph qui loco Ruben habuit cum Juda partem primogenituræ illi, si non peccasset, debitæ. Cæterum primo Paralip. 5. comprehenduntur aliæ omnes a Juda Tribus, Psal. 76. 16. Psal. 79.

*Ad* ultimum dico, Ammonitas abaliqua culpa & in David offensa non fuisse immunes; unde crimini luere pœnas debuerunt. Quidam tamen existimant Regem in puniendo excessisse; quocirca dum legitur rectum coram Domino, excepto in Uriam facto, gessisse, intelligitur de iis exequendis quæ illi præceperat Dominus. Quid plura? Sanctissimorum vita ab omni levioris peccati labe pura non fuit, & non in hoc, sed in aliis eorum celebratur sanctitas. Quod autem quædam alia præter mortem Uriæ & ejusdem Uxoris raptum patraverit David, liquet ex eo quod non nihil elatus populum suum recenseri voluerit, propter quod peste flagellatus est.

*Fit satis objectionibus quæ adversus Tertium librum proponuntur.*

OBIICIES: Quædam absona in isto comperiuntur libro: igitur non dicendus est sacer & divinus. Probatur Antecedens: Legitur, quod antequam Templum ædificaretur, dum tenellus adhuc esset puer Salomon, primo Paralip. 29. v. 1. jam filias eius in uxores duxissent Benabinadab & Achemaas. 3. Reg. cap. 4. v. 7. & 15. quod Salomone regnante argentum non putabatur alicuius pretii, quandoquidem pecuniarum tanta erat Jerosolymis abundantia, quanta erat & lapidum cap. 10. v. 21. & 27. & quidem primo inducitur Salomon sapientissimus dilectusque Deo, qui tamen in ipso Regni sui principio fratrem suum Adoniam occidi præcepit. Sed esse tenellum & simul habere filias nubiles; sed argentum numerum lapidum adæquare: Sed esse sapientem simul & fratricidam pugnant intra se: Ergo &c.

*Respondeo* sicut prius, diversos Scripturæ laudatos textus & sensus secundum distributionem accommodam intelligi & recte conciliari; unde nego antecedens. Ad primam probationem distinguo: Salomon erat tenellus, hoc est, junior seu iuvenis, concedo: hoc est puer, nego. Potuit igitur habere filias nubiles ante Templi ædificationem, quæ subsequenti tamen tantum tempore matrimonio conjunctæ sunt: quia tamen iam ante Templi fabricam erant natæ, potuit dici filias, quas Salomon adhuc junior habuerat, datas fuisse in uxores, ad cujus veritatis sensum sufficit, ut sequenti tempore de facto nupserint.

*Ad* secundam probationem distinguo: Argentum tempore Salomonis sicut lapides commune hyperbolice dicitur, ad significandam magnam argenti copiam, concedo: arithmetice loquendo, ita ut tantus fuerit nummorum seu talentorum numerus, quantus erat lapidum, nego.

*Ad* tertiam probationem etiam distinguo: Et ex justitia Salomon voluit Adoniam interfici, concedo: absque ratione, nego. Adonias in suspicionem venerat Salomoni, ut regni ex desiderio invasor: nam & antequam Salomon in Regem & nominatus & inauguratus fuisset, sibi fecerat equites, & præcursores Adonias; atque omnia, ut Regnum haberet, molitus fuerat: electo vero Salomone, deprecatus est Bethsabee quatenus a Rege obtineret Abisag uxorem Davidis sibi in matrimonium copulari, quod quidem argumentum non levius erat, Adoniam novas movere tragœdias, ut regnum a Salomone cum sceptro & corona auferret.

*Contra*: Atqui contradictoria in isto affulgent libro: Ergo &c. Probatur subsumptum multis momentis. I. Cap. 5. dicitur Salomon habuisse requiem omnibus diebus suis; contrarium vero cap. 4. legitur: ibidem scriptum est cap. 5. II. Salomon ad fabricam Templi elegisse operarios de toto Israel numero 30000. & tamen cap. 9. non constituit Rex servire quemquam de filiis Israel. III. Artifex ærarius quasi alter Beseleel exquiritur Hiram nomine vir Tyrius qui cap. 7. matrem habuisse dicitur de Tribu Nephtali: Ille tamen 2. Paralip. cap. 2. fuit pater Hiram Regis Tyri, habuitque matrem de filiabus

bus Dan. IV. Non est quoque verisimile Salomon tam pium & sapientem Regem ita adhæsisse idolis, ut etiam Templa falsis suarum mulierum alienigenarum numinibus ædificaverit. V. Sed neque veritati consonat, quod de Jeroboam dicitur cap. 12. videlicet, relicto vero Deo, conflatiles coluisse Deos; nam etsi vitulos in monte Bethel obtulerit, vero tamen sacrificavit Deo. Igitur istius tertii libri sententiæ non sibi cohærent: nam & in eodem scribitur libro, Salomon quædam in Templo contra legem apposuisse, videlicet candelabra aurea. 10. falsum quoque est aut saltem non verisimile viginti oppida in laboris & mercium compensationem Tyrorum dedisse Regi, istumque decepisse.

*Respondeo*, cuncta, omnibus perpensis, facile componi & concordari: quocirca ad primum sic distinguo: Non fuit Satan qui publice diebus Salomonis contristaret Israel, concedo: qui clam & in occulto ipsum exacerbaret Salomonem, nego. Eatenus dicitur Rex pacificus Salomon, quatenus toto Regni tempore nullum habuit hostem qui aperte & exercitu comparato illum debellaret; Razon tamen & Adad per omnia erant Salomonis adversarii: quinimmo cap. 4. habetur Deum suscitasse adversus Salomonem Jeroboam in vindictam transgressionis mandatorum, quæ quidem Rex abeundo ad mulieres alienigenas non semel omiserat: attamen quamdiu vixit, juxta promissionem factam Davidi, suam Dominus non adimplevit sententiam, & solum, mortuo Salomone, scissum est regnum.

*Ad* secundum similiter distinguo: Salomon noluit de filiis Israel servire in fabrica Templi tamquam operarii viles, concedo: ut operis Præsides, nego. Erant infiniti prope homines pro fabrica Templi constituti, multi quidem ex extraneis ut cæderent ligna Libani, alii ut aurigæ & nautæ ad deferenda ligna Jerusalem, multi ex Proselytis hoc munus implebant, alii ut sculptores & artifices: & super istos omnes multa Israelitarum millia præsidebant, & sic optime consociantur Scripturæ.

*Ad* tertium: Ille Hiram de quo fit mentio potuit ratione patris esse ex Tribu Dan, ex Tribu vero Nephtali ratione matris, ut habetur tertio Reg. 7. 13. & ut satis ex Hebræo claret; unde Tyrius dicitur ejus pater, non genere, sed habitatione: porro iste faber propter summam in arte sua peritiam pater non solum Hirami Regis vocatur, sed & Salomonis 2. Paralip. 4. 16. id est magister, vel artifex ejus; quo sensu & Gen. 4. 20. 21. item cap. 45. 8. quarto Reg. 13. 14. & artifices, & ii quibus æraria debentur, vocantur Patres.

*Ad* quartum nefas foret negare, quod vel ipsa testatur Scriptura de Salomonis idololatria; quid enim est homo nisi figmentum, & si in Angelis alias in gratia creatis Deus reperit pravitatem, quid de homine corporeo dicendum, cum homines, teste Apostolo, sint vasa fictilia quæ sibi ad invicem faciunt angustias: sed non absque fundamento multi credunt Salomonem ante mortem egisse pœnitentiam; nec refert quod de illa sileat Scriptura, cum & ipsa sileat pœnitentiam Adæ & Loth, quos tamen in gratia defunctos extra dubium est: namque Ecclesiasticus primum a sapientia sanatum commemorat: alterum vero a sanctis Patribus ut justus habetur; cum ignorans & sua absque culpa ebrius incestum alternata vice commiserit. Sed & ipsa innuit non in uno loco Scriptura felicem Salomonis exitum. Primo quidem cum in Psalmis legatur & maxime, 2. Reg. 7. in gratiam filiorum David, præcipue Salomonis: *Ego ero ei in patrem ... Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam non auferam ab eo*. Rursus 2. Paralip. 4. 17. pii aliqui ex Israel dicuntur ambulasse in viis David & Salomonis. Quid plura? Liber Ecclesiastis quem Salomon sub finem vitæ conscripsit, manifestam ejus ad Deum conversionem indigitat: Quandoquidem cap. 1. omnis enarrat vitæ blandimenta & voluptates quibus ipse servierat; subdit postea omnia esse vana tandem aliquando comperiisse, & de facto Scriptura non dicit Salomonem in peccato fuisse defunctum, sed tantummodo ad Patres fuisse appositum. Revera quidem cum esset jam senex depravatum est cor ejus, ut Scriptura refert, sed nihil vetat in eadem senectute ad meliorem rediisse frugem, ut de multis compertum habemus.

*Ad* factum Jeroboam, distinguo: Idolis non servivit, transeat: Legem Domini non transgressus est, nego. Non immerito Jeroboam in suspicionem venit adorasse Idola; saltem eatenus ansam ea colendi præbuit, quatenus schismatis fuit auctor, & noluit subditos Deum adorare in Templo Jerusalem, ne Israelitæ ad Regem Juda, ut ad suum legitimum Principem redirent; sed non in hoc solum prævaricatus est; nam & Sacerdotes non ex Tribu Levi, sed ex alia desumpsit, quod erat manifeste contra legem: hinc Scriptura iterum atque iterum maledicit Jeroboam, eo quod, inquit, peccare fecerit Israel, qui ipso veluti duce, Baal ut quoddam numen supremum coluit, & adoravit.

*Ad* facta Salomonis sic respondeo: Tametsi enim decem candelabra aurea, aliaque multo plura vasa construxerit quam ipse Moyses; id tamen, non inconsulto Domino peregit, cum præcepta Davidis patris sui a Deo inspirati in hoc adamussim pro Dei nominis exaltatione compleverit. Sed neque transgressus est Legem cum 20. oppida Hiram concessit, namque juxta Rabbinos & sanctos Doctores tributum solummodo & censum ex his civitatibus recipi pro labore & lignis Libani ad perfectam usque solutionem accipi permisit.

*Neque* vero id quidquam falsitatis arguit, quod in eodem libro Templum cap. 6. sexaginta cubitorum altitudinis construi dicatur; cum in libris Paralipomenon nonnisi triginta commemorentur. Revera quidem Templum extrinsecus magis eminebat quam intrinsecus, namque intus usque ad primam contignationem solum triginta cubitorum altitudinis erat.

*Dices:* In eodem libro promittitur filio Salomonis una tantummodo Tribus, & tamen Tribum Benjamin sibi conjunctam Roboam habuit: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Promittitur filio Salomonis una Tribus præter sibi connaturalem, & hæreditariam, scilicet Judam, concedo: ita ut unam tantummodo habere debuerit, nego: Tribus Juda erat ex jure naturali & hereditario Roboam debita, sed una præter istam illi concessa est; quandoquidem Ahias Propheta dedit Jeroboam, ordinante Domino, decem solum Tribus.

*Diluuntur objecta contra librum quartum Regum.*

Objicies: Nonnulla in isto libro partim falsa, partim etiam incongrua leguntur: Ergo &c. Probatur Antecedens: cap. 6. 23. dicuntur latrones Syriæ non venisse ultra in terram Israel, cum tamen V. 24. addatur Benadad post hæc Samariam obsedisse. Item cap. 18. 5. de Ezechia dicitur: *Post eum non fuit*, in pictate, *similis ei de cunctis Regibus Juda*: postea vero cap. 23. idem de Josia celebratur: cap. 5. Eliseus remittit Naaman Syrum in pace, eique idoli adorationem permittit. Cap. 13. 19. Eliseus Joaso Regi sic loquitur: *Si percussisses jaculo terram quinquies aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam*: cum tamen antea dixisset v. 17. *percuties Syriam donec consumas eam*: Ergo &c.

*Respondeo* negendo antecedens: Et vero quod primam spectat objectionem, patet aliud de latronibus seu pauci, excursoribus 4. Reg. 6. 23. dici, aliud de toto Regis Syriæ exercitu: quod enim pauciores non ausi sunt, audacter postea totus fecit exercitus: Esto igitur quod latrones Syriç ultra non venerint in terram Israel, eo quod forsitan exiguum propter numerum a regni finibus facile propellerentur, sed major militum copia, nedum per Israel confines cursitavit, sed & postea Samariam civitatem obsedit.

*Ad* secundum, non nisi per figuram Rhetoricę dicitur Ezechiam non habuisse in pietate secundum.

*Ad* tertium distinguo: Eliseus permisit Naaman pro officio suo Syrię Regem sustentare, sicut extra Templum, sic & cum Rex in Templo Rhemnon suum adorabat idolum, concedo: ita ut & ipsi Naaman deos conflatiles adorare licitum foret, nego. Propheta licentiam quidem fecit Naaman proselyto, & ad fidem veri Dei converso munia solita Domino suo præstare, nusquam vero in idololatrię cultu cum Rege communicare. Ita sancti Doctores & Interpretes.

*Ad* quartum etiam distinguo: Joas percussit

cussit Syriam usque ad consummationem, hoc est, triplici vice completam in prælio dato & commisso reportavit victoriam, concedo: hoc est, totam Syriam suo subiecit imperio, nego. Eliseus verbis, nonnumquam etiam signis Dei manifestabat voluntates: hinc ab Josao Rege de belli eventu futuro consultus, imperavit Regi terram iteratis vicibus jaculo percutere, quam & ter percussit; quam si quinquies, aut sexies, vel septies percussisset juxta Dei ordinationem, totam quoque percussisset & devicisset Syriam; quia vero solum ter percusserat, tres tantummodo super Syrios victorias a Rege reportandas prædixit Propheta. Quo quidem signo aperuit Iosao felicem belli exitum futurum, sed non sine limite & termino.

*Instabis*: Jehu Rex Israel zelo divino accensus mentitur se esse Baal cultorem, tum alios inducit ad sanctificandum ei solemnem diem, ut hab. cap. 10. 18. II. Deus Israelitas tradit in manus Azaelis Regis Syriæ ac filii eius cunctis diebus. Cap. 13. 3. & tamen v. 50. liberantur. III. Amasias cap. 14. 3. & Azarias cap. 15. 3. fecerunt quod erat coram Deo placitum, Deos tamen Idumæorum Amasias habuit ut suos: tum & in vindictam periit, 2. Paralip. cap. 25. 14. 20. Azarias vero cap. 26. 18. officia Sacerdotum temere usurpans percussus est a Deo: Ergo &c.

*Respondeo* ad primum: Jehu laudatur quidem in eo quod Domini adimpleverit voluntatem, cum domum Achab & ipsam Jezabel Prophetarum infectatricem perdiderit: in aliis vero quod Zelo prorsus inordinato operatus est, abjicitur.

*Ad* secundum: dicitur cunctis diebus Iraelitas in manu Regis Syriæ traditos fuisse, sed intelligendum v. 22. quibus Joachas regnavit: ipse vero pœnitens v. 4. *Deprecatus est autem Joachas faciem Domini, & audivit eum Dominus . . . & dedit Dominus Salvatorem Israel; & liberatus est de manu Regis Syriæ*; non tamen quamdiu vixit Joachas, sed eo mortuo, filius eius Joason, v. 10. qui ab Eliseo edoctus ter Syros devicit, ac superavit, ut legitur v. 19.

*Ad* tertium: fecit quidem Amasias rectum coram Domino: at primo non sicut David, V. 30. secundo ibidem juxta omnia quæ fecit Joas & usque ad Joiadæ mortem pius, postea vero secundo Paralip. 24. 18. 22. impius & facinorosus: tertio sicut excelsa non abstulit, sic & in ultimis vitæ suæ diebus Idumæorum idola coluit, similiter Azarias seu Ozias eius filius fecit rectum, ut legitur cap. 15. sicut Amasias, nempe in principio. Postea vero elatus victoriis ac prosperis Sacerdotale usurpavit munus, qua de causa lepra nefanda percussus & punitus est.

*Alia* mitto, quæ aliquam contradictionis speciem præ se ferunt, quæ quidem facile conciliari possunt, si ad antecedentia & consequentia capitum, vel etiam ad diversas aut temporum, aut actionum circumstantias attendatur: nonnumquam enim in uno libro aliqua tacetur circumstantia, quæ in altero refertur.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Quatuor libri Regum sunt sacri.*

PRIMO: In Proto-canone Judæorum inscribuntur: tum in decreto Concilii Trid. sess. 4. ubi Libri sacri enumerantur.

*Secundo*: Sic habentur a SS. Doctoribus: sic ab Eusebio lib. 9. præp. Evang. cap. 30. sic a Nicolao Damasceno apud Josephum lib. 7. cap. 6. sic ab omnibus Theologis, quorum multi eos interpretati sunt.

*Tertio*: Vetus & novum Testamentum non semel illos libros citant, & quasdam ab eis sumpsere sententias. S. Stephanus Act. 7. librum primum perorando laudat. Psalmo 88. sæpius de Davide & Salomone fit mentio juxta libri secundi Regum Sententias, quibus regnum firmatur in domo David. Apostolus Rom. 11. attendit ad librum tertium dicens: *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura . . . Ego relictus sum solus*. Ad quartum vero ipse Christus respicit Luc. 3. dicens: *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus. Eliæ &c.*

## SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

IN primo quidem libro quandoque David dicitur familiaris in Saulis aula, quando-

que etiam occultus, sed intellige secundum diversa tempora: ocultus quidem ante Goliath interitum, celebris vero, ipso devicto. Nec quemquam movere debet cum cap. 2. legitur: *Si quis in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* non enim inde sequitur quædam peccata esse irremissibilia, sed tantum difficile remitti, aut propter ingratitudinem, aut etiam propter enormitatem & firmam in offensa repetita voluntatem. Ne credas simpliciter Legem tempore Davidis factam, sed solum in Psalmis de novo explicatam & promulgatam. Cæterum Spiritus malus qui Saulem invasit ea solum ratione dicitur Dei Spiritus, quatenus, Deo permittente, Satan Regem peccatorem exagitavit.

*In* Secundo habetur Davidem nudum coram Arca Domini saltasse, sed hoc intelligendum regiis vestimentis spoliatum, & hoc fuit ejus humilitatis & erga Deum reverentiæ argumentum. Quod autem non esset simpliciter & per omnia nudus, patet ibidem, ubi Ephod præcinctus saltasse laudatur. Quod quidem factum tanti facit Ecclesia, ut in memoriam instituerit cantorem magnum, qui in solemnitatibus tenens in manu baculum deauratum in medio chori, hinc inde aliis astantibus cantoribus, non sine majestate alternatis & repetitis vicibus versus altare deambulet.

*In* Tertio mentio fit de varia templi supellectili, quamquidem ultra Legem auxit Salomon, sed Deo annuente, & permittente: Alia sunt, tum in isto, tum in quarto libro facta, quæ Lector absque negotio conciliare potest.

---

## ARTICULUS QUINTUS.

*Utrum libri Paralipomenon sint genuini & sacri?*

SANCTO teste Hieronymo Epistola 108. ad Domnionem unico comprehendebantur volumine quæ in libris Paralipomenon referuntur: verum decursu temporis æquum duxere sancti Doctores unum istud opus in duos dividere libros, qui Paralipomenon, hoc est, rerum omissarum tum in libris Legis, tum etiam in libris Regum nomine celebrantur. Vocantur etiam verba dierum, eo quod juxta temporum ordinem gesta referant. A sancto Hieronymo aliisque sanctis Doctoribus etiam rerum gestarum in veteri Testamento chronicon omnibus numeris absolutum, seu compendium aut Epitome vocantur. Prior XXIX. capita complectitur: in eis refertur ortus & propagatio gentis Israeliticæ ab Adamo usque ad reditum e captivitate Babylonica: Tum auctor præmissa Saulis historia, scribit inaugurationem Davidis in Regem, ejusdem victorias & insignes dotes, maxime in promovendo Dei cultum pietatem.

*Posterior* XXXVI. capitibus comprehenditur; eo loci enarratur progressus & finis Regni Juda usque ad annum reditus e captivitate Babylonica. Hebræi libros istos appellant *Dibre Hajamin*, id est, verba seu gesta dierum, quasi latine dicas, Diarium, vel Annales.

*Istorum* Librorum incertus est auctor; non enim est Esdras, aut ipso recentior, cum in Esdræ canone referantur: multi non absque fundamento Nehemiæ tribuunt. Jam quæritur num isti libri sint genuini, seu canonici? Pro cujus resolutione sit

### CONCLUSIO.

*Libri Paralipomenon sunt sacri.*

PROBATUR efficaciter: Illi libri sunt genuini & canonici, qui ab omni ævo tales habiti sunt, & quorum sententiæ non semel in veritatis testimonium in novo adducuntur Testamento: Atqui ita est: Ergo &c. Probatur minor. Nullo refragante, annumerati sunt in canone librorum utriusque Testamenti; qu. summo Christus Matth. 23. 25. & Lucæ 4. 51. occisum Zachariam inter Templum & altare refert e secundo Paralip. 24. 21. ex cujus etiam libro cap. 19. 7. in Paralipomenis accepta videtur illa sententia, quæ 1. Petri 1. 7. legitur: Ergo &c.

Suffra-

*Suffragatur* S. Hieronymus in Præfatione ad Domnionem & Rogatianum libri Paralipomenon, id est derelictorum, ait: „ Omnis eruditio Scripturarum in hoc continetur; & historiæ quæ vel prætermissæ sunt in suis locis; vel perstrictæ „ leviter hic per quædam verborum compendia explicantur. „ Rursus epist. ad „ Paulinum: Paralipomenon liber, id est, „ instrumenti veteris ἐπιτομὴ tantus ac „ talis est ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula „ quippe nomina juncturasque verborum, „ & prætermissæ in Regum libris historiæ & innumerabiles explicantur Evangelii quæstiones.

*Scopus* auctoris Paralipomenon fuit gesta Davidis, ejusque tum majorum, tum posterorum ad Cyri usque tempora narrare; unde libro priore post brevem primorum hominum recensionem cap. 1. Davidisque majorum & cognatorum cap. 2. nec non ejusdem posterorum cap. 3. occasione vero data & aliorum filiorum Israel ad captivitatem usque sequentibus quinque capitibus, & a captivitate nono capite: & post memoratam paucis verbis mortem Saulis cap. 10. quæ Davidicum regnum spectant, describit reliquis 19. capitibus: posteriori vero libro ubi 9. capitibus de Davidis filio Salomone dixit, Regum duntaxat Juda qui e stirpe Davidis fuerunt omnes oriundi, gesta scribit. Per 27. capita reliqua, prætermissis rebus Regum Israel, quæ nisi per bella, fœdera & affinitates cum rebus Regum Juda cohæreant eas non memorat. His porro in fine libri addit Edictum Cyri post captivitatem in gratiam Judæorum emissum.

*Solvuntur objectiones.*

OPPONES: Multa leguntur in utroque libro quæ sibi adinvicem cohærere non videntur: Sed hujusmodi defectus a Libris Canonicis eliminandi sunt: Igitur non satis claret libros Paralipomenon esse sacros. Probatur minor: Rabbi Salomon in primo Paralipomenon cap. 8. refert auctorem istorum librorum filios Benjamin aliis appellare nominibus, quam vocat Moyses in libro Geneseos. Item civitates Levitarum aliter quam Josue 21. assignantur, commemorat: Ergo &c.

*Respondeo* I. Auctorem pro scopo habere prætermissa referre, unde non mirum si aliquæ inveniantur a cæteris libris discrepantiæ in opere Paralipomenon, cum jam dicta in aliis libris, & recensita iterato calamo tradere non teneatur.

*Respondeo* II. quędam ab auctoribus profanis vel etiam fidelibus tametsi fallibilibus ad texendam Regum historiam, attamen vera potuit auctor librorum Paralipomenon assumere, in quibus, protegente Deo, non erravit; ex quibus etiam potuit oriri quædam variatio vel in vocabulis, vel in phrasibus, seu etiam in sententiis ab aliis libris discrepantibus; nonnumquam enim mutatio ex Librariorum mendis occurrit, & sic genuinitas librorum Paralipomenon absque negotio defenditur.

*Jam* ad argumentum respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem distinguo: Auctor aliis nominibus filios Benjamin appellat, quæ non referuntur in prioribus Scripturæ libris, eo quod Benjamin decursu temporum novi nati sint filii, quos & nonnumquam nomine particularium, & non capitum familiarum appellat, concedo: ita ut auctor ille aliquid adversus veritatem scribat, nego. Ista solutio colligitur ex capite Num. 26. 38.

*Ad* secundam probationem patet solutio; namque auctor Paralipomenon ad majorem attendit expressionem; hinc quasdam nominat Levitarum civitates, quasdam etiam omittit; quando quidem Lector benevolus certior fieri potest, si aliquod subeat dubium recurrendo ad librum Josue: Porro in civitatibus filiis Aaron attributis loco duarum *Hain* & *Getha* quæ describuntur Josue 21. 16. una legitur Paralipomenon 6. 59. *Hain*; at *Hain* est ipsa *Asan* ut ex prima & tertia in Hebræo litteris colligitur: *Getha* vero ut & Gabaon vers. 60. incuria Librariorum omissas fuisse; inde patet, quod ibidem sicut & Josue 21. v. 19. civitates numerentur 13. licet in Paralipomenon distinctæ tantum undecim computentur, &c.

*Instabis*: Abia dicitur secundo Paralipomenon 13. 20. matrem habuisse Michajam filiam

filiam Uriel de Gabaa : at capit. 4. 20. 22. sicut & tertio Reg. 15. 2. mater ejus est Maacha filia Absalom, quæ & v. 10. ideo mater Asæ dicitur, quod esset ejus avia seu mater Abiæ patris ejus. Rursus habetur 2. Paralipomenon 15. 19. *Bellum vero non fuit usque ad 35. annum Regni Asa* : At hoc adversatur his quæ referuntur 3. Reg. 15. 16. 32. *Bellum autem erat inter Asa & Baasa Regem Israel cunctis diebus eorum* ; additur autem statim 2. Paralipomenon 16. *primo anno* : attamen 36. regni Asæ ascendit Baasa Rex Israel in Judam : at Baasa qui regnum iniit anno Asæ tertio, 3. Reg. 15. vers. 28. & 24. annos tantum regnavit v. 33. jam a decem annis vita functus fuerat anno Asæ 36. ut ex Reg. 16. 8. patet. Iterum Josaphat 2. Paralipomenon 17. 6. excelsa & lucos de Juda abstulit, contrarium tamen legitur cap. 2. & 3. Reg. 22. 44. Rursus Ochozias Rex Juda cap. 22. 20. dicitur 42. annorum fuisse cum regnare cœpit ; quod adversatur non solum 4. Reg. 8. 26. sed & rationi, quando quidem pater ejus Joram erat 32. annorum cum regni clavum suscepit, regnavitque 8. annos, Secundo Paralipomenon 21. 5. atque adeo annis natus 40. obiit : unde sequitur filium ejus non fuisse annorum 42. cum regnare cœpit : Ergo &c.

*Respondeo* juxta priores solutiones generales, ista omnia facile juxta diversos respectus concordari. Et vero quod spectat Maacham, ipsa est quæ & Michais dicta est, cujus pater bene intelligitur fuisse Uriel, avus attamen Absalom, seu quia ipse Uriel unus fuerit e tribus Absalomi filiis de quibus secundo Reg. 14. 27. seu quia mater Masse Thamar fuerit, quam unam filiam habuisse Absalom ex dicto v. 27. colligitur : hoc enim posito æque Absalomi filia dici potuit Maacha mater Abiæ, ac ipsa secundum aliquos 3. Regum 15. 10. 13. mater Asæ dicitur, & ipse Abias v. 3. filius Davidis. Præterea qui tertio Reg. 15. 20. 10. Absalom vocatur, alius esse ab Absalom Davidis filio in traditionibus hebraicis apud S. Hieronymum dicitur.

*Ad* secundum sic respondetur : Bellum inter Asan & Baasan fuit omnibus diebus, non ex quo regnare cœperunt, sed ex quo bellum inter eos esse cœpit ; significatur quippe illud non defuisse nisi per Baasæ mortem : Porro cœpit 2. Paralipomenon 15. 19. ann. 35. regni Asæ. Capellus vult legi solum annor. 5.

*Ad* tertium distinguo : Excelsa & lucos non abstulit Josaphat, in quibus vero Deo immolabant filii Israel, concedo : in quibus falsis numinibus sacrificia offerebant, nego. Nonnumquam Reges Israel ut majora præpedirent mala, ne scilicet populus in suam perniciem immolaret idolis, permisere Deo vero immolare in excelsis, ut habetur de Rege laudato cap. 33. v. 17. Idem legitur de Asa cap. 14. v. 2. his verbis : *Subvertit altaria peregrini cultus & excelsa*, cui non opponitur hoc capitis 15. 17. *excelsa autem derelicta sunt in Israel* : quippe in hoc non nihil peccarunt, & Asa & Josaphat contra legem Deut. 12. 5. idcirco inter pios Reges non annumerantur Eccli. 45. 9.

*Ad* factum Ochoziæ facilis est explicatio: Ipse enim cum patre 20. annis regnavit, quando scilicet Joram impium Deus percussit alvi languore insanabili 2. Paralip. 21. 18. atque adeo ipse qui 21. annorum erat cum sic regnum iniit, fuisse vero 42. annorum constat, cum cœpit solus regnare. Quia vero non una est circa Scripturæ facta chronologiæ opinio, ad criticos hujusmodi quæstiones pertinent, nec in hoc aliquid a Scripturarum veritate detrahitur.

*Urgebis* : Azarias 2. Paralipomenon 22. 6. dicitur invisisse Joram Regem Israel : Idem tamen alibi dicitur de Ochozia. Rursus Gehim ibidem v. 9. Ochoziam adductum in Samaria occidit : at quarto Reg. 9. 27. Gehin Ochoziam persecutus occidit in ascensu Gaber, Ochozias vero percussus fugit in Mageddo, ubi & mortuus est. Item Rex Assyriæ dicitur 2. Paralipomenon 28. 20. non tulisse opem Regi Achaz : sed contrarium patet ex quarto Reg. 16. 7. 9. 8. Rursus Jechonias non erat octo tantum annorum cum regnare cœpit, sicut 2. Paralipomenon 36. 9. dicitur; nec enim dici potuisset fecisse malum, sicut pater ipsius, attamen erat annorum 18. ut habetur 4. Regum 24. 8. & tertio Esdræ 1. 43. Ergo &c.

*Respondeo* ad primum distinguendo : Et ille Azarias idem est ac Ochozias, concedo: & est diversus, nego. Idem duplici

alla-

allato insignitus est nomine, ut colligi potest ex 2. Paralipomenon 21. 17. item cap. 22. 1. nam v. 6. in Hebræo Ochozias, Azarias nominatur: ipse igitur Azarias 4. Regum 8. 29. est Ochozias.

*Ad* secundum distinguo: Et Thegradfalazar Rex Assyriorum quandoque auxilium Achaz dedit, quandoque etiam non dedit, concedo: & semper dedit, nego. Adversus quidem Syros auxiliatus est Achaz, sed non potuit ei adversus Idumæos succurrere, quos impius ille Achaz irritaverat, & sic conciliantur Scripturæ.

*Ad* factum Jehu de quo supra, res potuit sic intelligi, cum Ochozias Joram, quem in Israel ægrotantem inviserat, à Jehu occisum fuisse animadvertisset, ipse, ut sibi consuleret, per viam occultam & nemorosam Bethagan seu domus horti fugit versus Mageddo, sed persecutus est eum Jehu, & jussit in curru percuti, qui quidem percussus sed leviter vulneratus in clivo Gaber, manus Jehu evasit; putans autem se latere posse in civitate Samaria, in eam se recepit, sed perquisitus & ad Jehu adductus, in Mageddo interfectus & mortuus est; quippe Gaber, Jeblaam & Mageddo loca sunt Samariæ, sibique invicem vicina.

*Ad* ultimum distinguo: Jechonias non erat vir octo tantummodo annorum cum solus regnare cœpit, concedo: & hoc ipsum instantia probat, quando cum patre regnare cepit, nego. Non unum est exemplum, Reges, etiam suo vitæ tempore, ad gubernandum adscivisse filios, ut eos in regendo edocerent; quocirca multi regnasse dicuntur vel ipsis viventibus parentibus; quæ quidem observatio multas solvit difficultates.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Duo Libri Paralipomenon sunt sacri.*

PRIMO: Vel ipse Christus historiam Zachariæ inter templum & altare occisum, ut habetur 2. Paralip. 24. citat.

*Secundo*: In canone tum Synagogæ, tum Ecclesiæ uti tales annumerantur libri laudati.

*Tertio*: Suffragantur SS. Patres: inprimis Hieronymus in Præfatione ad Domnionem & Rogatianum libri Paralipomenon; ait idem sanctus Doctor in Prologo: Sunt quasi chronicon, seu Diarium & veluti recapitulatio, seu fusa reassumptio plurium rerum quæ brevius in libris Regum recensentur.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Non diffitemur quamdam in sensu obvio circa nomina apparere in libris contradictionem, sed attendendo ad avos & alios parentes, vel etiam ad diversa tempora, quæ juxta placita & diversam hominum fortunam, nomina rebus & locis affixerunt, facile componuntur.

*Secundo*: Familiare est Scripturis sacris numerare regnantium annos vel ab ipso tempore quo filius cum Patre regnare cœpit; hinc nemini mirum videri debet, si una & eadem persona dicatur ab uno Scriptore multis annis regnasse, ab alio vero paucioribus. Sic Ochozias viginti duobus annis natus, simul cum patre Joram regnavit: mortuo vero parente 42. annos jam attigerat, cum solus regnare cœpit.

*Tertio*: Pari facilitate solvitur ista contradictio apparens 2. Paral. 22. Azarias dicitur invisisse Joram Regem, alibi tamen hoc dicitur de Ochozia: namque Azarias & Ochozias sunt una et eadem persona, quæ isto duplici insigniebatur nomine.

---

## ARTICULUS SEXTUS.

*Utrum libri Esdræ sint sacri?*

LIBRI de quibus in titulo, nomine Esdræ celebrantur, eo quod multa de tanto viro commemorent, creditur quidem prioris auctor, namque cap. 7. v. 28. sic legitur: *In me inclinavit Dominus misericordiam suam coram Rege & consiliatoribus ejus, & ego confortatus manu Domini Dei mei quæ erat in me, congregavi de Israel Principes qui ascenderunt mecum*, regnante Artaxerxe. Eo loci Esdras de sua propria loquitur perso-

na, eratque Sacerdos: cum igitur sic de se primum loquatur, manifestum est primi libri esse auctorem; posteriorem vero a Nehemia duce populi conscriptum fuisse jure merito autumant multi: Sic enim habetur cap. 1. *Verba Nehemiæ filii Achelaim*. Ita communiter sancti Doctores. In his duobus libris potissimum describitur forma Reipublicæ Judaicæ post captivitatem Babylonicam, Judæorumque veluti servitutem sub Regibus Persarum, Græcorum, quæ quidem crevit usque ad summum sub Romanis Imperatoribus. Verum enim vero Judæi a captivitate soluti sui erant juris, tametsi enim Græcis solverent tributa, habebant tamen tum pro religione, tum pro civilibus rebus & temporalibus peragendis potestatem; sed devictis a Pompejo in æternum captivi facti sunt. Iisdem in libris potissimum referuntur Edicta Imperatorum Persarum & pro reædificatione templi, & pro instauratione urbis Jerusalem.

*Liber* primus decem continet capita: in his exhibetur numerus vasorum, quæ a Nabuchodonosor Babylonem translata, restituit Cyrus. Ibidem recensentur gravissima incommoda, quæ a Samaritanis passi sunt Judæi in restauratione Templi. Modus & quo pacto Esdras, cum pluribus aliis Hierosolymam jussu Artaxerxis Longimani reversus Matrimonia Israelitarum cum alienigenis contracta dissolverit.

*Alter* Esdræ liber tredecim habet capita: in eo scribitur, Primo, de concessa Nehemiæ facultate Jerosolymam reædificandi. Secundo, agitur de regimine populi, & numerantur hi qui primum Jerosolymam ascenderunt. Tertio, coram populo legitur Lex, & ii recensentur qui pro Lege observanda subscribendo fœdus inierunt, tum habentur nomina Sacerdotum, Levitarum & eorum omnium qui e captivitate soluti non solum Jerosolymam, sed & ceteras Judeæ civitates incolebant; insuper & mulieres lecto Deuteronomio, ejectæ, Jam sit

## CONCLUSIO.

*Libri duo priores, qui nomine Esdræ & Nehemiæ insigniuntur, sunt sacri.*

PROBATUR: Libri ab hominibus sancto afflatis Spiritu scripti, quique habentur & a Judæis & a Christianis, tamquam divini, prorsus & sacri habendi sunt: Atqui libri de quibus in præsentiarum agitur, tales sunt: Ergo &c. Probatur minor. Primoquidem, auctores fuisse sanctos viros, & a Deo inspiratos asserunt sancti Doctores & Rabbini; & hoc ipsum utriusque Libri textus & historia subindigitat: jam vero in Canone Judæorum & Christianorum annumerantur, & de iis tamquam de Scripturis genuinis primorum sæculorum loquuntur Patres. Ergo &c.

*Fit satis objectionibus.*

OBJICIES: Isti libri inter Propheticos ab Hebræis non annumerantur, sed rejiciuntur inter *Setubim*, seu inter Scripta quæ rerum Judaicarum continent historiam: Igitur neque sacri, neque genuini haberi debent. Confirmatur: Joseph lib. 1. contra Apionem libros ab Artaxerxis tempore scriptos, non simili fide ac priores habitos fuisse enarrat: porro uterque liber mortuo Artaxerxe scriptus est. II. Liber Esdræ duo habet capita lingua chaldaica scripta: sed sola hebraica ante Christum natum, ut sola sancta habebatur. Quid plura? Sanctus Isidorus lib. 6. Originum librum Nehemiæ velut apocryphon explaudit, sic enim loquitur: " Unus Esdræ dicitur Liber quia secundus, tertius, quartus non habentur apud Hebræos. " Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Libri Esdræ inter Propheticos, hoc est, inter eos libros qui a Prophetis scripti sunt, non annumerantur, concedo: hoc est, inter libros qui scripti sunt ab hominibus a Deo inspiratis, ego. Esdras & Nehemias non quidem fuerunt Prophetæ, sed ut a Deo inspirati locuti sunt, & hoc sufficit ut eorum libri tamquam Canonici habeantur; namque de Scripturis Canonicis, ait B. Petrus epist. 2. cap. 1. 21. *Spiritu*

*ritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Et de facto ex quatuor Evangelistis, unus tantummodo Joannes fuit Propheta: Ergo ne Evangelium a cæteris scriptum non Canonicum? Absit vel cogitare.

*Ad* secundam probationem, distinguo: Revocantur ad *Sethubin*, sed tamquam sacri, concedo: ut non inspirati, nego. Porro multi libri in quibus historia Judęorum texitur, etiam ut sacri reputantur, sicut dictum & ostensum est de libris Iosue, Regum, & Paralipomenon: ne mireminì autem, si libri a Prophetis scripti propter maiorem & splendidam auctoritatem majori veluti fide digni sint; tum quia historiæ quoddam habent admixtum profanum, videlicet hominum facta, quæ etiam ab hominibus nonnumquam collegere Auctores sacri, in quibus tamen recensendis, protegente Deo, non erraverunt: At vero quæ scripta sunt a Prophetis, a Deo immediate revelante, scripta sunt, quatenus Spiritus sanctus nedum assistebat prophetis, ut non errarent, sed etiam quid scribendum foret, dictabat. Cæterum non levior suspicio est libros Esdræ ante mortem Artaxerxis fuisse scriptos, immo & adhuc vivente Xerxe; ut colligitur ex lib. 4. Josephi cap. 5. ipse vero per modum unius inter viginti duos Libros sacros commemorat; nam & de facto veluti unus apud Hebræos quondam habebantur. Joseph itaque lib. 1. contra Apionem 22. Libros sacros computat, 13. a Prophetis scriptos dicit, atque a libris tum Legis, tum hymnorum & præceptorum secernit. Sunt quatuor prophetici priores, quatuor prophetici posteriores, nec non Esdras, Daniel, Paralipomena, Job, & Esther: eidem igitur Joseph, cæterorum Judæorum inhæret sententiæ, qui libros Esdræ inter sacros annumerant.

*Ad* tertiam probationem, distinguo: Et lingua Chaldaica utique habetur ut sancta, concedo: & non habetur, nego. Et vero, nemo novit Israelitas a captivitate solutos propriæ & innatæ linguæ vix fuisse memores: quocirca Esdras necessitate compulsus ad intelligentiam Scripturę paraphrasim chaldaicam composuit, eo quod lingua chaldaica, durante captivitate, loqui coactus fuerat Israel: hinc liber Iob aliique Libri sancti non nihil Syriaci & Chaldaici commixtum habent, ut dictum est ubi de Testibus originalibus.

*Ad* S. Isidorum, distinguo: Librum Nehemiæ reiicit, eo quod illum a libro Esdrę non secerneret, concedo: Librum secundum Esdræ qui & Nehemiæ nomine donatur rejicit, nego. Dictum est utrumque librum præfatum, tamquam unicum apud Hebræos quondam habitos fuisse, hinc errore facti detentus Isidorus, Nehemiæ librum in eo rejecit sensu, quod ab Esdræ opere completo in duobus voluminibus tamquam librum distinctum putaret.

*Instabis*: Multa in utroque libro circa numerum eorum qui cum Esdra ascenderunt, ut iterum reædificeretur Jerusalem, non cohærent; particulares quippe numeri cum totali, ut legentibus patebit, non concordant: est enim excessus in totali &c.

*Respondeo*: Ista facile conciliari posse si attendas, benevole Lector, multos Israelitas ex Assyriorum manibus ereptos, apud fratres qui Babylone degebant, confugisse, eo quod per omnia gravati panem arctum & aquam brevem ad vitam sovendam haberent; ex his autem qui nec terram, nec civitates habebant, remanserunt Babylone; quidam vero cum fratribus ascenderunt ut reædificarent Jerusalem, quidam etiam forsitan iterum Babylonem petere potuerunt, ubi commodius vivere existimabant: addo Scriptores Canonicos quandoque populum numerare solummodo ex familiarum Capitibus: quandoque etiam specialius populum qui ascendit recensuerunt; hinc diversitas in numero non semel in utroque libro comperta est.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Duo priores libri Esdræ sunt sacri.*

PRIMO: Quia annumerantur in Canone Judæorum, & Christianorum.

*Secundo*: Concinit traditio: Josephus, Hieronymus, Isidorus, eos ut sacros commemorant.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametsi Hebræi libros Esdrę a pro-

a propheticis, non tamen a sacris secernunt.

*Secundo*: Majoris quidem auctoritatis libri Prophetarum sunt quam historiales, non tamen in eo sensu quod a sacris posteriores eliminentur; verum potius ex eo quod Prophetales, & quoad sensum, & quoad verba ab ipso Spiritu sancto dictati sint: alii vero e contra, cum historia multa referat facta, quorum vel ipsi homines testes erant.

*Tertio*: Isidorus errore facti deceptus putavit librum Nehemiæ esse quid ab opere Esdræ distinctum, idcirco illum abjiciebat; sed ut primum intellexit, non esse ab opere Esdræ completo distinctum, non potuit propter auctoritatem Ecclesię illum abnegare. Cæterum primus & secundus liber Esdræ per modum unius in Canone Judæorum recensetur, & ad hoc non satis attendit Isidorus.

## ARTICULUS OCTAVUS.

### *Utrum liber Tobiæ sit authenticus?*

TOBIAS ex tribu Nephali oriundus, ductus est cum suis fratribus in Niniven captivus; ipse tamen nec miseriis fractus, nec pravis multorum. Israelitarum exemplis cedens, cultui veri Dei semper adhæsit; hinc Deo adjuvante, gratiam apud Salmanazar Regem invenit. Variis misericordiæ operibus indefesso labore vacabat, fratres miseriis confectos erigebat, legem sic observabat, ut bene multis maxime pietatis affulgeret virtutibus; quia vero ejus anima erat Deo placita, conveniens fuit ut tentatio probaret eum; sed miram & constantem in hac afflictione patientiam habuit; quocirca magnificatus & exaltatus est; quandoquidem sanctus Raphael Archangelus filium suum ad Gabelum duxit & reduxit incolumem; eumdem a pisce illum invadente protexit, mulierem habere fecit, dæmonium Asmodæum connubio Saræ insidiantem compescuit; seniori Tobiæ lumen restituit: hæc & similia in isto referuntur libro, qua de causa nomine Tobiæ inscribitur. Chaldaice scriptus est ab ipso Tobia Patre, qui passim in omnibus editionibus loquitur ut prima, & non ut secunda & tertia persona. Junior Tobias addit mortem Patris, & ejusdem morientis ad ipsum exhortationem: alter vero Scriptor Canonicus ipsius Tobiæ junioris obitum scripsit: liber quatuordecim complectitur capita.

R. P. Graveson Tract. de Scriptura Sacra pag. 260. non absimilia de hoc momento, partitione operis facta fusiori calamo describit: " Liber Tobiæ, *inquit*, " duas in partes distribui potest. In prima præmittuntur genus & Patria Tobiæ, qui anno sexto Ezechię Regis " Juda, & anno nono Osee ultimi Regis Israel, cum decem Tribus captivę " a Salmanazare Assyriorum Rege in Assyriam deportarentur, eo quoque una " cum uxore & filio translatus est. Deinde commendatur Tobias a vitæ innocentia, a fuga consortii malorum, a " divinę Legis observatione; a pietate erga Deum, a misericordia erga pauperes & proximum, a cibis vetitis abstinentia, a cura sepeliendi mortuos, ab " invicta animi constantia, quę enituit " tum in rebus adversis, quas passus est " sub Sennacherib Assyriorum Rege, a " quo fuit bonis omnibus expoliatus, tum " etiam eo in casu extraordinario, quo " ipsum quodam die fatigatum a popularium sepultura redeuntem, & juxta parietem domus obdormientem excęcarunt " calida in ejus oculos incidentia Hirundinum stercora. In secunda parte describuntur iter & reditus junioris Tobię, " qui in terram Medorum a patre missus " est; Officia exhibita ab Angelo Raphaele, qui se se peregrinationis junioris Tobiæ comitem ac ductorem prębuit, eumque a devoratione piscis, qui juxta fluvium Tygris in juniorem Tobiam insilierat, liberavit, & fel ac jecur illius " piscis ab ipso in terram tracti & exenterati modum in medicamentorum usum pręparandi edocuit: atque de Sara Raguelis filia in uxorem ducenda " instruxit. Denique, narrantur dęmonis Asmodęi, seu luxuriæ principis, jecoris & cordis illius piscis suffitu expulsio, invisibilis illius dęmonis relegatio in superioris Ægypti desertum; Angeli Raphaelis in Rages civitatem Medorum ad Gabelum profectio, a quo " decem talenta, quæ pater junioris Tobię " in "

„ in mutuum aut depositum ei dederat, recepit; Tobiæ cum Sara Matrimonium, „ ejus cum uxore in civitatem Niniven „ reditus; restitutus Tobiæ senioris visus adhibito felle piscis; Angeli Raphaelis manifestatio; preces, orationes, „ gratiarum actiones, vaticinia, & mors „ utriusque Tobiæ. „ Jam sit

## CONCLUSIO.

*Liber Tobiæ est authenticus.*

Probatur multipliciter.

*Primo, ex Conciliis.*

ILLE liber est authenticus qui in Canonem divinarum Scripturarum tum a Conciliis, tum a Patribus adscitus est: Atqui ita est: Ergo &c. Probatur minor. Primoquidem, a Concilio Hipponensi ann. 393. Can. 38. recipitur: tum a Carthaginensi III. Can. 47. ab Innocentio I. epist. 3. ad Exuperium: a Gelasio summo Pontifice in decreto de Scripturis sacris: ab August. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. a Cassiodoro, ab Isidoro Hispalensi, a Rabano Mauro; Ab Eugenio IV. denique a Trident. sess. 4. Ergo &c.

*Secundo, ex Traditione.*

ILLE liber est sacer, quem uti talem habent utriusque Ecclesiæ Patres: Atqui res sic se habet: Ergo &c. Prob. min. primo ex Patribus Græcis.

*S. Polycarpus* epist. ad Philippenses illum recipit. Similiter & Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. Origines epist. ad Africanum, & ante ipsum Irenæus lib. 1. cap. 34. S. Atanasius Apolog. ad Constantium; S. Basilius in oratione de avaritia. Ergo &c.

*Ex Patribus Latinis*, Cyprianus lib. 3. testimoniorum adversus Judæos, rogatus a Quirino, sicut in præfatione legitur, de Scripturis sacris nonnulla excerpere capitula, aliqua de capitibus primo, secundo & sexto Tobiæ recenset. Tum lib. de opere & eleemosynis Tobiæ librum laudat & sacram vocat Scripturam. Hilarius in Psal. 129. ex libro Tobiæ quoddam ad ciendos pietatis affectus argumentum desumit. Concinunt Ambrosius lib. 6. in Examer. cap. 4. S. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. suffragatur S. Gregorius lib. Pastoralis curæ pag. 3. admonitione secunda, & alii multi.

*Non* abs re erit aliqua hic Patrum loca texere. Cyprianus lib. de Eleem. ait: " „ Loquitur in Scripturis divinis Spiritus „ sanctus, & ait: Eleemosynis & fide de„ licta purgantur.... Raphael quoque An„ gelus paria testatur, & ut eleemosyna „ libenter ac largiter fiat, hortatur, di„ ceus: Bona est oratio cum jejunio & „ eleemosyna. „ Quæ quidem sententia desumitur ex cap. 12. 9. lib. Tob. Ambrosius vero: " Canis viator & comes Ange„ li est, quem Raphael in libro Prophe„ tico, *Tobia*, non otiose sibi & To„ biæ filio adjungendum putavit, quan„ do perrexit ut Asmodæum fugaret, „ firmaret copulam conjugalem. Ergo &c. n. v. 9.

*Tertio, rationibus Theologicis.*

PRIMA: Ille liber est divinus, cujus variarum linguarum extant editiones, quas variæ Ecclesiæ tum in Oriente, tum in Occidente ad utilitatem fidelium adoptarunt: atqui variæ extant libri Tobiæ in variis linguis editiones, quæ apud & Orientales & Occidentales in usu fuerunt perpetuo; extat enim Hebraica duplex, altera Hagii, Monsteri altera: item Græca & quidem antiquissima, qua usi sunt S. Polycarpus, & S. Clemens Alexand. Item & Latina Grecæ multum affinis, qua usus est auctor constitutionum Apostolicarum, & ipse Hieronymus. Ergo &c.

*Altera*: Liber magnam de Christo & vocatione Gentilium complectens prophetiam, uti sacer haberi debet, cum non nisi Spiritus sancti afflatu similia prænuntiari non possint: Atqui sic prophetavit Tobias. Et probatur: Cap. 13. post multas effusas Deo laudes, gratiarum actiones & benedictiones pro beneficiis acceptis, ait de Christo ejusque Ecclesia: *Luce splendida fulgebis: & omnes fines terræ adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes, adorabunt in te Dominum, & terram tuam in sanctificationem habebunt. Nomen enim magnum invocabunt in te. Maledicti erunt*

qui

*qui contempserint te, & condemnati erunt omnes qui blasphemaverint te: Benedictique erunt qui ædificaverint te: tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur.*

*Diluuntur objecta.*

OBJICIES: Liber Tobiæ in Canone Synagogæ non invenitur: Igitur non est Canonicus. Confirmatur: Josephus in antiquitate Judæorum versatissimus silet istum Librum: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Non invenitur in Proto-canone, concedo: in Deuterocanone, nego. Ante captivitatem tum Ninive, tum Babylonicam Canonem Hebræi condiderunt, in quo juxta traditionem divinam, libros sacros reposuerunt: quia vero in utraque captivitate Libri sacri propter acerbitatem temporum dispersi fuerant, Esdras instinctu Dei ductus, dispersos collegit, hinc Deutero-canon seu posterior, in quo de novo apponerentur sacri Libri, editus est. Deinde vero prævio maturo examine, nonnulli ad *Setcubim*, pertinentes declarati sunt Sacri, & in posteriorem Canonem adsciti sunt, quorum unus est liber Tobias, qui quidem ante captivitatem Ninive non extabat, cum referat & Tobiæ captivi pietatis facta, & Dei in ipsum amoris multa argumenta; sed neque ante captivitatem Babylonicam conscriptus videtur, cum chaldaice in textu originali habeatur, & consequenter post utramque captivitatem compositus, nonnisi enim durante captivitate Babylonica Hebræi Chaldaica utebantur lingua.

*Dices*: Igitur non lingua Chaldaica, sed potius Assyriorum lingua scribi debuit ille Liber, quandoquidem Tobias fuerat apud Assyrios sub Salmanazar captivus.

*Respondeo*: Assyriis successisse Chaldæos, hinc & lingua Chaldaica in toto illo vastissimo imperio una postea florebat: verum quidem est gubernatores seu Proreges Ninive Chaldæorum Mediæ demisso jugo, sibi audacter imposuisse Diademata, quod ad eorum imitationem postea fecerunt gubernatores Babylonis, & sic ex Chaldæis tria conflata sunt regna, videlicet Chaldæorum imperium, deinde Reges Ninive, tum & Reges Babylonici, qui & consequenter habebant pro avita lingua chaldaicam: Igitur Rex Ninive tempore captivitatis Tobiæ loquebatur chaldaice, tametsi non Chaldæorum sed Assyriorum nomen ex primis Assyriis assumeret, & sic recte consociantur Scripturæ.

*Ad* auctoritatem Josephi dico, omisisse librum Tobiæ propter tria. Primoquidem, ex eo quod quia non hebraice, sed chaldaice scriptus esset. Secundo, non totam gentem sed personam dumtaxat particularem spectabat. Tertio, non erat in Proto-canone. Iisdem ductis rationibus omisit librum Job.

*Instabis*: Ille Liber non est sacer, qui quędam Angelo sancto tribuit mendacia: sed ita legentibus apparet. Et probatur. Cap. 5. vers. 7. Angelus asserit se esse de filiis Israel: vers. 8. se mansisse apud Gabelum, quasi vero Angelus haberet pro habitatione terram; vers. 18. se esse Azariam Ananiæ magni filium: tum cap. 7. v. 3. ex Tribu Nephtali Oriundum, quę quidem omnia veritati non sunt consona; ueque enim Angelus erat hominis filius, nec etiam potuit cum Tobia se proclamare de Tribu Nephtali Oriundum, & in civitate Ninive captivum, quia ipsa Tribus jamjam per Theglathphalasar, qui ante Salmanazar regnavit, fuerat devastata; omnes quippe contribules captivos abduxerat, ut habetur 4. Reg. 15. Igitur Tobias nec dicendus est de Tribu Nephtali, nec captivus sub Salmanazar.

*Respondeo* negando minorem. Ad probationem, distinguo: Et dicta Angeli debent intelligi secundum distributionem accommodam, hoc est, juxta sensum tum figuralem, tum spiritualem & mysticum, concedo: semper juxta sensum litteralem & obvium, nego. Scriptura sacra varios subit sensus, qui conformiter ad materiam quam tractat sumuntur: porro in locis per modum objectionis allatis de mysterio gratię & protectionis Dei, quod abscondere, ut ibi habetur, bonum est, agit; quocirca Angelus Israelitæ nomine insignitur, eo quod Israelitis præerat: se quoque nominat Azariam, cujus præ se ferebat speciem: dicitur quoque apud Gabelum mansisse, cum de facto apud ipsum diversatus sit, ut debitam Tobię pecuniam acciperet, Nonnulli sic ver-

vertunt: Nominatur Israel, hoc est, prevalens ac fortissimus juxta ipsius Israel vocabuli interpretationem: pari & consimili modo Azarias, quod interpretatur *auxilium Dei*. Nec mirum, Tobiam & contra monstrum fluvii, & contra dæmonem Asmodæum defendit: Ananiæ nomine utique celebratur, id est, *gratia Dei*, ut ipsa *Anania* sonat vox: gratia quippe magna, eaque multiplex tanti Angeli ministerio, Tobiæ familiæ, & facta & concessa est. Cæterum cum dicitur de Tribu Nephtali Oriundus, & Ninive civis seu incola, hoc totum ratione junioris Tobiæ quem in via comitabatur, apprime commemoratur. Non igitur ut in errorem induceret homines, sed potius ut Dei panderet mysterium, sic locutus est sanctus Raphael.

*Ad* ultimam instantiam respondeo: Theglathphalasarem Assyriorum Regem, qui ante Salmanazarem clavum imperii tenebat, primumquidem Galaaditidem, Galilæam, & terram Nephtali vastasse, tum omnes cives captivos duxisse Ninive ut habetur 4. Reg. 15. 29. & 7. Paralip. 1. 25. 26. sed non implicat aliquos in iis provinciis dilapidatis remansisse, sicut facta messe, aliquæ superfuint spicæ, inter quos erat Tobias, qui veniente postea Salmanazare, in altera captivitate, quæ fuit omnium decem tribuum universalis clades, e civitate Nephtali ductus est captivus: quorsum enim ex primo exterminio non remansissent aliqui, cum ex secundo universaliori nonnulli residui fuerint; habetur enim 2. Paralip. cap. 34. Josiam multis annis post istam generalem vastationem urbes Manassis, Simeonis, Ephraim, Nephtali tametsi ex magna parte dilapidatas ab idololatria repurgasse, & a reliquiis aliarum Tribuum sacrum tributum exegisse: Igitur non recte concluditur falsa annuntiari in libro de quo tractamus, cum Tobias dicitur captivus ductus a Salmanazar, quamvis jam præcessisset ejus Tribus ab alio Rege vastatio, quandoquidem & potuit ab ista eripi, & postea in posteriorem tradi; & sic dici captivus factus per Salmanazar.

*Urgebis*: Quædam contradictoria in libro Tobiæ reperta leguntur: sed hæc sacro non conveniunt libro: Ergo &c. Probatur major: Sara filia Raguelis, quæ Tobię juniori nupsit, civitatem Rages Medorum incoluisse dicitur cap. 3. vers. 2. & 7. cum vero ad eam venit Tobias cap. 9. misit Raphaelem ad Rages civitatem Medorum ut a Gabelo pecuniam reciperet: sed si Rages Tobias commorabatur, necesse non erat mittere Rages aliquem, qui pecuniam a Gabelo acciperet: Igitur est manifesta contradictio. Confirmatur. Lib. 4. Reg. cap. 15. 29. Theglathphalasar Tribum Nephtali captivam duxit, quo posito inde sequeretur Tobiam captivum fuisse in Assyriam ductum per illum Regem, cum tamen constet ex Libro de quo nunc agitur, hoc factum sub Salmanazare contigisse, quod certe contradictionem sapit. Ergo &c.

*Respondeo* negando majorem. Ad primam probationem, distinguo: Et in Assyriorum imperio diversæ urbes eodem Rages nomine datæ sunt, concedo: & quæ in objectione proferuntur, de eadem numero civitate intelligi debent, nego. Concinunt diversæ hujusce Scripturæ versiones. Et vero in Vulgata Rages habetur in utroque loco, in græca *Ecbatana Mediæ*; in Mosteriana habetur, *Ecbatana Medorum*, in Pangiana legitur terra *Edian*. Subdit Lyranus fieri potuisse Raguelem habuisse villam Rages, civitati magnæ affinem, nomine civitatis magnæ insignitam, & ex illa misisse aliquem, qui a Gabelo pecuniam Tobiæ debitam reciperet.

*Ad* confirmationem, distinguo: Et Theglathphalasar non omnes ex Tribu Nephtali captivos duxit, concedo: & omnes prorsus, ita ut nullus in propria remanserit patria, nego. Duas tantum Tribus Theglathphalasar captivas in Assyriam duxerat, sed post ipsum Salmanazar cæteras Tribus Niniven transtulit, & tunc regnum Israel penitus extinctum est: sic Nabuchodonosor, cum rebellavit Joachim, obsedit Jerosolymam, sed pace composita, aliquos solummodo duxit captivos: At vero Joachim, seu Sedecias suis non stans promissis, alternata vice Jerosolyma a Nabuchodonosor & obsessa, & vastata fuit, ipse vero Sedecias cum toto Juda Babylonem translatus est. Potuit igitur Tobias remanere in patria, cum Theglathphalasar Tribum Nephtali captivam duxit, quandoquidem nonnulli ex ejus manibus forsitan erepti sunt, sed veniente

te Salmanazar, ipse cum reliquis omnibus, captivus ductus est, ut ejus refert historia.

*Repones*: Liber ille quoddam fabulosum, seu potius impossibile precontinet: Ergo &c. Probatur antecedens. In eo legitur quod jecur piscis possit expellere dæmones: sed hoc verisimile non apparet, cum creatura spiritualis a corporali non pendeat, & id quod est materiale agere in spiritualem substantiam non queat. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem, distinguo: Res corporea non potest agere ut causa proprincipalis in rem spiritualem, concedo: ut causa instrumentalis, & a Deo elevata, nego. Sic aqua, inquit Augustinus, virtute Dei elevata dum tangit corpus, etiam & a sordibus peccati abstergit animam: sic ignis juxta Sanctorum Doctorum placita virtute justitiæ Dei roboratus, cruciat damnatos; potuit igitur fumus piscis jecoris assati expellere dæmones, sicut de facto Asmodæum, qui multos sane viros jam jam occiderat, procul fecit.

*Insistes*: Ecclesia nequidem librum Tobiæ uti Canonicum habet: Ergo &c. Probatur antecedens: Concilium Laodicense Can. ultimo, Carthaginense III. Can. 47. illum omittunt librum. Origenes hom. 17. ait eum quidem a Catecumenis legi, sed non esse Canonicum. Idem propugnat Hieronymus in præf. qui tamen teste Gelasio dist. 15. Can. *Sancta Mater Ecclesia*, pro fidei regula condenda, ubi agitur de sacris Scripturis, audire necesse est. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens, quando quidem Tridentinum sess. 4. in canonem sacrarum Scripturarum adscivit librum, quocirca nullus de hoc momento relinquitur ambigendi locus, cum Ecclesia in factis dogmaticis sacrorum maxime librorum infallibilis sit. Non diffiteor aliquando de libro Tobiæ fuisse dubitatum num esset facer, vel non, sed omnibus perpensis, ita definivit Ecclesia; hinc auctoritas Conciliorum particularium, & aliquorum doctorum nihil de hac detrahit fide, cum ad eorum usque tempora nihil de hoc momento definitum haberetur, tum quia, ut notat Genebrardus in Chronologia ad annum 3638. 3920. & 3952. fuerunt diversi Librorum sacrorum canones conditi ab Hebræis, unus scilicet ab Esdra & continet Proto-canonicos, alter ab aliis Scriptoribus, & Deutero-canonicos complectitur, ex quo non expungendus est Tobiæ liber, cum nonnullorum Patrum etiam antiquissimorum, & ipsius Tridentini calculo muniatur.

*Neque* vero magis proficit instantia ex Jeronymi auctoritate deducta: quandoquidem lib. 3. Apologiæ contra Rufinum affirmat se in hoc aliorum expectare sententiam; immo ipse Gelasius in decreto de Scripturis librum Tobiæ tamquam genuinum & sacrum suscipit. Cum igitur Hieronymum veluti de Libris sacris fidei regulam habet Ecclesia, id unum solummodo vult, ejus auctoritatem pro Libris Proto-canonicis plurimum ponderare: esto & pro Deutero-canonicis, sed secundum distributionem accommodam, & modo non prævaleat plurimorum omni exceptione majorum auctoritas; & hoc supposito quod accedat Ecclesiæ consensus, quæ quidem circa istud momentum omnem prorsus abstulit dubietatem.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Liber Tobiæ est sacer.*

Primo: Uti canonicum habent illum librum Concilia, videlicet Hipponense can. 38. Carthaginense III. can. 47. Tridentinum, sess. 4.

*Secundo*: Suffragantur SS. Patres, Basilius Hom. de avaritia, Ambrosius lib. 4. in Exam. cap. 4. Augustinus lib. 2. de doct. Christ. cap. 8.

*Tertio*: Concinit Traditio, tum Judæorum, qui illum recensent in Deutero-Canone, tum Christianorum qui ab ipsa vagiente Ecclesia illum recepere: quandoquidem vel ipse Cyprianus, qui tertio florebat sæculo librum ut sacrum celebrat lib. de opere & eleemosynis, & lib. 3. Testim. ad Quirinum.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

Primo: Tametsi librum S. Hieronymus non commemoret in Prologo-Galeato, non argumentum est illum ex albo Libro-

Librorum canonicorum expungere, quia eo loci numerat solum libros Proto-Canonis Synagogæ ante captivitatem tum Ninive, tum Babilonicam conditi, in quo dubio-procul collocari non potuit, cum ea tantummodo repræsentet quæ pius & devotus Tobias captivus, & æquo passus est animo, sed non negat reperiri in Deutero-Canone, cum & ab Hebræis inter Hagiographa numeratum testetur, Præf. in Tobiam.

*Secundo*: Ultro fatemur quasdam in libro Antylogias reperiri, sed attendendo ad sensum spiritualem absque negotio conciliantur; quia enim Sacramentum tum abscondere bonum erat, Angelus Tobiæ expostulanti quis esset, respondit se esse Azariam, mystice magnum & ita potentem principem, ut dæmonem ipse relegaverit in desertum Ægypti: In eodem spirituali sensu se dixit de Tribu Nephtali oriundum & concaptivum, quatenus scilicet Israelitarum Ninive captivorum curam gerebat singularem sibi a Deo demandatam, præsertim vero Tribus Nephtali propter Tobiam ad quem fuerat missus ut consolator & custos.

*Tertio*: Si aqua virtute Dei elevata tangendo corpus, lavat & animam, quid prohibet vaporem jecoris piscis allati, ordinante Deo, dæmonem Asmodæum fugasse?

---

## ARTICULUS NONUS.

*Num Liber Judith inter sacras Scripturas annumerandus sit?*

LIBER ille XVI. capitibus conclusus, refert istius mulieris fidem, ejus prædicat virtutem, fortitudinem, sicut & in defendenda patria magnanimitatem, maxime vero insignem truncato capite Holophernis super Assyrios Bethuliam obsidentes reportatam victoriam. Quidam putant librum hunc ab ipso Joachimo in ipso historiæ contextu nominato elaboratum fuisse: suspicatur Huetius exaratum captivitatis temporibus Babylonicæ ad leniendam exilii ægritudinem, & spe fractos captivorum erigendos animos, cum hic Liber, teste S. Hieronymo, Chaldaica lingua fuerit conscriptus. De isto volumine duo quæruntur, unum scilicet de authenticitate, alterum vero de veritate historiæ. Pro quorum resolutione sit

### CONCLUSIO PRIMA.

*Liber Judith est genuinus & canonicus.*

PROBATUR: Ille Liber est canonicus, qui uti talis & a Concilio Nicæno, & a Tridentino, & a sanctis Doctoribus habetur: Atqui Liber Judith ab iis omnibus celebratur: Ergo &c. Probatur minor. Tametsi Nicæna Synodus expressam non faciat de hoc libro mentionem; testatur tamen Hieronymus in præfatione ad hunc librum laudari a Nicæno. Tum epist. 140. ait, Ruth & Esther & Judith tantæ gloriæ sunt, ut sacris voluminibus nomina dederint: item in præf. Judith, sic loquitur: " Quia hunc librum Syno„ dus Nicæna in numero sanctarum Scri„ pturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestræ. „ Quibus verbis etiam agnoscit Hieronymus auctoritatem Ecclesiæ in definiendis divinarum Scripturarum factis; atque postulantibus, num ille liber foret canonicus? Nicæni Concilii auctoritate fretus affirmative respondet: ita quoque de fide definit Trident. Sess. 4. Astipulatur Isidorus qui lib. Ethymologiarum cap. 1. asserit Ecclesiam librum Judith veluti sacrum agnoscere: Ergo &c.

*Confirmatur*: Concilium III. Carthaginense ubi aderat S. Augustinus can. 47. librum Judith, ut sacrum recepit; tum & specialiter S. Doctor lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. Eumdem ut Canonicum habet Ecclesia Romana; sic Innocentius I. epist. ad Exuperium Tolosanum Episcopum: sic Gelasius I. cum Synodo Romana in indice Librorum sacrorum: Ergo &c.

### CONCLUSIO SECUNDA.

*Historia Judith non est parabola, sed vera.*

PROBATUR auctoritate Patrum, qui uno veluti calamo atque consensu Judith ut feminam fortissimam, & omni præcellentem

lentem virtute ceteris proponunt. Ita Clemens Romanus circa finem Epistolæ suæ ad Corinthios: Clemens Alexand. lib. 4. strom. Origenes 29. in Ierem. Tertullianus in fine libri de Monogamia: Ambrosius lib. 3. de officiis cap. 13. tum fuse in libro de Viduis: Hieronymus epist. 9. ad Salvinam, decima ad Furiam, & 14. ad Pipiam, nec non & in Isaiæ 14. Augustinus lib. 18. de civ. Dei cap. 26. Fulgentius epist. 2. ad Gallam cap. 14. aliique veteres, quorum ne unus quidem deest qui non agnoscat historiam Judith tamquam veracissimam: Ergo &c.

*Juvat* hic quosdam textus recensere: " Multæ mulieres, *ait Clemens Romanus* " gratia divina corroboratæ multa & virilia gesserunt. Beata Judith, cum urbs " circumsessa esset .... egressa est, & " tradidit Deus Holofernem in manus " mulieris. " Tum Origenes: " Judith " fœdera sanciverat cum Holoferne, ut " tot diebus egressa ad orandum Deum, " post totidem dies sisteret semetipsam " cubili Holofernis. " Insignis est Ambrosii locus: " Ecce tibi Judith se offert mirabilis, quæ formidatum populis " virum Holofernem adiit, Assyriorum " triumfali septum caterva. " Non omittendus Fulgentius: " Habes, *inquit*, & " in veteri & in novo Testamento sanctarum viduarum, quibus ædificeris, " exempla. In veteri Testamento Judith. " Certe, si foret conficta mulier, vel ejus historia adinventa fabula, a SS. Patribus hæc sancta vidua non proponeretur cæteris imitanda: Ergo &c.

*Confirmatur*: Illa historia intelligenda est in sensu obvio & litterali, nusquam vero in parabolitico seu metaphorico, quę ipsius Judith refert genealogiam, facta particularia, & media quibus ad obtinendam a Deo super Israel hostes victoriam usa est: Chaldæorum exercitus consternationem, Regis consilium de universo orbe, suo subjiciendo imperio, Achioris Chaldæi Deum timentis salutem, victoriæ reportatæ annuam festivitatem, Judith viri mortem; non enim aliis exquisitioribus picturis delineari potest historiæ veritas: hæc omnia adamussim in libro Judith recensentur, ut omni patebit legenti: Igitur historia Judith est veracissima.

*Fit satis objectionibus adversus primam conclusionem militantibus.*

OBJICIES: Vel in ipso libri limine gravissima affulget contradictio: Sed Liber sacer non nisi veritatem, ut sanctum decet Spiritum ejus auctorem, complecti debet: Igitur liber Judith non est canonicus. Probatur major: Cap. 15. factum victoriæ contigit postquam populus e captivitate babylonica redux fuit: sic enim Achior loquitur ad Holofernem de Judæis cap. 5. *Reversi ad Dominum Deum suum ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt.* Sed contrarium cap. 1. legitur; ibi enim Auctor sacer refert factum evenisse sub Nabuchodonosor Assyriorum Rege, quando scilicet debellavit Arphaxad Medorum Regem, qui Ecbatanam ædificaverat; porro cum populus a captivitate solutus Jerosolymam rediit, jam jam imperium Chaldæorum datum fuerat Medis & Persis, quocirca tunc temporis non regnabat Nabuchodonosor, sed Cyrus primus Persarum Rex, qui populum Judaicum a captivitatē liberavit: Igitur est manifesta contradictio in libro Judith.

*Respondeo* I. Omissis variis auctorum sententiis, factum victoriæ Judith eo evenisse tempore, quo Hebræi suis adhuc vivebant sub Regibus; legitur enim cap. 15. Iosiam Regem misiste electam juventutem, qua Chaldæos ex morte improvisa Holoferni perterritos inter montium angustias ad perfectam usque internecionem totius exercitus persequerentur: Igitur factum victoriæ post captivitatem Babylonicam contingere non potuit, quando quidem tunc temporis & vastatum erat Israel regnum: & ipsi Judæi non nisi Duces habebant.

*Respondeo* II. negando majorem: Ad probationem distinguo: Factum victoriæ contigit postquam populus per captivitatem Manassis dispersus, in suos rediit fines, concedo: post captivitatem Babylonicam, nego. Igitur solummodo post captivitatem Manassis Judith fortitudine desuper immissa devicit Holofernem. Ita Bellarminus hic de verbo Dei cap. 12. ubi propugnat factum Judith tempore Manassis Regis Juda evenisse; tunc enim regnabat Ninive apud Medos Dioces

cles qui Ecbatanis ædificavit teste Eusebio in chronico Assyriorum, sic colligitur ex lib. 4. Reg. 19. & Tobiæ cap. 1. qui autem vocatur Nabuchodonosor in libro Judith, probabile est alio nomine dictum fuisse Merodach Baladam, qui fuit etiam Babylonis Rex: nam post Sennacherib sub finem regni Ezechiæ patris Manassis, Asarhaddon clavum imperii tenuit, ut patet lib. 4. Reg. 19. post Asarhaddon vero regnavit Merodach Baladam, de quo fit mentio lib. 4. Reg. 10. Isaiæ, Cap. 39. & Jeremiæ 50. qui erat Rex Babylonis: qui quidem transtulit ad se Regnum Assyriorum, cum nulla fiat amplius mentio in sacra Scriptura de Regno Assyriorum, sed tantum de Regno Babylonis, suspicamur Baladam regnare Babylone cœpisse ann. 3. Manassis, unde annus decimus tertius quo movit Bellum adversus Judæos, duce Holoferne, incidit in annum 16. Manassis, quem paulo ante captivum duxerat Babylonem.

*Tunc* etiam extabat Jerosolyma, cum templo de quo fit mentio 4. Judith. Tunc quoque vivebat Eliacim Sacerdos Magnus, ut patet ex chronico Nicephori Patriarchæ CP. qui enumerans Pontifices Judæorum posuit Eliacim inter Sobnan, qui fuit Pontifex tempore Ezechiæ; & Elchiam, qui tempore Josiæ summum obtinebat Sacerdotium: porro certum est inter Ezechiam & Josiam mediare Manassen, quod quidem convenit cum lib. 4. Reg. cap. 18. ubi Eliacim nominatur inter præcipuos Sacerdotes: hoc ipsum utique magis cohæret cum Prophetia Isaiæ 22. ubi præcipitur depositio Sobnau impuri Pontificis, & exaltatio Eliacim qui in ejus locum suffectus est.

*Instabis*: Atqui factum victoriæ Judith post captivitatem Babylonicam contigit: Ergo &c. Probatur subsumptum ex verbis Achioris cap. 5. ad Holofernem: *Ante hos annos, cum recessissent a via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt præliis a multis nationibus; & plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Jerusalem, ubi sunt sancta sanctorum.* Sed hæc omnia post captivitatem Babylonicam evenisse constat. Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum, propter rationes jam jam laudatas, ea potissimum ductus ratione, quod e captivitate Babylonica reduces Judæi, non Reges, sicut tempore Judith, sed Duces habuerint. Ad probationem distinguo minorem: Et relata ab Achiore facta sunt tempore Manassis & ejus post captivitatem, concedo: & his non evenere temporibus, nego. Manasses primum sceleratissimus diversa post prælia, captivus ductus est Babylonem: Sed & Hebræi multis aliis præliis fracti fuerant, cum Theglathfalazar Galilæos & Nephtalitas captivos, deinde cæteros aliarum decem tribuum Judæos Salmanazar Ninivem transtulerat. Igitur non absque fundamento dixit Achior Judæos antea præliis contritos in Jerusalem fuisse reversos, videlicet post captivitatem Manassis Regis Juda. Tametsi autem Achior statum Reipublicæ Judaiçæ penitus haud penetraret, multa tamen de hoc momento audierat, quę Holoferni recensere potuit, maxime de malis quæ ab ęmulis gentilibus perpessi, a quibus Deo auxiliante, liberati fuerant: si quidem Israelitę propter idololatriæ scelus, in manus inimicorum, modo Ægyptiorum, modo Moabitarum & Ammonitarum non semel traditi, quoties pœnitentes, toties & victores evaserunt. Has autem minores & non diuturnas Hebræorum captivitates libri Regum non referunt, quod isto potest illustrari exemplo. Captivitas v. g. Regis Manassis, in libris Regum siletur, & tamen eam vere contigisse nemo nisi in historia sacra hospitem se probaverit, dicet.

*Sed* ne circa istud momentum remaneat aliquis ambigendi locus, observandum est, temporum chronologiam pro facto victoriæ Judith geometrice, hoc est secundum distributionem accommodam, & non arithmetice esse intelligendam: alii igitur sumunt captivitatem a primo Joachim anno, vel quarto. Alii a primo Sedeciæ vel secundo, finem vero alii a Cyri secundo, alii 23. alii 27. alii etiam a secundo anno Darii Hystaspis, istius captivitatis Babylonicæ ponunt, & sic facile potest cognosci historiæ Judith epocha.

*Urgebis*: Dicitur quod fuerit pax toto tempore vitæ Judith, & multis sequentibus postea annis: Atqui hoc non nisi post captivitatem Babylonicam intelligi potest: tunc enim Persarum Reges Judæis favebant: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem: illud quippe de pace dictum optime conciliatur, post captivitatem Manassis, quando quidem pœnitens dimissus est, ut habetur lib. 2. Paralip. cap. 53. ab hac autem Manassis liberatione usque ad Regnum Joachas filii Josiæ summa pax fuit in Juda; tametsi Scriptura quantum duraverit non dicat; colligitur tamen 72. annorum spatio eam perdurasse pacem: Manasses enim regnavit 55. annis accipiendo 39. post suam captivitatem, quæ initio Regni sui accidit, ut notat Josephus lib. 10. antiq. cap. 5. annus vero 13. Regis Assyriorum & Babyloniorum incidit in annum 16. Manassis; annis vero 39. addendi sunt duo anni, quibus post Manassem regnavit in pace Ammon ejus filius, ut refertur l. 4. Reg. 21. & sic jam sunt 41. anni: his adduntur 31. quibus post Ammon regnavit pacifice Josias, ut habetur lib. 4. Reg. 22. & hi omnes faciunt 72. annos. Numerus ille 72. annorum incipit a morte Holofernis; vixit autem Judith 105. circiter annos: Probabiliter habebat 40. cum Tyrannum prostravit, quippe quæ esset & vidua, & matura: jam vero si ex 105. annis detrahantur 41. supersunt 65. anni perpetuæ & continuæ pacis: his adde 7. namque Scriptura dicit post mortem Judith multos elapsos fuisse annos antequam aliquis perturbaret Israel. Igitur pax 72. annorum facile concipi potest.

*Potest* utique isto ulteriori modo explicari pax victoria Judith parta, dicendo factum præclarum istius insignis viduæ contigisse ineunte Regno Manassis, & ab ejus Regni initio tempus pacis, de qua fit mentio in libro Judith, computandum esse: neque vero obstat huic paci captivitas Manassis, quippe quæ solam Regis personam, nusquam vero Reipublicæ statum spectet, namque Manasses non in prælio, sed fraude & dolo captus ab Assyriis, non multo post demissus est, ut scribit Josephus lib. 10. antiq. cap. 4. sicque nullum extitit tempore captivitatis adversus Judæos Bellum.

*Hoc* supposito, numerandi sunt anni qui fluxerunt a nativitate Judith usque ad bellum ab Ægyptiis commotum, quod pacem Israelitarum non modicum turbavit, quando quidem Josias Rex Juda a Nicanore Rege Ægypti occisus est. Judith triginta circiter annos habebat cum sub initio Regni Manassis devicit Holofernem. Manasses regnavit ann. 55. Ammon ejus filius 2. Josias Manassis nepos 31. Igitur a nativitate Judith usque ad obitum Josiæ, qui in bello Ægyptiaco extinctus est, anni pacis 118. numerantur. Jam vero Judith vixit anno 105. hinc manifeste sequitur pacem perdurasse in Israel non solum toto vitæ Judith tempore, verum etiam 25. annis post ejus obitum. Sicque adimpletur illud Scripturæ Judith, Cap. 16. *In omni autem spatio vitæ ejus non fuit qui perturbaret Israel, & post mortem ejus annis multis.*

*Instabis*: In græco textu habetur templum ad terram fuisse adæquatum, quod solummodo post captivitatem Babylonicam contigisse constat: Igitur factum victoriæ Judith non nisi post captivitatem Babylonicam evenit.

*Respondeo* I. Verba in objectione laudata esse supposititia; Hieronymus enim, qui ex Chaldæo librum transtulit latine, nullam facit mentionem de Templo terræ adæquato; ista fortasse additio in græco textu causa fuit, quod gravissimi auctores, scilicet, Eusebius, Augustinus, Sulpicius, Beda in hac historia tali tempore collocanda decepti sint: quando quidem Judith cap. 4. templum dicitur integrum.

*Respondeo* II. distinguendo: Templum fuit terræ adequatum, hoc est pollutum a gentibus, sacrificiis exutum, concedo: id est destructum, nego.

*Urgebis*: Atqui aliæ antylogiæ graviores in illo libro reperiuntur: Ergo &c. Probatur Antecedens. Primo, cap. 6. Judith dicitur de tribu Ruben. Capite vero 9. se ipsam appellat filiam Simeonis, his verbis: *Domine Deus Patris mei Simeon.* II. Cap. 12. vocatur puella, quod certe non convenit & facto victoriæ, & ætati Judith quæ erat vidua. III. Nulla fit Manassis mentio, tametsi Regis, qui omnia, tum ad defensionem, tum ad hostium propulsionem parare debebat, sed tan-

tantum de Eliacim, qui ad vicinas scripsit civitates, ut robustos viros & electam juventutem coligerent, qui montium aditus præcluderent hostibus. IV. Cap. 11. vel ipsa Judith Holoferni mentita est, dicens: *Ego adducam te per mediam Jerusalem*. Ergo &c.

*Respondeo* negando Antecedens. Ad primam probationem dico, Ruben eo loci pro tribu Ruben non sumi, sed potius pro filio Jacob, qui vidit Deum; Ruben quippe idem est ac videntis filius.

*Ad* secundam probationem distinguo: Judith vocatur puella, hoc est, speciosa & gratiosa, concedo: solent enim pueri omnibus blandiri, nec enim quicquam amaritudinis habent, sed jucunditatis speciem præ se ubique ferunt: in isto sensu & Abraham & David pueri nomine insigniuntur. Vocatur puella ætate, nego.

*Ad* tertiam probationem similiter distinguo: Nulla fit expressa de Manasse mentio, concedo: implicita, nego. Expressa quidem, nam vel pœnitentiæ adhuc incumbebat laboribus, vel propter hostium subitam irruptionem præ temporis angustia non potuit authentica mittere instrumenta, quibus modos propellendi hostes civitatum præscriberet gubernatoribus, sed implicita & tacita de eo fit mentio, quatenus Eliacim, qui tempore Ezechiæ patris Manassis, ut minister Regni multa præclare gesserat, sicut legitur Lib. 4. Reg. cap. 18. habebat ab ipso Manasse cuncta, pro Bethuliæ aliarumque vicinarum urbium salute & regendi & faciendi, potestatem; cum ipse Isaias cap. 22. prædixerat Eliacim summum Pontificem futurum esse habitantium Jerusalem & a fortiori Bethuliæ veluti Patrem.

*Nec* refert etiam, quod Bethuliæ nomen, de quo in libro Judith, taccat alibi Scriptura, namque Ephraim, Corozaim, Nazareth, in veteri non commemorantur Testamento; constat tamen ex novo istas urbes extitisse: Scriptura igitur quandoque civitatum præcipuarum solummodo refert nomina. Cæterum periit exemplar Hebraicum, unde Hieronymus *Bethuliam* vertit, interpres Græcus, *Bethulenam*, Serrarius *Bethuliam*, additque eamdem esse ac Bethul.

*Dices*: Tempore Regis Manassis Bethuliam Israelitæ non incolebant, quippequi a Salmanazar Assyriorum Rege fuerant tempore Ezechiæ Regis Juda patris Manassis in captivitatem adducti; unde Bethulia id ætatis incolebatur a Cuthæis & Babyloniis, qui a Regibus Assyriorum fuerant huc translati, qui sane Holoferni a Nabuchodonosor Assyriorum Rege misso non restituissent. Igitur non incidit in tempora Manassis factum Judith; sed solummodo post reditum Judæorum e captivitate Babylonica.

*Respondet* R. P. Graveson tract. de Scriptura sacra pag. 195. ad instantiam hanc iis verbis: " Dico, Bethuliam „ fuisse urbem Regni Israelitici extra „ Regnum Juda in Tribu Simeon Idu„ mæis finitimam, quam Israelitæ possi„ debant. Decem siquidem Tribus non „ ita fuere a Salmanazare Assyriorum „ Rege in Babyloniam abducta, quin „ plurimi Israelitæ in patrio solo re„ manserint, aut saltem, ad illud non „ multo post fuerint reversi, qui pluri„ mas, ex illis civitatibus præsertim „ eas, quæ in montanis sitæ erant, oc„ cuparunt. Colonia autem illa Cuthæo„ rum & Babyloniorum habitabat dum„ taxat in Samaria, & in aliis vicinis „ civitatibus, nec ibi sola degebat, sed „ plurimis Israelitis commista erat, im„ mo cum ipsis Deum Israel colebat, ut „ habetur lib. 4. Reg. cap. 17. Nemini „ igitur mirum videri debet, quod Is„ raelitæ & Cuthæi urbis Betuliæ in„ colæ veri Dei volentes defendere cul„ tum contra Holofernis impetus, om„ nem religionem exterminare molien„ tis, junctis umbonibus, atque conglo„ merato agmine huic Assyriorum militiæ „ Principi restiterint. „

*Ad* postremam probationem respondeo I. Judith adduxisse quidem per mediam Jerusalem Holofernem, non quidem ut triumphantem, ut falso ipse credebat, sed victum & capite truncatum: Resp. II. cum divo Thoma 2. 2. q. 110. art. 3. ad 3. Judith facta hypothesi quod Holoferni mentita sit laudari in Scri-

ptura sacra, non propter mendacium, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro quo non sine magna, tum pietate, tum animi fortitudine periculis se se exposuit.

*Replicabis*: Si Nicænum Concilium librum Judith sacrum veluti Scripturam agnovisset, profecto Laodicense illo posterius in Canonem Scripturarum sacrarum adscivisset; Sed de facto non adscivit: Igitur ex Nicæno istum Librum sacrum esse non recte colligitur.

*Respondeo*, nec mirum videri debet, si Concilium Laodicenum librum Judith omittat, cum sit Nicæno non posterius, sed potius antiquius, ut propugnat Baronius. Præterea jure merito dubitatur, num canon divinarum Scripturarum, de quo in objectione, sit Concilii Laodiceni fœtus; neque enim a Dionysio exiguo refertur, neque inter titulos Isidorus mercator eum commemorat.

*Insisies*: Josephus nihil dicit de historia Judith: Ergo est fictitia. Confirmatur: Quis cogitare potest pudicam & sanctam feminam simulare voluisse sui copiam facere, ut deciperet incautum, & Ducem terribilem proprio confoderet gladio.

*Respondeo* distinguendo: Et testatur Josephus lib. 10. cap. 4. se ea solum tractare, quæ in veteri Judæorum canone continebantur, concedo: & reliqua tamquam commentitia rejicit, nego. Quid plura adjiciam? Nemini mirum videri debet, si auctor ille Judith historiam tacuerit, quando quidem in historia Medorum parum erat versatus, immo alia etiam veracissima silet; regnante enim Manasse, Scytæ, ut testatur Herodotus, irruperunt in Asiam, & per annos 28. Palæstinam occuparunt, sicut & Bethsan urbem Judæ, quæ postea dicta est Scitopolis; de his tamen altum est apud Josephum silentium.

*Dices*: Iosephus ibidem catalogum summorum veteris legis Pontificum texit, nec tamen meminit nominis Eliacim Sacerdotis; sicut nec festivitatis victoriæ Judith, de qua sit mentio; immo nec apud Judæos ista extat festivitas: Ergo &c.

*Respondeo* I. in catalogo a Joseph edito multa desiderari nomina: desiderantur enim Amaticas, qui regnante Josaphat. Lib. 2. Paralip. 16. Joiadas qui regnante Joas; Azarias, qui sub Ozia, Achaz qui sub Ezechia summum habebant Pontificatum.

*Respondeo* II. Sacerdotem magnum tempore Manassis potuisse esse binomium, ac subinde illum, qui in libro Judith vocatur Eliacim seu Joachim, alio nomine in catalogo Sacerdotum, quem texuit Josephus, designari. Cæterum lib. 4. Reg. cap. 18. Eliacim inter summos Sacerdotes annumeratur: eumdem commemorat Isaias cap. 22. ubi sic loquitur: *Et erit in die illa: vocabo servum meum Eliacim filium Helcia, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu ejus: & erit quasi pater habitantibus Jerusalem, & domui Juda.*

*Ad* confirmationem distinguo: Et ad omnia neque attendit, neque attendere potuit Josephus, concedo: & cuncta scripsit, nego. Festum victoriæ Judith non erat publicum, hoc est, pro tota gente Judaica; unde non mirum si apud Judæos amplius non extet; cum enim institutum fuisset pro Bethulia, factum est, quod decursu temporum ingruentibus & bellis, & calamitatibus, fuerit penitus omissum.

*Ad* confirmationem dico, historiam Judith esse verissimam, omne quippe verbum apud Deum non est impossibile: Judith igitur ducente & inspirante Spiritu sancto, non animo quidem irreverenti & infrunito, sed pietatis erga patriam affectu sese Holoferno prodiit, &, divino invocato numine, ut ibidem habetur, Holofernis amputavit caput, quo mortuo, irruit super eos terror, & omnes fugerunt, sicque liberavit patriam.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Liber Judith est Sacer,*

PRIMO: Concilium Nicænum I. hujus libri saltem implicite meminit, ut subnotat S. Hieronymus præf. ipsius libri. Subscribit Carthaginense III. can. 47. & suum addit calculum Trident. sess. 4.

*Secundo*: Astipulantur SS. Patres. In primis Augustinus lib. 2. de Doctr. Christ. cap.

cap. 8. Isidorus Hispalensis lib. 5. Etyhmol. cap. 1.

*Tertio*: Neque vero cum ullo fundamento dici potest librum continere parabolam, cum Clemens Romanus epist. ad Corinth. Ambrosius lib. 3. de officiis cap. 13. venerabilem Judith cæteris viduis, ut vitæ in Christo degendæ normam proponant. Tum quia in illo libro genealogia Judith, victoria, Deo speciali adjuvante, parta, gaudium populi & in perpetuam rei memoriam instituta Festivitas, canticum heroicæ mulieris in gratiarum actionem effusum referantur, quæ quidem omnia a metaphora longe abscedunt.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non nihil difficultatis in chronologia facti determinanda apparet, sed bene satis intelligitur, si supponamus, quod verissimum est, victoriam Judith, ante captivitatem Babylonicam contigisse. Cæterum, teste Hieronymo, leviores sunt in chronologia discrepantiæ, ut aliquod pro genuinitate libri facescant negotium.

*Secundo*: Neque vero auget in hoc Achior difficultatem, cum ait populum pœnitentem a captivitate absolutum ad propria rediisse; eo quippe loci non est sermo de captivitate Babylonica, sed de alia. Revera quidem Israelitæ pluries traditi fuerant in manus gentium, nunc Ægyptiorum, nunc Moabitarum, & Ammonitarum, multique ex ipsis fuerant his temporibus a patria sua abducti exules, & ad illam deinde reversi.

*Tertio*: Mirum videri non debet, si Festum in memoriam victoriæ Judith, ab universis Judæis non fuerit celebratum, quia non totam gentem, sed personam dumtaxat privatam, tum & urbem unam Bethuliæ spectabat.

## ARTICULUS DECIMUS.

*Utrum liber Esther sit sacer?*

LIBER ille in sexdecim capitibus continet quidquid Esther pro populo suo fecit apud Imperatorem Assuerum; ejusdem Regis magnificentiam; suspensionem Aman in patibulo, & Mardochæi exaltationem, quique creditur auctor libri. Jam sit

### CONCLUSIO.

Liber Esther secundum omnia capita genuinus est.

*Probatio, ex Conciliis.*

LIBER quem secundum omnia capita Canonicum declarant Concilia, uti talis habendus est: Atqui Liber ille sic declaratur: Et probatur. Primoquidem, a Laodiceno cap. 59. a tertio Carthaginensi can. 47. denique a Trid. sess. 4. his verbis: *Si quis libros istos*, intellige, Vulgatæ, *integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia legi consueverant, & in veteri vulgata editione habentur, pro Canonicis non receperit, anathema sit*. Observes velim, benevole Lector, sacram Synodum anathemate percellere eos, qui libros omnes Vulgatæ, & secundum omnes quas continent partes, omniaque capita non receperint: Igitur liber Esther secundum omnia quæ complectitur capita, Canonicus est, maxime cum in nostra Vulgata sic exhibeatur.

*Probatio, ex Patribus utriusque Ecclesiæ.*

LIBER quem utriusque Ecclesiæ Patres tamquam Canonicum habent, nullis exceptis partibus, profecto sacer est & divinus: Atqui Patres Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis librum Esther integrum suscipiunt: Ergo &c. Probatur minor.

*Inter* Græcos eminent Origenes, quippe qui in sacris Scripturis sit versatissimus: libro præfato, nulla dempta parte, suum addit calculum; videlicet Comment. in primum Psal. apud Eusebium lib. 6. Hist. Eccl. cap. 25. epist. ad Julium Africanum:

canum : septem vero capita ultima, quæ non habentur in canone Hebræorum recipit, qui apud septuaginta Interpretes & Theodotionem inveniri testatur : postea subdit insipientiam simul & imprudentiam esse illa non recipere, quando quidem ex traditione ipsorum Hebræorum constat totum librum quondam ab iis fuisse receptum : quinimmo gravissimi auctores tenent Lxx. Seniores præ manibus habuisse exemplar in quo cuncta continebantur capita, quod quidem temporum decursu, Romanis totum orbem præliis & victoriis suo addentibus imperio, amissum est. Et de facto Septuaginta fusiori calamo, ut in exemplari originali legerant, historiam dederunt. Hunc etiam librum quoad omnes partes recipit Eusebius lib. 4. hist. cap. 25. Cyrillus Cathechesi 4. Damascenus lib. 4. cap. 18. Basilius lib. 2. contra Eunomium pag. 57. Sanctus Chrysostomus hom. 3. ad populum Antiochenum.

*Sic* loquitur Origenes in laudata epistola editionis Rodolphi Vvestenii : " In „ multis aliis sanctis Libris invenimus, „ ut alicubi quidem plura apud nos extarent, quam apud Hebræos ; alicubi „ vero pauciora. Exempli gratia, cum „ non omnia possint simul comprehendi, „ pauca exponemus : videlicet ex Libro „ Esthe ræ, quæ legentem ædificare possunt, apud Hebræos habentur. Sed „ nec Epistolæ, vel Ammani de deletione Judaicæ gentis scripta, vel Mardochæi sub nomine Artaxerxis, eumdem populum a morte absolvens. *Sed* „ Lxx. Interpretes, & Theodotionem, „ *quorum exemplaribus utebatur*, *inveniri* „ *docet*. „

*Sic* & Chrysostomus ex cap. 14. Esther testimonium exhibet : " Fuit quædam „ mulier Hebræa, Esther erat ipsi nomen : hæc Esther universum Judæorum populum internecione delendum „ sic eripuit. Postquam enim Persarum „ Rex omnes passim Judæos interimi „ jussit, & nullus erat qui contra iram „ illius obsistere posset, priorem vestem „ exuta mulier & sacco amicta, & cinere substrato divinæ clementiæ supplicabat ut secum ad Regem ingrederetur, & talia orans verba ad ipsum dabat : *Grata Domine fac verba* „ *mea*. „

*Ex* Latinis concinunt Hilarius in primum Psalmum ; Innocentius I. epist. 3. Rufinus in Symbolo, sed maxime Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. in primis vero lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum num. 38. ubi hujus libri auctoritate & necessitatem, & efficaciam gratiæ probat, hæcque ex capitibus 13. & 14. excerpta profert : " „ Quid est autem quod Esther illa regina orat & dicit, da sermonem concinnum in os meum, & verba clarifica „ in conspectu leonis, & convertetur cor „ ejus in odium impugnantium nos ? Ut „ quid ista in oratione dicit Deo, si non „ operatur Deus in cordibus hominum „ voluntatem. „ Pergit ex auctoritate capitis 15. Libri Estheris, & sic ait : " Ecce ingreditur ad Regem. Ne multa „ dicamus: Et quia non ordine ingrediebatur .... timuit Regina, & conversus „ est color ejus per dissolutionem .... & „ convertit Deus, & transtulit indignationem eius in lenitatem. Jam sequentia commemorare quid opus est, ubi „ Deum complevisse quod illa rogaverat, „ divina Scriptura testatur, Estheris 16. „ Audis Scripturam illam Estheris vocari divinam : Igitur liber quoad omnia capita est sacer.

*Probatio ex rationibus.*

PRIMA : Ille liber omnes genuinitatis characteres habet, qui in Ecclesia & veteris & novi Testamenti celebratur: Atqui sic celebratur liber Estheris ; & probatur. Primoquidem, in Synagoga Festum *Phurim*, de quo cap. 9. v. 21. annuatim diebus 14. & 15. mensis Adar celebrari præcipitur, in memoriam beneficii quo Esther omnes a morte imminenti liberaverat Judæos : hinc 2. Machab. 15. v. 37. vocantur dies Mardochæi, de quibus Joseph lib. 4. cap. 6. suso tractat calamo, quod quidem Festum ad Theodosii usque tempora a Judæis celebratum est, ut habetur in Codice Theodosiano, titulo de Judæis & Cœlicolis.

*Secunda* : In Ecclesia liber Estheris non semel laudatur, & est in usu ; nam in Missa Feriæ quartæ post Dominicam II. Quadragesimæ, Lectio sumitur ex cap. 13. Libri Estheris, similiter & Epist. Missæ

sæ contra Paganos: Pari & consimili usu & auctoritate in Breviario Romano suo ordine lectiones de Libro Estheris leguntur: Ergo &c.

*Tertia*: Ille liber est genuinus, in quo historia cum omnibus tum loci, tum personarum, tum etiam factorum circumstantiis texitur: Atqui liber sic scriptus omne explodit fictitium & commentitium: Igitur non ut quid fabulosum, sed ut vera historia haberi debet: addo & ut sacer propter auctoritatem Conciliorum.

*Solvuntur objectiones.*

Objicies: Septem ultima capita non inveniuntur in Canone Hebræorum: Igitur Liber quoad omnes partes non est Canonicus.

*Respondeo* distinguendo: Non reperiuntur in Proto-canone Judæorum, concedo: in deutero-canone, nego: namque ex Traditione liquet & probationibus librum hunc esse quoad omnes partes canonicum, cum eum laudet Joseph lib. 4. cap. 7. Cæterum septuaginta Seniores omnia præ oculis habebant exemplaria, quia vero tempore pacis scripserunt, mirum videri non debet, quod fusiori calamo librum hunc retulerint. Nec quemquam movere debet quasdam esse in Vulgata ad hunc librum annotationes; hoc quippe unum designat, videlicet librum non fuisse in Proto-canone Hebræorum inscriptum; quocirca istæ notæ nihil auctoritatis ab eo detrahunt.

*Instabis*: Nonnulla in isto libro pugnantia & contradictoria leguntur: Ergo &c. Probatur antecedens. Septem ultima capita non cohærent cum primis, nam in cap. 4. & 12. insidiæ parantur ab Eunuchis adversus Regem ann. 2. regni Assueri, & tamen cap. 2. insidiæ pandebant, cum Esther Regi nupsit anno scilicet ejus regni septimo: Ergo &c.

*Respondeo* negando anteced. Ad probationem distinguo: Et caput 7. in Græco est primum, concedo: & non est, nego. Igitur anno secundo regni instructæ sunt insidiæ, anno vero 7. detectæ sunt a Mardochæo. Ad istorum intelligentiam observandum est septem illa capita non esse postrema libri, sed quædam pertinere ad initium, ut caput 4. & 12. quædam ad medium ut caput 13. 14. & 15. quædam etiam ad finem ut caput 16. quod patet ex codicibus græcis, ubi omnia suo collocantur ordine: Porro S. Hieronymus, ut ipse testatur, ea posuit in primo ordine, quæ invenit in antiquo Hebræorum canone, quæque decem priora componunt capita, ut habentur in Bibliis nostris: quæ vero non invenit in tali canone, post alia posuit, & complectuntur septem postrema capita, additque sese hæc ad majorem explicationem fecisse.

*Respondet* ad hanc difficultatem Duvallius tract. de fide q. 1. art. 2. cap. 4. ubi habetur: *Anno secundo regnante Artaxerxe*; non esse extendendum usque ad caput 13. cujus initio habetur: *Morabatur autem eo tempore in Aula Regia Mardochæus*; illudque tempus non esse intelligendum de anno secundo, sed septimo Artaxerxis, quo tempore insidiæ detectæ sunt a Mardochæo, & voces *eo tempore*, non haberi in græco, licet sint in editione latina, adeoque non esse referendas ad annum secundum, sed septimum, quod sane non multum differt ab anno secundo, immo in libris Regum & Judicum multi anni sæpius omittuntur, ita ut interdum appareant aliqua tempora sibi esse adinvicem proxima, quæ tamen inter se longe distant. Tum addit in græco 7. ultima capita in suo reperiri ordine, caput vero 4. & 12. Vulgatæ pertinere ad initium, & primum caput apud Græcos constituere: Caput denique 13. 14. & 15. spectare ad caput 3. 4. 5. versionis septuaginta Interpretum, caput vero 16. ad finem.

*Urgebis*: Atqui veræ affulgent in isto libro antylogiæ: Ergo &c. Probatur subsumptum. Cap. 6. vers. 3. Mardochæus pro delatione proditionis Eunuchorum nihil accipit, & tamen cap. 12. vers. 5. quod pertinet ad initium & est ante caput 6. dicitur accepisse a Rege mercedem: Sed hæc manifeste contradictoria sunt: Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum: Ad probationem distinguo: Mardochæus capite 12. initium libri spectante, accipit mercedem per promissionem, concedo: per exhibitionem, nego. Cum autem Persarum edictum erat irrefragabile, ut Reges suis fideliter starent promissis, idcirco promissio mercedis habetur ut ipsa exhibitio: Sic apud nos ut primum Rex

aliquem nominavit ad Episcopatum, iste dicitur Episcopus, tametsi nondum ordinatus & inauguratus.

*Repones*: Si ista narrentur per anticipationem, cur in græcis textibus habetur: *Et factum est post hæc in diebus Artaxerxis*: Narratur etiam ibi Assueri convivium anno sui regni tertio factum, & tamen Scriptura indicat convivium factum esse post delationem insidiarum, quæ anno tantum septimo facta legitur; & sic nova exurgit contradictio: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Et illud, *post hæc*, non refertur ad ea quæ commemorata sunt per anticipationem, concedo: secus, nego. Hoc quippe refertur ad somnium Mardochæi, quod suo loco scriptum fuerat.

*Replicabis*: Cap. 16. vers. 10. Aman dicitur gente Macedo, & tamen cap. 9. vers. 24. dicitur e stirpe Agag, hoc est, Amalecita: Igitur est manifesta contradictio.

*Respondeo* negando consequentiam. Et vero Aman potuit esse simul & de genere cujusdam Agag Macedonis, minime vero de genere Agag, illius qui fuit Amalecita.

*Contra*: In Epistola Regis quæ jacet cap. 16. v. 14. dicitur quod Aman voluerit regnum & imperium transferre ad Macedones homines ignoti sane nominis, quocirca id & impossibile & confictum videtur: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Aman voluit imperium transferre ad Macedones, hoc est, usurpare, concedo: erat enim ipse Macedo, sic apprime conciliatur Scriptura: in alios transferre, nego. Huetius & Grotius suspicantur pro voce *Macedones*, legendum esse *Amalecitas*, & pro vocabulo *Macedo*, legendum esse *Amalecita* eo quod tunc temporis ignoti essent Persis Macedones. Conjecturæ non nihil favent; nam cap. 9. vers. 24. Aman dicitur ex stirpe Agag Amalecita oriundus; hinc Joseph in Epistola e capite 16. deprompta legit sicut nos, scilicet, *animo & gente Macedo*; antea tamen dixerat Aman Amalecitam; ita ut in epistolam irrepsisse videatur Macedo pro Amalecita, & loco *Macedones*, Amalecitas.

*Instabis*: Ibidem vers. 16. in epistola Judæi dicuntur filii maximi sempiternique Dei viventis: Sed hoc laudis genus a Rege idololatra promanare non videtur: Ergo &c.

*Respondeo*, negando minorem propter duo: Primo quidem Assuerus inter avos suos, & Cyrum, & Darium computabat, a quibus Dei notionem habere potuit; nam & Cyrus relaxaverat populum a captivitate, dederatque necessaria, & post ipsum Darius pro Templi restauratione, ut Deus cœli, inquiebant, & ut in Scriptura legitur, ipsis esset propitius. Secundo Mardochæus, qui nomine Regis scribebat, hæc ad nominis Dei exaltationem potuit addere.

*Persistes*: Artaxerxes nupsit Estheri, sed hoc est impossibile, nam Mardochæus ibidem cap. 2. vers. 6. dicitur translatus de Jerusalem cum Jechonia Babylonem a Nabuchodonosor: anno autem 12. Artaxerxis, quo tempore nupsisset Assuerus, Esther habuisset 160. circiter annos, quod verum non apparet, quandoquidem transacto diluvio, statuente Deo, vita hominis erat ad summum 120. Sic enim habetur Gen. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum*.

*Respondeo* I. illum Imperatorem non esse Darium Medum, neque Cyrum ejus nepotem, neuter quippe regnabat super 127. Provincias, ut legitur de Assuero, cui matrimonio Esther conjuncta est: Tametsi enim Persæ haberent Balthassar imperium, neutiquam tamen ab India usque ad Æthiopiam eorum sese extendebat potestas.

*Respondeo* II. neque cum Artaxerxe Longimano nupsit Esther, alias tunc temporis Mardochæus habuisset 160. annos. Enim vero a Jechonia usque ad Cyrum qui relaxavit populum a captivitate, intersunt 70. anni: Ab anno vero quo Cyrus solvit populum a captivitate usque ad annum 12. Assueri, quo Aman Judæos perdere volebat, ut legitur cap. 8. intercedunt anni plusquam 105. Ast quando Mardochæus translatus est, 20. circiter annos & amplius habebat, & sic anno 12. Artaxerxis Longimani habuisset saltem 160. annos; ex quo liquet opinionem Josephi de Artaxerxe Longimano non esse probabilem.

*Respondeo* III. contra Scaligerum non fuisse Xerxem Artaxerxis Longimani prędecessorem, nam a primo anno regni Cyri qui relaxavit populum usque ad 12. Xerxis, quo anno notatur elevatio Mardochæi secundum Scaligerum, intersunt 76. anni, quibus si jungas 70. captivitatis annos, & eos quos habebat Mardochæus, ipse habuisset 140. annos, secundum vero fidelem supputationem fere 166.

*Præterea* si Esther nupsit Xerxi, fuit ergo Ametrix Noe, seu Amestris, cujus meminit Herodotus & Ctesias; non enim aliam habebat Xerxes conjugem, cum bellum in Græciam transtulit, videlicet longe post annum regni sui 3. Porro non potuit esse Ametrix, quando quidem ejus pater Potanes vivebat, quum Xerxes in Græciam profectus est: Esther autem suum amiserat patrem multo tempore antequam nuberet Regi; cujus rei argumentum est, quod Mardochæus ejus avunculus curam de ea haberet. Quid plura? Esther fuit pia & sancta mulier, Ametrix vero crudelis; mulieri enim nobilissimæ amputari fecit mamillas, aures, nasum, labia, & linguam. Cæterum Xerxes maximis bellis & calamitatibus non semel tractus est, e contra vero Assuerus pacifice regnavit.

*Respondeo* IV. Non esse Xiaxaram Medorum Regem, ut quidam autumant; iste enim non regnavit Susis, & imperium ejus multo contractius erat Assueri Imperio.

*Jam* ad argumentum respondeo in forma, distinguendo: Et ille Assuerus de quo in libro Esther, fuit Darius Histaspes, qui Cambisi successit in regno Persarum, concedo: & fuit alter, nego: omnia conveniunt ipsi: Et verò, regnabat ab India usque ad Æthyopiam, ut patet lib. 3. Esdræ cap. 32. qui liber tametsi non canonicus, multum tamen pro historia ponderat. Secundo ibidem Darius fecit cœnam vernaculis & Optimatibus, ut de Assuero legitur. Tertio Susan ejus regni fuit initium, seu ibi regnare cœpit; urbem hanc fuisse tunc temporis conditam, refert Plinius, amplificatam verò scribit Chianus. Darius, teste Herodoto duas habuit uxores, scilicet, Artissonam & Assortan, ista vero eadem est ac Esther; prius enim vocabatur Chissa: Quarto Assuerus in epistola quæ legitur cap. 16. dicit se regnare beneficio Dei cœli, Darius, lib. 3. Esdræ cap. 4. vers. 43. similia loquitur: Ergo &c.

*Dices*: Utraque uxor dicitur Cyri filia: Sed Esther non erat filia Cyri: Igitur nostra opinio, veritati non cohæret.

*Respondeo* distinguendo minorem: Non erat ex stirpe, concedo: ex conjunctione & per affinitatem, nego. Ratione Regis ejus sponsi, qui Cyrum habebat avum, ejusdem Cyri dicitur filia.

*Dices* iterum: Assuerus cap. 16. de sanguine Persarum oriundus proclamatur: Sed Darius Histaspes erat de sanguine Medorum: Igitur & nova contradictio.

*Respondeo* distinguendo minorem: Darius erat de sanguine Medorum ratione avorum, concedo: de sanguine Persarum tantum, nego. Imperium Chaldæorum, ut habetur Daniel 5. *Datum est Medis & Persis*, videlicet Dario Medorum Regi, & Cyro ejus nepoti, quo quidem tempore obsidionis Babylonis erat tantum Regulus, regnum quippe Persarum primus fundavit; sed mortuo Dario ejus avunculo Imperium Chaldæorum ascivit Persarum regno, quocirca ejus tum filii, tum nepotes dicti sunt de stirpe & Persarum & Medorum: Persarum quidem relative ad Cyrum, Medorum vero relative ad avos. Herodotus concinit; nam Assuerum de sanguine etiam Persarum procreatum commemorat.

*Dices*: Assuerus maritus Esther, Artaxerxes vocatur: Sed solum fuere tres Artaxerxes, videlicet Longimanus & post ipsum Arian, deinde vero Ochus; at cum nullo ex his nupsit Esther: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Et nomen Artaxerxes erat commune Regibus Persarum: significat enim bellatorem, & teste Diodoro post Memnonem promiscue Regibus datum est, atque attributum, concedo: & erat nomen particulare uni tantummodo affixum personæ, nego. Potuit igitur illud nomen Estheris sponso convenire.

*Replicabis*: Juxta inconcussam S. Hieronymi regulam debemus judicare de authenticitate sacrorum librorum relative ad fontem primigenium, scilicet textum Hebræum: At qui sex priora libri Esther capita in textu Hebræorum non reperiuntur: Igitur

tur non sunt genuina ; adeoque nec ipse liber : Confirmatur. Sixtus Senensis etiam post Concilii Tridentini definitionem lib. I. Bibliot. propter istas appendicum lacinias , hinc inde quorumdam Scriptorum temeritate inceptas , ait librum Esther , quamvis Hebraicum , & ab Hebræis receptum , sero admodum vel apud ipsos Christianos canonica donatum esse auctoritate : quinimmo lib. 8. scribit sex postrema capita ab Ecclesia tamquam ascititia & apocrypha explodi seu negligi.

*Respondeo* distinguendo minorem : Sex priora Esther capita in textu Hebræo non primigenio desiderantur , transeat : in primigenio , nego : In antiquioribus quippe exemplaribus Hebraicis , ex quibus illa capita in græcas editiones translata sunt , reperiuntur , ut testatur Origenes epist. ad Julianum Africanum: Neque vero insolens & inusitatum est eumdem auctorem duplex exemplar conscribere ; alterum pressiori , alterum fusiori calamo ; in priori quædam succincte dici , vel etiam omitti, quæ nihil a substantia historiæ detrahunt ; in posteriori vero vel minima usque ad ultimum apicem referri . Quid mirum igitur si duo Hebræa extent exemplaria libri Esther , unum pressius , alterum auctius , in quo erat somnium Mardochæi , Esther oratio, nec non Assueri epistolæ , sicut habentur tum in textu Græco , tum in Vulgata : hoc ipsum potest illustrari exemplo quod cap. 9. ejusdem libri Esther affulget: eo enim loci referuntur duæ epistolæ Mardochæi ad Judęos missæ, in quarum prima fusius descripta est historia Esther , in altera vero idem factum historicum pressiori & modo & stylo , servata tamen rei veritate, conscribitur.

*Ad* confirmationem dico, auctoritatem Concilii Tridentini quod sess. 4. suscipit omnes Vulgatę libros cum suis singulis partibus præponderare auctoritate Sixti Senensis in hoc prorsus derelinquendi , quamvis enim aliquo modo excusandi veniant Lyranus, Carthusianus , Hugo Cardinalis, eo quod ante celebrationem Synodi Tridentinę scripserint, laudata sex Esther capita esse adulterina, minime tamen Sixtus, qui, non obstante Ecclesię decreto, contrarium asserere ausus est.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Liber Esther est sacer.*

PRIMO : Sic illum declarat Concilium Laodicenum cap. 59. Sic Carthaginense III. can. 47. Sic Tridentinum sess. 4.

*Secundo :* Subscribunt Origenes comment. in primum Psal. Chrysostomus homil. 3. ad populum Antioch. August. lib. I. contra duas Pelag. epistolas , num. 38. editionis novę.

*Tertio*: Suffragatur ratio . Singula facta historię cum circumstantiis sic referuntur, ut Scriptor Canonicus omnem dubitandi locum de realitate historię exsufflaverit , vel ipsa Ecclesia in suo officio illam ut veram historiam habet.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Quędam antylogię apparent , sed facilius eas enodabis , amice Lector , si attendas quędam capita inverso ordine fuisse conscripta.

*Secundo* : Quędam etiam videntur fusiora quam in quibusdam exemplaribus : Ergo-ne adulterina, aut aliena manu immissa ? Absit , nam cuncta in primigenio fonte , maxime apud Septuag. reperiuntur.

*Tertio :* Non una quidem est omnium opinio de marito Esther , vel etiam de ipsius nomine, sed hęc & similia nihil a substantia & realitate historię detrahere, omnes Theologi ultro fatentur.

---

## ARTICULUS UNDECIMUS.

*Utrum historia Job sit vera?*

LIBER ille XLII. capita habet: Job insignitur nomine, eo quod tanti viri referat historiam , pręclara ejus patientiæ documenta , mystica , altissima & profundissima ejus cum amicis de Deo colloquia: creditur ipse libri hujus auctor, quod non obscure ipsius, ista indicant verba : *Quis mihi det ut sermones mei scribantur stylo ferreo ?* Nonnulli sed absque fundamen-

damento post captivitatem Babylonicam hunc librum scriptum fuisse existimant, ea ducti ratione, quod in eo locutiones Cyriacæ & Chaldaicæ non semel adinveniantur: Sed hoc vel minimum non fecessit negotium; nemo quippe non novit libros sacros post captivitatem ab Esdra variis explicationibus atque interpretationibus, iisque Syriacis & Chaldaicis, eo quod Hebræi innatæ obliti fuerant linguæ, fuisse adornatos.

*Concinit* veritati librum Job ante Moysen fuisse scriptum, cum Job ad legem naturæ pertinuerit. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis in Genesim, propugnat Job fuisse ex posteris *Nachor*, vel ejus filii *Hus*, namque Gen. cap. 22. vers. 2. *Nachor*, frater Abrahæ genuit *Hus*, & huic consonat nomen terræ *Hus*, ubi Job habitavit. Alii volunt Job esse Esau pronepotem, eo quod in Genealogia Esau Gen. cap. 36. vers. 33. inter Reges Idumæorum numeratur *Jobath*: Sed adhæremus opinioni S. Hieronymi, ex qua liquet Job perantiquum esse, cum vixerit versus tempora Abrahæ & Esau. Suffragantur LXX. Interpretes dum scribunt Job 248. annos vixisse: attamen non improbabilis est sententia eorum qui propugnant Moysen illum exarasse librum, tum quia maxima est styli & characteris similitudo, & inter hunc librum & libros a Moyse scriptos similitudo, tum quia etiam Moyses, omnibus ferme consentientibus, fuit primus omnium gentium Scriptor, quod tamen falsum esset, si Job Moyse antiquior hunc librum scripsisset.

*Jam* supersunt duæ difficultates solvendæ & eliquandæ: una quidem de veritate historiæ Job, altera de ejusdem libri authenticitate: pro quarum resolutione, sit

CONCLUSIO PRIMA.

*Job vere fuit & extitit, nec est mera parabola.*

PROBATUR isto ratiocinio: Historia cui testimonium & Scriptura & Patres perhibent, non est mera allegoria: Atqui res ita se habet: Ergo &c. Minor sic probatur: Ezechiel 14. vers. 14. habetur: *Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel & Job: ipsi justitia sua liberabunt animas suas.* Quo posito, sequitur istud argumentum. Eodem modo exprimit Ezechiel Job, sicut Noe & Daniel, eumdemque de his tribus habet & sermonem & sensum: sed de Noe & Daniele sicut de viris veris & non fictis loquitur: Igitur Job quoque fuit vir verus, & non confictus.

*Rursus*: Tobiæ secundo vers. 12. & 15. scriptum est: *Hanc tentationem permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Job.* Ecce Scriptura iterata vice loquitur de Job tamquam de homine qui vere extitit, quandoquidem cum Tobia propter patientiam collaudat: sed Tobias homo verus fuit, ut supra ostensum est: Igitur & Job.

*Rursus*: Jacobi quinto vers. 11. legitur: *Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis.* Atqui primi Christiani credebant verum hominem fuisse Job, & secundum illorum sensum S. Jacobus scribit, immo & fideles exemplo Job invitat ad patientiam in adversis, quod dubioprocul incassum fieret, si Job nonnisi confictus fuisset homo: Ergo &c.

*Confirmatur*: Aristeas suæ describit Job historiam, quam ex Polysthone apud Eusebium lib. 9. præpar. Evangelicæ cap. 25. habemus: Ergo &c.

*Suffragatur* SS. eminentes Doctores, qui eum veluti Sanctum prædicant & commendant. In primis Origenes hom. 4. in Evangelia, seu auctor commentarii in librum Job sub nomine Origenis; Melito Sardensis epist. ad Onesium, Basilius homil. de gratiarum actione, Chrysostomus homil. 4. ad populum, & in quatuor de beati Job sermonibus; Tertullianus lib. de patientia cap. 14. Cyprianus lib. de bono patientiæ, Ambrosius lib. de paradiso cap. 2. tum enarratione in Psalm. 37. Hieronymus epist. 103. Augustinus lib. 18. de civitate Dei cap. 47. Gregorius præf. in Job cap. 2. & sequentibus, & alii qui ex gestis Job argumenta desumunt. Ergo &c.

*Succinit* Ecclesia tum Græca, tum Latina, quæ Job inter Sanctos annumerat, ejusque festum in Martyrologio Romano sexto Idus Majas commemoratur, Ergo

Ergo &c. Astipulatur etim ratio, namque juxta severioris critices regulam, illa historia vera citra dubium cenſetur, quæ hominis, ortum, fortunam & exitum cum omnibus circumstantiis annuntiat: Atqui talis est historia Job. Et probatur. Primo, status prosperitatis Job, ex quinque potissimum in libro delineatur, videlicet, ex ejus patria quæ erat terra *Hus* in Idumæa, ex genere & omnium virtutum supellectili, tum ex prolis fecunditate, nec non & famæ celebritate. Secundo, status adversitates ex repentina familiæ extinctione, bonorum omnium dilapidatione, amicorum malè rixantium importunitate, demum ex proprii corporis percussione. Tertio, status prosperitatis ex felicitate restituta, ex omnium congratulatione, ex bonorum in immensum augmento, ac tandem ex gloria qua donatus est, dum in senectute bona & plenus dierum obiit in Domino. Ergo &c.

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Liber Job est Canonicus.*

PROBATUR multis momentis: Illum librum veluti Canonicum habere debemus, cui Synagoga & Ecclesia suum addit calculum: Atqui Synagoga, & Christi Ecclesia suum illi addit calculum. Et probatur. Primoquidem, a Judæis tamquam genuinus recipitur. Nec mirum, passim laudatur in cæteris veteris Testamenti Scripturis. Quædam hic exempla proferre juvat. Job 3. 2. habetur: *Pereat dies in qua natus sum: & nox in qua dictum est: conceptus est homo*; quam quidem sententiam veluti Dei verbo ad verbum conscripsit Jeremias cap. 20. 14. his verbis: *Maledicta dies in qua natus sum: dies in qua peperit me mater, non sit benedicta*. Rursus Job. 15. 35. *Concepit dolorem & peperit iniquitatem, & uterus ejus praeparat dolos.* Similia habetur Psal. 7. 14. *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*. Et iterum Job. 19. 7. 8. *Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet: vociferabor, & non est qui judicet, semitam meam circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit.* Thr. 3. 8. & 9. Jeremias quasi a Job edoctus, ita loquitur: *Sed & cum clamavero & rogavero, exclusit orationem meam: conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit*. Et adhuc de mari sermonem faciens Job 38. 10. sic loquitur: *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem et ostia, & dixi: Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*. Eadem prorsus post Job Salomon scripsit Proverb. 8. 20. *quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*. Audis multas sententias in aliis libris ex libro Job excerptas? Igitur est sacer & canonicus.

*Confirmatur*: Idem Liber uti talis habetur ab Ecclesia Christi, tum quia non nihil ex capite quinto vers. 13. laudat Apostolus primæ Corinth. cap. 3. 19. tamquam ex sacra excerptum Scriptura: tum quia a Concilio Tridentino sess. 4. inter libros Canonicos reponitur, tum quia etiam inter alios Theodori Mopuesteni errores, illum perstringit quinta Synodus Generalis col. 4. quod hæreticus ille librum Job uti profanum & a Pagano conscriptum haberet. His adde momentis definitionem Concilii Laodiceni Can. ult. in quo expresse librum Job inter Scripturas sacras annumerat.

*Agmen* claudet Gregorius Magnus qui præf. in Job cap. 1. mira de libro illo sacro profert: Quis hæc scripserit valde „ superfluè quæritur, cum auctor libri „ Spiritus sanctus facile credatur? Ipse „ hæc scripsit, qui hæc scribenda dicta- „ vit: ipse scripsit, qui & illius operis „ inspirator extitit, & per scribentis vo- „ cem imitanda ad nos ejus verba transmisit. „ Jam concludas velim, amice Lector, ex D. Gregorio Spiritum sanctum dictasse librum: Igitur est sacer.

*Solvuntur objectiones contra primam conclusionem.*

*Objicies*: In libro Job cuncta veluti scenica apparent: Igitur historia est mere Parabola. Probatur antecedens multis momentis. I. Job gementis & dolentis personam gerit. II. *Hus* ejus patria, idem est ac consilium. III. Sophar ejusdem amicus idem sonat ac speculator & buccina, IV. Eliphas, aurum Dei dicitur

tur. V. Denique sicut in scena conspicitur, Job antea pauperrimus sub finem ditissimus evadit. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens, propter rationes in probationibus allatas. Ad probationem, distinguo: Cuncta videntur scenica & parabolitica, sed in veritate fundantur, concedo: absque veritatis fundamento, nego. Non unus est, ut diximus supra, Scripturæ sensus: Sed apud omnes constat sensum allegoricum & paraboliticum supponere sensum litteralem, & verum in quo fundatur: Igitur textus libri Job in sensu obvio veritatem præ se fert, & Scripturæ textus hoc ipsum indigitat: quandoquidem satan, Deo permittente, virum sanctum gravissimis modis & omnium probationum, seu tentationum genere exagitavit.

*Cæterum*, neque ex libri stylo, qui partim prosa, partim versibus concinnatus est, sequitur Job Historiam esse fabulam, sin minus Canticum Moysis, Debboræ, Barac, Annæ, Ezechiæ Regis, Judith, & alia quæ in veteri Testamento occurrunt versibus illigata & consperfa, non absimili modo & Ieremiæ lamentationes, nec non & Psalmi Davidis abjicerentur, quod dubio-procul longe est a mente Ecclesiæ, apud quam ista omnia magnam obtinent auctoritatem.

*Urgebis*: Sed & ecce in eodem libro quædam alia comparent scenica, immo & falsissima: Ergo &c. Probatur antecedens. Quidam veluti amici ad consolandum Job veniunt, qui & septem diebus totidemque noctibus in silentio coram Job permanere dicuntur: sed nemo cordatus dixerit, tres viros tanto temporis spatio in silentio manere posse: Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem, distinguo majorem: Amici Job septem diebus totidemque noctibus coram ipso manserunt in silentio, hoc est, per septem dies, totidemque noctes inviserunt amicum suum desolatum, & visitationis tempore per aliquam horam eatenus siluerunt, quatenus silentio exprimitur consternatio & compassio, concedo: & hoc compertum quotidie habemus dum ægrotum extrema agentem convenimus: namque magis signis quam verbis mœrorem nostrum & compassionem exprimimus, maxime vero cum ægroti in ultimo vitæ gradu positi vix aliquem possint sustinere strepitum, & possint loquendo respondere: & amici Job siluerunt coram ipso toto septem dierum completorum spatio, nego. Ita communiter respondent Interpretes: " Dico, *inquit R. P. Gravejon Tract.*
" *de Scriptura sacra pag.* 214. Amicos Jobi
" sedisse quidem septem diebus & totidem
" noctibus, non quidem in eo sensu, ut
" quasi clavo trabuli affixi nullatenus pe-
" dem moverint, & omnibus momentis
" una cum Jobo sederint; sed hæc verba
" ita sunt intelligenda, ut amici Job per
" septem dies in eadem permanserint ci-
" vitate, interdum Iobum adeundo, visi-
" tando & alloquendo. "

*Instabis*: Atqui quædam alia in eodem leguntur libro quæ sensum mere scenicum important: Ergo &c. Probatur subsumptum. Satan adest inter filios Dei, quinimmo Deus veluti familiariter illum alloquitur, multaque de virtutibus Job illi commemorat: sed neutiquam probabile est satan, qui in inferno concluditur, in cœtu justorum reperiri, nec a fortiori Deum monstrum infernale, veluti familiariter alloqui: Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem, distinguo: Et Spiritus sanctus per Scriptorem Canonicum loquens ad humanum se se accommodat captum, utendo modis apud homines domesticis & familiaribus, ut qualis fuerit naturæ Jobi tentatio ostendat, concedo: & modus loquendi ad falsitatem inducit, nego. Sicut igitur Deus nunc sub figura Regis in Throno sedentis, nunc etiam sub figura Angeli hominis speciem præ se ferentis veluti sensibilem se præbuit, ut sua hominibus sensibilibus enarraret & manifestaret mirabilia, non absimili ratione Spiritus sanctus satan inter filios Dei prodit, quique ab ipso de virtutibus Job edoctus, virum sanctum iterum, atque iterum probandi suscipit provinciam: & hoc unum significant figuræ sermonis & explicant.

*Replicabis*: Amici Job ex impetu variis se se exprimunt versibus: sed & hoc apparet etiam scenicum: quomodo enim fieri posset, aliquem versus admodum concinnatos multiplices de variis, intricatissimis & profundis quæstionibus extemplo promere & canere? Ergo &c.

Re-

*Respondeo* distinguendo: Amici Job versus loquendo componebant, quoad sententias, concedo: quoad modum Poesis, nego. Quot verba, tot veluti sententias & Job & ejus amici loquebantur, sed Scriptor Canonicus eas ad Poeseos trutinam retulit. Cæterum non semel contigit aliquos præ animi sagacitate & subtilitate citocitius in conversatione versibus se se explicare.

*Diluuntur objecta adversus secundam conclusionem.*

OPPONES: Nonnulla contradictoria immo & aperte falsa in libro Job affulgent: Igitur non est Canonicus. Probatur antecedens. Cap. 3. vers. 2. & 3. habetur: *Post hæc aperuit os suum Job, & maledixit diei suo, & locutus est; Pereat dies in qua natus sum*. Ibid. vers. 11. & 13. *Quare non in vulva mortuus sum ... nunc enim dormiens silerem*. Vers. 8. *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan*. In his Job nonnihil impatiens & peccans apparet; in aliis tamen capitibus legitur, neque peccasse, neque a sua recessisse innocentia: sed hæc omnia manifestam important contradictionem: Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem, distinguo: Et in primis capitibus loquitur Job de die sæculari, in quo homo concipitur originali fœdatus peccato, vel etiam de passione Christi, cujus acerbitatem præfigurabant sui doloris excessus, concedo: loquitur impatientia abreptus, nego. Tanto Dei sanctus Job flagrabat amore, ut peccatum per omnia abhorreret, quocirca maledixit diei in quo conceptus & natus est cum peccato originali: sed & clamore & gemitu excessus, quos Christus in cruce perferre debebat, voluit exprimere: & hoc ipsum cap. 36. vers. 17. claret; ibi enim de Christo sic legitur: *Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies*. Hinc Job habetur a sanctissimis Patribus ut Propheta. Prima solutio est Ambrosii in cap. 4. Lucæ, ubi explicans illa verba Job: *Pereat dies in qua natus sum*; ait: Pereat dies secularis, ut dies spiritualis oriatur. " Altera solutio est " S. Augustini in Psal. 103. ubi de sancto Job, sic loquitur: " Ille autem gestabat personam magnam, magnæ Prophetiæ. " Subscribit S. Gregorius Magnus lib. 2. Moral. cap. 4. " Non est, " *inquit*, maledictio ex malitia delinquentis, sed ex rectitudine judicis. Non " est ira commoti, sed doctrina tranquilli &c. " Rursus lib. 4. Mor. cap. 6. " " Quid est ergo diei nativitatis maledicere, nisi aperte dicere dies mutabilitatis pereat, & dies æternitatis erumpat. "

*Instabis*: Qui de vita desperavit, profecto in peccatum prolapsus est: Atqui Job circa vitæ momentum in desperationem actus est; sic enim habetur cap. 7. vers. 15. & 16. *Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. Desperavi, nequaquam ultra jam vivam: parce mihi nihil, enim sunt dies mei*. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo minorem: Job de vita corporali desperavit, tantus quippe erat & morbus, & dolor ut animam ageret, hinc & brevi se moriturum crederet, concedo: desperavit de divina diffidens bonitate & misericordia, nego. Primum sensum esse genuinum, & in eo solummodo locutum fuisse Job, non obscure indigitant aliorum capitum sententiæ, ut jam ostensum est.

*Urgebis*: Job vivere tædebat, ut habetur cap. 9. & ibidem vers. 22. Deum de injustitia insimulare videtur, his verbis: *Unum est quod locutus sum, & innocentem & impium ipse consumit*. Sed hoc ipsum impatientiam atque peccatum redolet: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo majorem: Job vivere tædebat ex innato hominis patientis desiderio, & secundum partem animalem, quæ quidem morte a malis se liberari autumat, concedo: per impatientiam, & Dei adversus voluntatem obnitentiam, nego. Pari & consimili prope modo Christus, ut hominem se esse ostenderet de vita longiori anxiabatur in passione: sic enim de illo scriptum est Marc. 14. *Cœpit pavere, & tædere*. Cum igitur supra modum Job acerbe pessimo torqueretur, ut suum proderet dolorem acerbissimum, dicebat eatenus se tædere vivere, quatenus vivebat ut cruciaretur: hinc Deum ipse sic alloquitur cap. 19. 22. *Quare persequimini me sicut Deus*. Et ite-

iterum cap. 7. 20. *Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis?* Hoc eſt, quare conceptus ſum in peccato, & tantæ amaritudines ad peccatum originale conſequuntur?

*Ex hoc* patet ſolutio ad ſecundam inſtantiam. Non enim in rebellionem actus locutus eſt Job, cum dixit juſtum ſicut impium variis eſſe miſeriis obnoxium: & hoc fuſo & eloquenti ſermone amicis probat, contendendo contra eorum ſententiam, Deum & juſtum, & impium affligere, & cruciare æquo judicio poſſe, propter peccatum originale; hinc Eliphas & alii errabant, dum hominem ſolum propter peccata actualia variis ſubjici miſeriis arbitrabantur; unde ſic diſtinguo minorem: ſic loqui ex paſſione, eſt peccatum, concedo: in ſenſu Job, nego minorem & conſequentiam.

*Inſiſtes*: Cap. 42. adeoque 27. poſteriore, verſ. 3. ſic loquitur Job: *Inſipienter locutus ſum, & quæ ultra modum excederant ſcientiam meam*. Ibid. verſ. 6. *Idcirco me reprehendo & ago pœnitentiam in favilla & cinere*. Ex quibus verbis liquet Job ipſum agnoviſſe ſe peccaſſe, dum in prioribus capitibus mox laudatis locutus eſt.

*Reſpondeo* diſtinguendo antecedens: Et Job ſic loquitur motivo humilitatis, concedo: ut in prioribus capitibus erraſſe confiteatur, nego. Unum ſolummodo ſanctus vir intendit, videlicet Dei magnalia in immenſum hominis ſuperare captum, in quo ſenſu ait ſe inſipienter locutum fuiſſe, hoc eſt, diminute de Dei attributis peroraſſe. Alterum quoque etiam pro ſcopo habet, nimirum oſtendere hominem quantumvis juſtum & nullius peccati conſcium, nuſquam tamen in conſpectu Dei juſtificari; ſic enim habetur cap. 9. verſ. 15. *Si habuero quippiam juſtum, non reſpondebo, ſed meum judicem deprecabor*. Tum verſ. 20. *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit*. In eodem prorſus ſenſu David Pſal. 142. 2. Deum alloquendo, ait: *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*. Et iterum Pſal. 74. 3. *Ego juſtitias judicabo*.

*Audiendus* eſt de hoc momento S. Aug. qui dicit, Deum ipſum ab omni impatientiæ peccato excuſaſſe Job, cum ejus adverſus Eliphaz & alios illi improperantes, ſuſceperit partes defendendas, namque cap. 42. verſ. 7. qui eſt libri concluſio, habetur: *Poſtquam locutus eſt Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſervus meus Job*. Et ſupra cap. 27. S. Job, ait: *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea*.

*Quid plura*? Dominus compenſavit patientiam S. Job, pro afflictione pio lubentique animo paſſa, tum pro amiſſis bonis reddidit duplicia &c.

*Perſiſtes*: Idem poſt verba ex cap. 9. excerpta & ſupra in objectione laudata, poſtquam dixit Deum indiſcriminatim juſtum & peccatorem percutere, ſubdit: *Si flagellat, occidat ſemel, & non de pœnis innocenium rideat*. Tum cap. 30. 21. Deum viſitantem alloquens, ait: *Mutatus es mihi in crudelem*; quæ quidem verba quamdam deſperationem, aut ſaltem impatientiam ſpirare videntur: Ergo &c.

*Reſpondeo* II. Hæc & ſimilia ab omni paſſionis nævo immunia eſſe, cum ſanctus Job ſuam piam mentem ipſe non ſemel prodat: namque cap. 1. 21. & 22. ait: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum*. Cap. 2. 10. ſuam ipſam perſtringit uxorem, eo quod flagella Dei viſitantis impigre ferret: *Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es. Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus*? Quibus verbis, inquit ſanctus Gregorius lib. 4. Moral. cap. 5. Job: „ patefecit qua mente hæc quietus dixe„ rit, qui tot Dei laudes etiam per„ cuſſus enarravit. „ Cap. 13. 15. ſummum patientiæ argumentum ab omni vel leviſſima deſperationis ſuſpicione defecatum exhibet ſanctus Job his aureis verbis: *Etiamſi occiderit me Deus, in ipſo ſperabo*. Rurſus cap. 19. verſ. 25. & 26. *Scio enim quod Redemptor meus vivit, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum*.

*Reſpondeo* II. Et quidem ad primum locum pro objectione adductum diſtinguendo: Et eo loci S. Job deſiderium vehemens de redemptione per Chriſtum venturum operanda exhibet, concedo: & impatientiæ ſtimulis abreptus ita loquitur, nego, Solutio eſt S. Gregorii, qui lib. 9. Mo-

Moral. cap. 15. locum Job in illo explanat sensu: " Itaque, *ait*, vir Sanctus venturi Redemptoris dona considerans, votorum suorum dilationem graviter tolerans, dicit : *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat*; ac si aperte exoret, dicens : quia vita nostra quotidie flagello vindictæ pro culpa atteritur, ille jam veniat, qui pro nobis semel sine culpa moriatur, ut de innocentum pœnis Deus ultra non rideat, si ipse carne passibilis appareat, in cujus se desideriis mens nostra castigat. "

*Ad* alteram auctoritatem, distinguo: quoque S. Job ait quandoque Deum esse crudelem, hoc est, punire fortiter peccatum, concedo : esse crudelem passione aliqua stimulatum, nego. Absit hoc Job vel cogitasse de Deo : unum tantummodo intendit, videlicet, Deum ut Deum perstringere peccatum, hoc est, vehementissime, cum flagella Dei in immensum excedant ab hominibus inflictas pœnas. Hunc sensum ipse S. Job prodit cap. 19. & 20. *Usquequo non parcis mihi; nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? . . . Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis*. Tum cap. 19. 21. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus*. In eodem sensu Isaias cap. 13. 9. vocat diem judicii ultimi crudelem, hoc est amarissimum : *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus*. Non desunt qui propugnent, illas & similes increpationes nonnumquam in Sanctis ex summo erga Deum amoris æstu prodire : ita censet S. Cyrillus lib. 3. in Joannem cap. 24. in eo sensu Psal. 12. 21. Propheta dicit : *Usquequo oblivisceris me in finem?* Rursus Psal. 43. 23. *Exurge quare obdormis Domine*. Ergo &c.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*I. Job non est confictus homo. II. Liber ejus est sacer.*

PRIMA pars ex multis patet. I. Ex Scriptura sacra, quæ non semel Job citat modo tamquam virum sanctum, qui Deum contra peccatores exacerbatum flectere potest, ut Ezech. 14. vers. 14. modo ut patientiæ exemplum omnibus ad imitationem in adversis æquo animo sufferendis propositum, ut Tobiæ 2. vers. 12. II. Ex Patribus : Origenes homil. 4. in Evangel. Melito Sardensis epist. ad Onesium. Chrysost. homil. 4. ad Populum Antioch. Augustinus lib. 18. de civ. cap. 47. & alii Job ut verum hominem agnoscunt. Sic censet Ecclesia quæ in officio Breviarii illum in lectionibus ut hominem sanctum mira de Deo perorantem inducit.

*Secunda* pars non minus claret; si quidem liber Job in Canone divinarum Scripturarum tum Synagogæ, tum Ecclesiæ reponitur. Suffragantur Patres, maxime Tertullianus, lib. de patientia cap. 14. bene multi Hagiographi tam veteris, quam novi Testamenti, qui plurimas sententias ex libro Job excerpserunt. Inter omnes eminet Gregorius Magnus qui præf. in Job cap. 1. verbis disertis asserit librum fuisse a sancto Spiritu dictatum.

*Synopsis argumentorum quæ in contrarium proponuntur, & solvuntur.*

PRIMO: Tametsi quædam nonnihil scenica appareant, quia tamen sensum moralem, tum & mysticum in veritate fundatum subeat Scriptura, nihil a realitate Job detrahitur.

*Secundo*: Antylogiæ absque negotio utique explicantur; hinc quando Santan cum Deo commiscere colloquia inducitur, hoc solum fit, ut ad captum humanum explicetur qua ratione, Deo permittente, & quo gradu sanctum Job exagitare potuerit.

*Tertio*: Neque vero expressiones Job paululum duriores intelligendæ sunt aut de æstu impatientiæ, aut de desperationis excessu; sic enim vir dolorum nimis afflictionum undequaque irruentium pondere oppressus se expressit, ut amici ejus suæ pœnæ ultimum usque & extremum caperent gradum; tum quia etiam personam Christi quondam passuri & morituri gerebit; hinc in ipso ut in figura, qualis futurus erat Christi calix, demonstratum est.

AR.

## ARTICULUS DUODECIMUS.

*Utrum libri Sapientiales sint Canonici & sacri?*

QUINQUE numerantur libri Sapientiales, videlicet, liber Psalmorum, liber Proverbiorum, liber Ecclesiastis, Cantica Canticorum, liber Sapientiæ, quibus additur liber Ecclesiastici.

*Liber* Psalmorum est totius Scripturæ compendium. Continet CL. Psalmos, quorum auctor, si paucos excipias, est David: de hoc momento ipse Christus reddit testimonium: cum enim Scribæ & Pharisæi Matth. 22. 43. illum dicerent filium David, & purum hominem, dixit eis: *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis*. Ad ista verba Psalmi 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*, attendens Chrysostomus, Theodoretus, Philastrius, asserunt Psalmos a Rege David fuisse compositos. Succinunt Hieronymus præf. ad Sophronium, Hilarius prolog. in Psal. Auctor synopsis & alii non pauci; omnium tamen Psalmorum non est auctor Propheta Regius, videlicet istius: *Super flumina Babylonis &c.* quippequi multis, post obitum David, seculis perseverante scilicet captivitate Babylonica, scriptus fit: Sed nec illorum David est auctor Psalmorum, qui in capite aliarum personarum præ se ferunt nomina: sicut nec & Canticorum ut istius, *Exultavit cor meum;* quod tribuitur Annæ: *Ego dixi in dimidio dierum meorum*, quod ab Ezechia Rege compositum & decantatum est: hinc cum Tridentinum ait, David esse Psalterii auctorem, majorem partem pro toto sumit. Sic ordinari possunt Psalmi; LXV. absque dubio a Davide compositi sunt, quibus adde XV. qui David victorias referunt: LI. absque nomine apparent. Undecim tribuuntur filiis Chore, XII. Asaphaf. Cæteri tribuuntur etiam Ephraitæ: Multi existimant illos fuisse David cantores.

*Liber* Proverbiorum continet bene vivendi regulas pro cujuscumque status hominibus. Hujus auctor est Salomon; namque 3. Reg. 32. habetur, Salomon 3000. *parabolas*, carmina vero 1005. locutum fuisse, & est apud Patres communis sententia: liber triginta capita præ se fert.

*Ecclesiastes*: Idem est ac prædicator; discurrit de rerum omnium vanitate. Auctor est ipse Salomon, qui se ipsum prodit in primo capite, ubi se dicit Regem Jerusalem, tum omnium rerum atque mundanarum delectationum habuisse experientiam: quocirca absque fundamento hunc librum nonnulli tribuunt Zorobabel: quidam alii Ezechiæ, quibus quidem, auctoris in primo capite delineati characteres non conveniunt: Volumen XII. capitibus clauditur.

*Canticum Canticorum*, idem sonat ac canticum excellentissimum, in quo mira Dei colloquia cum anima ejus sponsa suo calamo referuntur; hujus etiam libri auctor est Salomon. Sic communiter propugnant sancti Doctores: Volumen octo præcontinet capita.

*Liber* Sapientiæ hoc inscribitur titulo, eo quod veram complectatur sapientiam; ubi enim divina Sapientia delineatur, & participata cum suis miris effectibus describitur. Salomon istius libri etiam creditur auctor: hoc ipsum indigitat liber tertius Regum, in quo Salomonem sapientia supra omnes homines donatum fuisse asserit auctor Canonicus. Revera quidem nemo præter Salomonem, qui tantæ Sapientiæ habebat experimentum, ejus & originem, & fortitudinem, & efficaciam atque superfluentem sanctis communicationem describere poterat. Opus XIX. capita habet.

*Liber* Ecclesiastici sic dictus, eo quod in conventu Ecclesiæ quondam in primis legeretur sæculis, multa etiam de divina refert sapientia: Heroum quoque veteris Testamenti ut Moysis &c. celebrat encomia, lingua hebraica seu Jerosolymitana tunc vulgari scriptum est. Sic censet Epiphanius lib. de mensuris num. 4. Hieronymus epist. 115. Jesus filius Sirach Ptolemei Philadelphi tempore illum conscripsit. Hoc ipsum indicat auctor cap. 50. vers. 29. his verbis: *Doctrinam sapientiæ, & disciplinæ scripsit in codico isto Jesus filius Sirach Jerosolymita*. Idem

ex Prologo colligitur. LI. capita complectitur. Quibus præmissis sit

## CONCLUSIO.

Libri mox laudati sunt canonici & sacri.

*Probatur ratione generali.*

Quod de fide definitum est, omnis fidelis sic habere debet: Atqui sacra Synodus Trid. sess. 4. de fide definivit libros istos esse canonicos: Igitur ita tenendum est, maxime vero cum quatuor primi in veteri Judæorum Proto-canone reperiantur; duo vero posteriores in Deutero-canone, cum Judith & Tobiæ libris commemorentur: Ergo &c.

*Melito* Sardensis Episcopus epist. ad Onesium apud Eusebium Lib. 4. hist. Eccl. cap. 26. inter Libros sacros veteris Testamenti annumerat Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum canticorum, quorum auctorem dicit Salomonem: Similia scribit Origenes in expositione primi Psalmi, cujus locum refert Eusebius lib. 4. hist. Eccl. cap. 25. Idem docet sanctus Basilius homil. 12. in principium Proverbiorum. Idem sanctus Gregorius Nyssenus homil. 1. in Canticum cant. idem sanctus Gregorius Nazianzenus in carmine ad Seleucum. Idem sanctus Hieronymus in prologo Galeato: Idem sanctus Hilarius præf. in Psalmos. Idem Theodoretus præf. in Cantica cant. Idem sanctus Joannes Damascenus lib. 4. de fide Ortodoxa cap. 18. concinit Concilium Laodicenum canone ultimo. Ergo &c.

Probatur specialiter de singulis.

*Primo quidem de Psalterio.*

Illud volumen uti sacrum habendum est, cujus sententiæ non semel laudantur & afferuntur in veritatis testimonium in aliis, tum veteris, tum novi Testamenti libris: Atqui res sic se habet: Igitur liber Psalterii est canonicus. Probatur minor quoad utrumque momentum.

*Sententiæ veteris Testamenti.*

Primo: Psalmus 17. refertur lib. 2. Reg. 22. hic est Psalmus: *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus &c.* Sic autem loquitur David lib. 2. Reg. *Dominus petra mea, & robur meum, & Salvator meus, Deus Dominus fortis meus, & sperabo in eum.*

*Secundo*, Psalmo 18. legitur: *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis, sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Proverbiorum vero 16. 5. *Initium viæ bonæ facere justitiam, accepta est autem apud Deum magis quam immolare hostias.*

*Tertio*: Threnorum 5. 19. scriptum est: *Tu autem Domine in æternum permanebis, solium tuum in generationem & generationem*; sed & hoc excerptum assulget ex Psal. 101. 13. ubi ait Propheta Regius: *Tu autem Domine, in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem.*

*Quarto*: Insignis est sententia quæ lib. 2. Paral. 7. habetur, his verbis: *Sacerdotes autem stabant in officiis suis & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David Rex ad laudandum Dominum.* Mitto innumera alia Psalmorum loca quæ passim in libris veteris Testamenti celebrantur.

*Sententiæ novi Testamenti.*

Primo: Luc. 24. v. 44. Christus Psalmos inter Scripturas sacras recenset; ibi enim multa de se ipso contineri asserit.

*Secundo*: Matth. 22. v. 43. idem Dominus hac Psalmi 109. sententia: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*; ad probandam Judæis suam divinitatem, utitur: *Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei, David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis.*

*Tertio*: Actuum 1. 20. eadem Psalmorum auctoritate utitur beatus Petrus pro electione S. Mathiæ qui in locum

Judæ

Judæ proditoris suffectus est, facienda, dicens: *Scriptum est in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea: & Episcopatum ejus accipiat alter*.

*Quarto*: Joan. 10. v. 35. alternata vice Christus Dominus Psalmorum assumit auctoritatem, ut Judæis illum calumniantibus & improperantibus quod se dixisset Deum, suam illis probet divinitatem, nec quidquam adversus Deum se locutum fuisse, quum se fecit Deum: *Scriptum est in lege vestra* (Psal. 81.) *quia ego dixi, dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum ... si mihi non vultis credere, operibus credite*.

*Idem* confirmatur ex sanctis Patribus, qui nedum Psalmos, sed & Psalmorum titulos uti sacram agnoscunt & prædicant Scripturam. In primis S. Augustinus in titulum Psalm. 50. Theodoretus præf. in Psalmos & alii permulti. His adde titulos in omnibus Versionibus fuisse asservatos, maxime vero in textu LXX. Seniorum. Ergo &c.

*Suffragatur* ratio. Illi Psalmi sunt sacri, & uti tales habendi sunt, in quibus multa de Christo prænuntiantur, quæ multis postea absolutis sæculis in eo adimpleta sunt, solus quippe Spiritus sanctus mysteria futura pandit & revelat: Atqui egregia multa in Psalmis de Christo continentur: Ergo &c. Probatur minor. Psal. 144. Regni Christi duratio & splendor annuntiatur, his verbis v. 13. *Regnum tuum regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem*. Et supra v. 11. *Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur*. Tum Psal. 109. generatio ejus æterna, Sacerdotium, auctoritas judicis qui venturus est judicare vivos & mortuos, sessio ad dexteram Patris sic exhibentur: *In splendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum genui te ... Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech .... Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges. Judicabit in nationibus*. Ibidem ejus passio, tum postea exaltatio commemorantur. *De torrente in via bibet*, ait David de Christo, *propterea exaltabit caput*. Expressius describitur Domini passio toto Psalmo 21. *Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? ... Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adjuvet ... factum est cor meum tamquam cera liquescens ... foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt & inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*. Ejus vero resurrectio Psal. 3. clare habetur: *Ego dormivi, & soporatus sum: et exurrexi, quia Dominus suscepit me*. Quæ quidem verba non nisi de Christo intelligenda sunt. Non minus expresse ascensionis triumphus Psal. 46. delineatur, his vocibus: *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ*. Ergo &c.

*In* Proverbiis nulla est difficultas, in omni quippe & Hebræorum & Christianorum canone laudantur: quinimmo Concilium quintum generale col. 5. num. 63. inter damnatas Theodori Mopuesteni propositiones suo perstrinxit stilo censorio istam, in qua ait: *Salomonem Proverbia et Ecclesiasten ex sua persona ad aliorum utilitatem composuisse, cum Prophetiæ quidem gratiam non accepisset, prudentiæ vero gratiam quæ evidenter altera est præter illam secundum beati Pauli vocem*. Quibus verbis insurgunt Patres adversus Theodorum, eo quod libros, tum Proverbiorum, tum Ecclesiasten ut prudentiæ humanæ fœtum haberet, cum e contra veluti sacros & inspiratos habendos esse contendant. S. Augustinus lib. 17. de civ. cap. 20. multa, tum de Christo, tum de Ecclesia in libro Proverbiorum prophetice scripta esse docet: „ Quod in Proverbiis, *inquit*, legitur, viros impios dicere: *Abscondamus in terra virum justum injuste, absorbeamus vero eum tamquam infernus viventem, & auferamus ejus memoriam de terra, possessionem ejus pretiosam apprehendamus*, non ita obscurum est, ut de Christo & possessione ejus Ecclesia sine laboriosa expositione non possit intelligi. Tale quippe aliquid etiam Dominus ipse Jesus per Evangelicam parabolam ostendit dixisse malos colonos: *Hic est heres, venite, occidamus eum, & nostra erit hereditas*. „ Ergo &c.

*Non* omittendum testimonium illud 3.

Reg. cap. 4. 29. ubi Salomon ut scriptor inspiratus a Deo celebratur his verbis. *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni & prudentiam multam nimis ... locutus est quoque Salomon tria millia parabolas; & fuerunt carmina ejus quinque millia*. Ergo &c.

*De* libro Ecclesiastis jam probatio patet, cum ipsi suum addant calculum Innocentius I. Concilium quintum generale, Carthaginense tertium, Gelasius I. in Synodo Romana, Eugenius IV. & alii, quibus omnibus accedit definitio Concilii Tridentini sess. 4.

*Librum* Canticorum etiam & a Judæis & a Christianis recipi constat. Patres quinti Concilii col. 4. num. 68. illum adversus Theodorum Mopuestenum defendunt.

*Non* abs re erit aliqua Patrum loca texere ad occludendum os hæreticorum loquentium de hoc libro iniqua.

*Origenes*: Homil. 1. in cant. ait: „ Epitalamium libellus, id est nuptiale „ carmen, in modum mihi videtur dram„ matis a Salomone conscriptus, quem „ cecinit instar nubentis sponsæ, & er„ ga sponsum suum qui est sermo Dei ca„ lesti amore flagrantis. „

*S. Gregorius* Nyssenus Homil. 1. in cant. per canticum: „ Canticorum, *ait*, mysti„ ce introduxit cogitationem ad divina „ abdita: In quibus id quidem quod in„ scribitur est apparatus nuptialis: id au„ tem quod intelligitur, est humanæ ani„ mæ cum Deo contemperatio. „

*S. Hieronymus* non absimilia dicit epist. ad Paulinum his verbis: „ Salomon paci„ ficus, & amabilis Domini, mores cor„ rigit, naturam docet, Ecclesiam jungit „ & Christum, sanctorumque nuptiarum „ dulce canit Epitalamium. „

*S. Augustinus* in eodem prorsus sensu interpretatur illum librum; lib. 17. de civ. cap. 20. ubi sic loquitur: „ Jam „ vero Canticum canticorum spiritalis „ quædam sanctarum est voluptas men„ tium, in conjugio illius Regis & Re„ ginæ civitatis, quod est Christus & Ec„ clesia. „

*Mira* de eodem libro prædicant Theodoretus præf. commentarii in Cant. 2. Beda lib. 1. in Cant. cantic. sanctus Bernardus, & sanctus Thomas Doctor Angelicus in expositione ejusdem libri. Ergo &c.

*Pro* libro Sapientiæ non unum est testimonium sed multiplex, & quidem omni exceptione dignum.

*Primo* quidem, multa sunt ex eo excerpta, in Epistolis beati Pauli.

*Secundo*: Synodus Sardicensis adversus Arianos probat Verbi divinitatem ex cap. 9. lib. Sapientiæ, ubi dicitur Deum cuncta creasse per verbum. Synodus Alexandrina apud S. Athanasium librum Sapientiæ, ut sacram habet Scripturam; similiter & Concilium Toletanum secundum in sua canonum præfatione.

*Tertio*: Clemens Romanus sententiam ex cap. 4. v. 22. primæ ad Corinthios transtulit, & ut libri Sapientiæ oraculum agnoscit. Citatur a Tertulliano lib. 3. contra Marcionem cap. 22. sub nomine Salomonis. Clemens Alex. lib. 1. Pedagogi, Cap. 3. & Strom. 4. sapientiam divinam illum vocat librum. Subscribit Eusebius Lib. 6. cap. 6. Irenæus lib. 5. cap. 26. Cyprianus lib. de disciplina & habitu Virginis, Ambrosius lib. de Paradiso cap. 1. sub nomine Salomonis laudat illud Sapientiæ 7. 25. *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera*.

*Percelebre* est pro hoc momento testimonium S. August. qui lib. de præd. SS. cap. 14. num. 27. librum Sapientiæ veluti sacrum adversus Massilienses defendit, & sic loquitur: „ Quæ cum ita sint, non „ debuit repudiari sententia libri Sapien„ tiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de „ gradu lectorum Ecclesiæ Christi, tam „ longa annositate recitari, & ab omni„ bus Christianis ab Episcopis usque ad „ extremos laicos fideles, pœnitentes Ca„ techumenos, cum veneratione divinæ „ auctoritatis audiri. „ Consentiunt alii Patres, ut Epiphanius lib. de Pond. & Mens. pag. 162. Hieronymus præf. in libros Salomonis, Isidorus Hispalensis lib. 6. Orig. cap. 11. &c.

*De* libro denique Ecclesiastici non relinquitur de ejus genuinitate ambigendi locus; traditio enim eum esse Canonicum & sacrum indigitat, cum in eodem reperiatur canone ubi libri & Judith, & Tobiæ continentur. S. Barnabas in Epistola sua

illum

illum in veritatis testimonium adducit; eumdem ut sacrum agnoscunt Clemens Alex. lib. 1. Pedagogi cap. 5. & sequentibus. S. Cyprianus lib. de immortalitate & epist. 65. Subscribit Athanasius orat. 1. contra Arianos quippequi sententiam ex hoc libro excerptam commemoret. Ergo &c.

*Confirmatur*: Idem liber in canone Concilii III. Carthaginensis suum obtinet locum, eumdem recipit Innocentius I. maxime vero Synodus Ephesina in sua ad Episcopum Pamphiliæ epistola, his verbis: „ Cum divinitus inspirata Scriptura „ dicat, *sine consilio nihil facias*. „ Quæ quidem verba ex cap. 39. libri Ecclesiastici deprompsit, pergit: „ Eos inprimis, „ qui sacro aliquo in munere versari vo„ lunt, magna diligentia, omnique studio „ in id incumbere oportet, ut in omni„ bus rebus administrandis, agendisque „ summa adhibeatur consideratio. „

*Rursus*: Illud volumen est sacrum, ex quo & Christus in Evangelio, & Patres in suis vicissim operibus sententias ad veritatem astruendam sumpserunt: atqui ita est. Et probatur quoad utramque partem.

### CHRISTUS.

*Primo*: Dominus Jesus Joan. 14. 23. ait: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. Ecclesiastici vero cap. 11. *Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius*.

*Secundo*: Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Ecclesiastici 15. 16. *Si volueris mandata servare, conservabunt te*.

*Tertio*: Luc. 12. 19. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te, quæ autem parasti, cujus erunt?* Eccl. vero 11. *Nescit quod tempus præteriet & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & morietur*.

### PATRES.

PRIMO: Clemens Alexand. lib. 1. Pedag. cap. 8. sic loquitur: „ Hic exoriun„ tur aliqui, qui dicunt, non esse bo„ num Dominum propter virgam, & „ minas & timorem, neque Scripturam „ audientes, quæ sic dicit, *& qui timet* „ *Dominum convertetur ad cor suum*: quæ „ ultima verba deprompta sunt ex capite „ 21. lib. Eccl. „

*Secundo*: Origenes homil. 9. in Ezech. „ ait: Quid enim, ait Scriptura? Quid „ superbit terra & cinis? Et in vita ejus „ projecit interanea ejus. „ Eadem leguntur cap. 10. lib. Eccli.

*Tertio*: S. Athanasius lib. de virginitate, sic loquitur: „ Non cœnabis cum feminis „ superbis, neque habebis mulierem arro„ gantem tibi familiarem: Ait enim sa„ cra Scriptura: Qui attingit picem, „ inquinabitur, & qui communicat su„ perbo, similis illi efficietur. „ Quod quidem scriptum est cap. 13. 1. lib. Eccli.

*Quarto*: Ejusdem libri utuntur sententiis ad ciendos pietatis affectus cæteri Patres: in primis Cyrillus Alexandrinus homilia Ephesi habita, quæ refertur Act. 6. Concilii Ephesini: Isidorus Pelusiota epist. 106. Basilius in caput 8. Isaiæ. Gregorius Nyssenus homil. 3. in Ecclesiasten. Optatus Milevitanus lib. 3. contra Parmenianum. S. Ambrosius lib. de bono mortis cap. 8. & alii prope innumeri.

### *Fit satis objectionibus contra librum Psalterii.*

OBJICIES: Psalmorum imprecationes non redolent pietatem & sanctitatem, quæ sunt magnifica Dei attributa: Sed in libro Psalmorum plurimæ leguntur imprecationes: Igitur liber ille non habet Deum auctorem, adeoque e numero Librorum sacrorum expungendus est. Probatur minor multis momentis: Psalmo 9. legitur: *Convertantur peccatores in infernum*. Psal. 34. *Confundantur & revereantur quærentes animam meam .... veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, quam abscondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipsum*. Psal. 58. *Convertentur ad Vesperam, & famem patientur*. Psal. 82. *Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti*. Ergo &c.

*Resp.* distinguendo minorem: Multæ sunt imprecationes in Psalmis per modum pronuntiationis; hoc est, peccator maledicitur, nisi

nisi convertatur, concedo: per modum optationis, subdistinguo; ut affulgeat justitia divina, vel etiam ut homines a peccatis committendis deterreantur, & flagellati pœnitentiam agant ac resipiscant, concedo: ita ut desiderium ad solam pœnam hominis referatur, quasi Deus in perditione hominum complaceret, nego. Illę & similes sententiæ sunt mere comminatoriæ, & referuntur, vel ad emendationem peccatoris, qui pœnis perterritus ad meliorem frugem sæpius redit, nusquam vero ad perditionem hominum, quam Deus ita abhorret, ut proprio filio non pepercerit, sed pro nobis omnibus illum morti tradiderit.

*Solutio* est D. Thomæ 2. 2. q. 25. art. 6. ad 3. ubi sic loquitur: "Dicendum, quod „ hujusmodi increpationes, quæ in sacra „ Scriptura inveniuntur, tripliciter pos„ sunt intelligi. Uno modo, per modum „ pronuntiationis, non per modum o„ ptationis, ut sit sensus Psal. 9.Conver„ tantur peccatores in infernum, id est „ convertentur. Alio modo, per modum „ optationis, ut tamen desiderium optan„ tis non referatur ad pœnam hominum, „ sed ad justitiam punientis, secundum „ illud Psal. 57. Lætabitur justus, cum „ viderit vindictam: quia nec ipse Deus „ puniens lætatur in perditione impio„ rum, ut dicitur Sap. 1. sed in sua ju„ stitia: quia justus Dominus & justitias „ dilexit. Tertio, ut desiderium refera„ tur ad remotionem culpæ, non ad i„ psam pœnam, ut scilicet peccata destru„ antur, & homines remaneant. „

*Instabis*: Non est certum Psalmos a Rege David promanasse: Igitur nec certum est librum Psalmorum Deum habere auctorem.

*Respondeo* distinguendo Ant. Non est certum omnes Psalmos a Davide conscriptos fuisse, concedo; plurimos, nego. Duę circumferuntur de hoc momento sententiæ, una eorum qui propugnant Davidem non esse omnium Psalmorum auctorem, & est B. Hieronymi, qui epist. ad Cyprianum ita loquitur: „ Scimus, er„ rare eos, qui Psalmos omnes David es„ se arbitrantur, & non eorum quorum „ nominibus inscripti sunt. „ Rursus epist. ad Sophronium: „ Psalmos eorum te„ stamur auctorum qui ponuntur in titu„ lis, David scilicet, Asaph, Idithum, „ filiorum Core, Eman, Ezraitæ, Moysi, „ Salomonis, & reliquorum quos Esdras „ uno volumine comprehendit. „ Hæc opinio probabilitate non caret. Citra dubium est enim v. g. Psalmum 136. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, cum recordaremur Sion*; tempore captivitatis Babylonicæ compositum fuisse, adeoque longe post Davidis obitum. Idem prorsus ultro confitendum est de Psalmo 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion*. In isto quippe Israelitæ lætantur, quod a captivitate soluti sint. Altera opinio est S. Joannis Chrysostomi, Theodoreti, Euthymii, & Cassiodori, qui omnes Psalmos, ne uno quidem excepto, Davidi adjudicant. Philastrius hær. 126. non solum suffragatur, verum etiam inter Hæreticos annumerat contrarium sentientes.

*Quidquid* sit, graviter allucinantur Anabaptistæ Psalmum tantummodo decimum septimum Davidis esse contendentes, quia ei tribuitur lib. 2. Reg. cap. 22. Et vero præter Psalmum 109. quem a David factum habetur Matth. 22. & Lucæ 10. preter Psalmos 104. & 95. qui tamquam ab eodem vate conscripti, in unum conjuncti referuntur lib. 1. Paral. cap. 16. sunt & alii plurimi Psalmi, quorum tituli, qui extant in codicibus Hebraicis, Græcis & Latinis, Davidem indicant auctorem.

*Insistes*: Plures Psalmi absque titulis reperiuntur, adeoque incertos habent auctores: Sed ut liber tamquam sacer habeatur, debet constare de auctore, qui a Deo inspiratus scripserit: Igitur liber Psalmorum, saltem quoad omnes partes, non est canonicus.

*Respondeo* distinguendo majorem: Sunt alii Psalmi in quibus desiderantur tituli, sed vel ex negligentia Amanuensium, vel etiam acerbitate temporum omissi & deperditi sunt, concedo: & non sunt genuini, nego. Namque ex ipso contextu, aut ex rerum actarum historia, a David conscriptos esse affulget. Cæterum Concilium Tridentinum sess. 4. declaravit omnes canonicos.

*Replicabis*: In Libro sacro nulla contradictio admittenda est: Sed in libro Psalmorum manifesta occurrit: Et probatur,

Liber

Liber ille nomine David celebratur; & tamen claret eum non esse omnium Psalmorum auctorem: Ergo &c.

*Respondeo* negaudo minorem: Ad probationem distinguo: Et denominatio fit a maiori parte, concedo; & non potest fieri, nego. Non insolens est librum insigniri nomine illius qui illum quoad omnes ferme partes composuit: cum igitur David præcipuam libri Psalmorum partem concinnaverit, non mirum si ejus inscribatur nomine, non secus ac Ciceronis epistolarum volumen, etsi ex aliorum epistolis conflatum sit, uni tamen Ciceroni, cujus major est epistolarum pars, adjudicatur. His addere juvat, quod in delectu hymnorum, in novorum adjectione, in musico instrumento, & in cantorum dispositione primæ David partes fuerunt, & insignis illius cura enituit. Igitur ejus nomine tota Psalmorum congeries nomenclaturam jure ac marito accepit.

*Persistes*: Nullus est ordo in libro Psalmorum: Sed & hoc contradictionem spirat, nec quid divinum sonat: Ergo &c. Probatur Antecedens ab enumeratione partium. Psalmus qui nunc ordine tertius est, scriptus fuit cum David a facie Absalom fugiebat; Psalmus vero quinquagesimus multo ante fuerat factus, nimirum quando David a Nathan reprehensus pœnitens exclamavit: *Miserere mei Deus*. Item Psalmus 141. præcessit utrumque laudatem Psalmum, quippequi fuerit concinnatus a David quando terrente Saul, in spelunca delituit; Rursus Psalmus 143. præcessit vel illos tres Psalmos, quandoquidem devicto Goliath, decantatus est a David. Demum Psalmus 71. ordine temporis omnium ultimus est, quippequi in gratiam Salomonis jam regnare incipientis factus sit, hinc ad calcem illius Psalmi hæc adjiciuntur verba: *Defecerunt laudes David filii Jesse*.

*Respondeo* distinguendo majorem: Nullus est ordo temporis ratione compositionis, concedo: ratione solemnitatum, nego. Psalmi concinnati sunt a David ad laudandum Deum juxta lib. 2. Paral. 7. *Sacerdotes autem stabant in officiis suis: & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David Rex ad laudandum Dominum, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Igitur apprime ab Esdra in ordine digesti sunt, quo in Templo canebantur; prout scilicet, vel anniversariæ solemnitates, vel sacrorum ratio postulabat. Sic censet celeberrimus Huetius Episcopus Abricensis.

*Repones*: Liber in omnibus sacer inspiratos debet habere pro singulis partibus auctores: Sed constat ex Hieronymo omnes Psalmos non esse David fœtum; neque vero claret cæteros a David Psalmorum quorumdam auctores fuisse Spiritu sancto in scribendo actos: Igitur non certum est quoque totum Psalterium esse divinum.

*Respondeo* negando minorem: Ad probationem nego quoque non constare omnes Psalmorum auctores fuisse a Deo in componendis illis canticis inspiratos. De David non est dubium; de aliis habetur lib. 1. Paral. cap. 25. quod fuerint Prophetæ, his verbis: *Igitur David & Magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithum, qui prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis*. Quid plura? in novo Testamento indiscriminatim omnes Psalmi, veluti Spiritus sancti oracula citantur, quod probat librum Psalmorum secundum omnes suas partes esse divinum.

*Diluuntur objecta contra librum Ecclesiastis.*

OPPONES: Contra librum Ecclesiastis. Ille liber non est canonicus, qui ad virtutem inducere non videtur: Atqui ille liber cujusdam mali præ se speciem fert; & probatur: Cap. 3. v. 19. immortalitas animæ impugnatur, his verbis: *Unus est interitus hominis & jumentorum*. Rursus ibidem: *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum*. Denique cap. 9. v. 5. habetur: *Mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*: Ergo &c.

*Respondeo* I. Rabbinos hæsisse quidem, ut istum, propter sententias in objectione laudatas, librum in Canone reponerent; quia vero initium fini consociatur, illum & receperunt, & interpretati sunt. Si quid enim obscuri in aliquod caput irrepserit; ex antecedentibus & consequentibus genuinus immo & ortodoxus aperitur sensus.

*Reſpondeo* II. diſtinguendo : Et Salomon in illis locis diſputative & quaſi inquirendo, ſeu etiam in aliorum ſententia loquitur, concedo : Aſſertive , nego . Sapiens veluti Philoſophus primum diſputat; & de facto ſi ſoli humanæ attendamus rationi, animæ immortalitas non facile deprehenditur; poſtea vero ut Theologus & inſpiratus concludit pro animæ hominis immortalitate, dum aſſerit unumquemque , prout geſſit ſive in corpore , ſive in anima , aut bonum , aut malum, ſe in judicio Dei rationem eſſe redditurum: hinc poſtquam dixit cap. 3. 12. *Cognovi quod non eſſet melius niſi lætari* , ſubdit, *& facere bene in vita ſua* ; oſtendens iſtis verbis cuncta quæ fiunt ſub ſole eſſe vana . Tum cap. 12. 14. librum concludit his verbis : *Finem loquendi pariter omnes audiamus . Deum time , & mandata ejus obſerva ; hoc eſt enim omnis homo : & cuncta , quæ fiunt , adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum , ſive malum illud ſit* . Cæterum in libro Sapientiæ cap. 3. ſuam Salomon paſſim, & ubique circa immortalitatem animæ aperit mentem, maxime vero iſta aurea ſententia v. 1. 2. & 3. *Juſtorum autem animæ in manu Dei ſunt , & non tanget illos tormentum mortis . Viſi ſunt oculis inſipientum mori: & æſtimata eſt afflictio exitus illorum; & quod a nobis eſt iter , exterminium: illi autem ſunt in pace* .

*Solutio* eſt D. Gregorii Magni, qui lib. 4. Dialog. cap. 4. ait : " Hic igitur liber „ idcirco concionator dicitur , quia Sa„ lomon in eo quaſi tumultuantis turbæ „ ſuſcepit ſenſum , ut eo per inquiſitio„ nem dicat , quæ fortaſſe per tentatio„ nem imperita mens ſentiat . Nam quot „ ſententias quaſi per inquiſitionem mo„ vet , quaſi tot in ſe perſonas diverſo„ rum ſuſcipit : Sed concionator verax „ velut extenſa manu omnium tumultus „ ſedat, eoſque ad unam ſententiam re„ vocat , cum in ejuſdem libri termino „ ait, finem loquendi omnes pariter au„ diamus. „ &c.

*Reſpondeo* jam ad ſingula . Ad primum diſtinguendo : Unus eſt interitus materialis hominis & jumenti ; concedo : unus eſt formalis & adæquatus , nego . Si compoſitum hominis in concreto conſideretur, & ſecundum partem materialem, profecto ejus interitus belluæ aſſimilatur morti; ſicut enim per interitum ſolvitur animalis compoſitum, ita & hominis per mortem. Sed profecto non idem eſt formaliter , quandoquidem anima ſeparata ſubſiſtit , & corpori per reſurrectionem iterum conjungenda manet.

*Ad* ſecundum diſtinguo : Nemo ſcit an ſpiritus hominis aſcendat ſurſum , ſi ſoli inhæreat rationi, concedo: ſi fidei excultus luce cuncta contempletur, nego .

*Ad* tertium diſtinguo : Mortui nihil amplius per ſcientiam naturalem & acquiſitam noverunt , concedo : nihil quippe ulteriori labore & ſcientia acquirunt; nihil per ſcientiam ſupernaturalem noverunt, nego . Cuncta enim in Verbo Beati intuentur .

*Contra* : Atqui animæ abnegat immortalitatem auctor hujuſce libri : Ergo &c. Probatur ſubſumptum . Ille videtur animæ immortalitatem abnuere , qui non ſemel ſuadet hominibus ex propria ſententia, ut vitam belluarum more tranſigant: Atqui ſic ſuadet auctor laudatus: & Probatur . Cap. 2. 24. ait : *Nonne melius eſt comedere & bibere* . Cap. 3. 12. *Cognovi quod non eſſet melius niſi lætari* . Quæ verba eſſe Eccleſiaſtis nemo non videat , ſi conſideret eum hæc ex miſeriis quæ ſunt ſub ſole concludere : ſuam ipſe prodit mentem ibidem cap. 3. verſ. 18. 19. *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis, idcirco unus interitus eſt hominum & jumentorum , &c.*

*Reſpondeo* negando ſubſumptum : Ad probationem nego minorem : ad ulteriorem probationem diſtinguo: Suadet lætari Eccleſiaſtes & bene vivere ; hoc eſt , uti bonis Dei ad menſuram, non ſiſtendo & finem in eis reponendo, ut faciunt Avari, ſed æterna inhiare , concedo : ſiſtendo in eis non ſecus ac bruta animantia , nego . Salomon eſt ſui ipſius interpres , & in hoc , teſte Hieronymo , ex propria loquitur ſententia , quod in toto libro perſtringat peccatores, qui, voluptatibus, divitiis & honoribus ſæculi irretiti , æterna bona parvi faciunt : quem quidem errorem duplici medio debellat . Primo quidem iterum atque iterum dicendo cuncta quæ ſub ſole fiunt eſſe vanitatum vanitatem , Secundo , homines ſicut bel-

luas

suas mori: quod vero in voluptatibus sæculi non sistat, ibidem cap. 3. ait: *Omnis homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est*; scilicet uti bonis, sed in his non quiescendo: quod etiam ibidem cap. 3. non abnuat animæ immortalitatem, claret ex istis verbis: *Vidi sub sole in loco judicii impietatem, & dixi in corde meo: justum & impium judicabit Dominus, & tempus omnis rei tunc erit*. Rursus c. 12. *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ antequam veniat tempus afflictionis ... & revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Sic vel in propria sententia recte locorum fuisse Salomonem defenditur. Sic explicat sanctus Hieronymus comment. in cap. 2. ista Ecclesiastis verba: *Cognovi quod non esset melius nisi lætari*: "Propterea, *ait sanctus doctor*, colonus & hospes mundi homo datus est, ut brevi vita sua fruatur tempore, & spe prolixioris ætatis abscissa, cuncta quæ possidet, quasi ad alia profecturus aspiciat; & quod potest, bene faciat in vita sua, nec frustra ob congregandas opes cogitationibus torqueatur."

*Objectiones adversus librum Canticorum.*

Dices: Amorem prophanum sapit illud volumen: Igitur inter sacros Libros non est annumerandum.

*Respondeo* I. opponendo approbationem & auctoritatem Ecclesiæ, quæ in canonem Scripturæ sacræ librum hunc adscivit.

*Respondeo* II. distinguendo: Ille liber homini animali qui non sapit ea quæ spiritus Dei sunt, prophanus apparet, concedo: homini spiritali qui judicat omnia, quæque omnia, teste Apostolo, scrutatur, etiam profunda Dei, nego. Liber Canticorum est paraboliticus; quocirca non secundum litteram quæ occidit, sed secundum spiritum qui vivificat, intelligendus venit: namque capite 7. Salomon inspiratus sub Symbolo Sunamitidis, qua significatur anima sponsa Dei, & sub symbolo sapientis, qui Deum uti sponsum animæ exhibet, mysticum animæ cum Deo conjugium explanat. Solutio est S. Augustini qui lib. 17. de civ. cap. 20. de hoc momento sic loquitur: "Jam vero Canticum Canticorum spiritalis quædam sanctarum est voluptas mentium, in conjugio illius Regis & Reginæ civitatis, quod est Christus & Ecclesia. Sed hæc voluptas allegoricis tegminibus involuta est, ut desideretur ardentius, nudeturque jocundius, & appareat sponsus, cui dicitur in eodem Cantico: *Æquitas dilexit te*, & sponsa quæ ibi audit, *Charitas in deliciis tuis*."

*Instabis*: Atqui liber Canticorum quid prophanum redolet: Ergo &c. Probatur antecedens: Primo, ex Origene, qui Præf. in Cant. dicit Juvenes apud Hebræos ab hujus libri lectione temperare, ne inter legendum hunc librum ad amorem creaturarum allicerentur. Secundo, in illo libro nulla fit mentio de Deo: Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum propter rationes allatas. His adde S. Hieronymum lib. 1. contra Jovinianum scribere librum Canticorum divinum spirare amorem, mira & Ecclesiæ & animæ cum Christo complecti colloquia: Subscribunt SS. Cyprianus, Basilius, Chrysostomus. Paraphrastes vero Chaldæus & Moses, Maimonides inter Rabbinos doctissimi propugnant Canticum Canticorum specialem Dei erga populum Israeliticum dilectionem, quem uti filium habebat Dominus, explicare. Et vero si quid obscenum præ se ferret liber ille, nec Esdras post captivitatem Babylonicam in Deutero-canone illum posuisset, nec Concilium Tridentinum eumdem in numero Librorum sacrorum adscripsisset.

*Ad* primam probationem distinguo: Origenes scribit Judæos non permittere juvenibus ad cautelam librum præfatum legere, concedo: cum enim nondum sint virtute maturi, & liber abscondita sicut & altissima contineat mysteria, satius est lectionem hujus libri non nisi sapientia & ætate provectis committere: prohibent juvenibus lectionem rejiciendo librum uti prophanum, nego. Quod autem non alia ratione quam allata veteres libri Canticorum lectionem defendant, patet ex eo quod, ut observat ibidem Origenes, prohibeant eodem motivo juvenibus etiam lectionem principii libri Geneseos, initii simul & finis Prophetiæ Ezechielis, quos tamen

Scripturas ut Canonicas celebrant.

*Ad* alteram probationem distinguo pariter: Nomen Dei non invenitur explicite & quoad litteras in libro Canticorum, concedo: implicite & æquivalenter, nego: namque pro Domino se vocat Deus amicum, fratrem & sponsum: loco omnipotentis, pacificum & Pastorem: Neque vero pariter nomen Dei invenitur in libro Esther, eum tamen in Deuterocanone adsciverunt Hebræi.

*Objecta contra librum Sapientiæ & Ecclesiastici.*

OPPONES: Cap. 14. vers. 12. & 13. auctor exordium idololatriæ ducit a statua quam Belus in honorem Nini filii sibi morte erepti, erigi curaverat, cum tamen jamjam ante Nini exitum Belus Assyriorum Rex haberet sui ipsius statuam, quam veluti idolum, ejus subditi venerabantur; hinc contradictio in libro Sapientiæ apparet, maxime vero cum nonnisi multis postea elapsis sæculis mos imagines in Heroum memoriam & venerationem consecrandi inoleverat.

*Respondeo*, Auctorem sacrum idololatriæ exordium in facto statuæ in honorem Nini erectæ, & annotare & figere; nec quidquam prohibet imagines non nisi multis postea elapsis annis in mundo institutas fuisse, namque primum homines, idola ex ligno, deinde ex lapide & metallo erexere; postea vero pictura etiam sculpturæ adjuncta est, ut in prima parte ostendimus: idcirco & imagines filii in honorem parentum; subditi & gentes in gratiam Regum & Heroum dedicare fategerunt.

*Respondeo* II. distinguendo: Statua Beli præcessit Nini statuam in fabrica, concedo: in cultu nego. Beli quidem jamjam extabat statua, sed cultus publicus juxta auctorum etiam prophanorum opinionem percelebrem, esse solum cœpit pro statua Nini: hanc quippe primum privatim venerabatur Belus, ut de morte filii amantissimi, quem veluti præsentem illi exhibebat, consolaretur: tum factum est, ut qui in hoc ejus insisterent vestigiis, quacumque expostulata donarentur gratia, mortuum, quem solummodo in statua venerabantur subditi, ipsum in statua veluti idolum & numen habuerint.

*Dices*: Liber tum Sapientiæ, tum Ecclesiastici in Judæorum canone non invenitur; quinimmo uterque etiam a novi Testamenti Doctoribus rejicitur: neque enim Melito Sardensis, Origenes, Cyrillus Hierosol. Gregorius Naz. Hilarius utrumque inter Libros sacros annumerant. Quid plura? Expresse rejicitur ab Athanasio in synopsi, ab Epiphanio lib. de Pond. & mens. cap. 4. a Joanne Damasceno lib. 4. de fide ort. cap. 18. a Hieronymo Præf. in Salomonis libros, a Rufino in Symbolum. Demum, teste S. Athanasio in Epistola Festali non nisi Catechumenis isti libri legebantur: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: A quibusdam rejiciuntur a canone libri Sapientiæ & Ecclesiastici ad tempus, concedo; pro semper, & ab omnibus, nego. Ecclesia Christi tantam habet in determinandis Libris sacris auctoritatem, utpote infallibilis, quantam habebat Synagoga, sed sicut ista non omnes primum declaravit libros veteris Testamenti Canonicos, sed quosdam solum decursu temporum, & prævio maturo examine in Deutero-canone adscivit; eadem & consimili ratione Ecclesia quosdam non nisi aliquibus elapsis sæculis, & elucidatis hinc inde difficultatibus, alios declaravit divinos. Porro ex probationibus liquet utrumque librum de quo præsens movetur controversia esse sacrum.

*Ad* postremam probationem ex auctoritate sancti Athanasii excerptam, nego sanctum Doctorem docere libros Sapientiæ & Ecclesiastici Fidelibus fuisse interdictos, sed tantum pro Catechumenis præ cæteris familiares fuisse censuit; quippe qui ad mores instituendos sint maxime idonei, & intellectu faciles, cum e contra profundioris doctrinæ lectioni necdum pares erant Catechumeni.

*Instabis*: Ideo libri præfati tandem aliquando in pretio habiti sunt, quia tamquam genuini Salomonis fœtus ab antiquis citantur: Atqui ista ratio prorsus deficit, cum nunc constet apud omnes, istos libros non fuisse a Salomone exaratos: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo majorem: Genuini habiti sunt libri laudati, eo quod a veteribus ut Salomonis inspirati opera,

ra, insuper & quia doctrinam cœlitus emissam continent, concedo: præcise ex eo quod ut Salomonis fetus haberentur, nego. Non ea igitur præcise ratione libri Sapientiæ & Ecclesiastici Canoni Ecclesiæ adscripti sunt, eoquod juxta Antiquos Salomonem haberent auctorem, verum potius quia doctrinam prorsus divinam complecterentur. Sic respondet R. P. Graveson tract. de Script. sacra pag. 199. " Ab antiquis autem Ecclesiasticis „ Scriptoribus duo illi libri tribuebantur „ Salomoni propter affinitatem doctrinæ, „ ut observat S. Augustinus lib. 2. de „ Doct. Christ. cap. 8. non affirmarunt „ tamen illi antiqui Scriptores, hos duos „ libros fuisse editos a Salomone eo in „ sensu quod Salomon illos libros, ut „ nunc sunt, disposuerit, ordinaverit, „ digesserit, sed solum in eo sensu quod „ alii auctores post Salomonis mortem „ ex libris a Salomone exaratis, & hac „ illac dispersis, quorum etiam nonnulli „ injuria temporum perierunt, sententias „ & verba collegerunt & in præclaro „ ordine collocarunt: scripsit enim Salomon tria millia Parabolarum, & quinque millia carminum, ut habetur lib. „ 3. Reg. cap. 4. 32. ex qua copia ac „ immensa segete alii auctores Spiritu „ sancto afflati, mortuo Salomone, ipsius „ doctrinam collegerunt, eamque pene „ obliteratam litteris mandarunt, ut ipsamet testatur Scriptura sacra cap. 25. „ libri Proverbiorum: Sic, exempli gratia, Jesus filius Syrac librum Ecclesiastici hebraice ita composuit, ut sententias magna ex parte a Salomone mutuatus fuerit, suas tamen non sine Dei afflatu interseruerit. Unde in Prologo illius libri dicitur, quod Jesus filius Syrac sapientiam de suo renovavit, id „ est, pene oblivione sepultam restituit. „ In hoc sensu libri Sapientiæ & Ecclesiastici a veteribus Scriptoribus Salomoni adjudicantur, quamvis concors sit „ omnium eruditorum sententia, libros „ Sapientiæ & Ecclesiastici, quales nunc „ extant, non fuisse a Salomone exaratos. „

## SYNOPSIS POBATIONUM.

*Sex libri Sapientiales sunt sacri.*

PRIMO: Eos omnes recipit Concilium Carthaginense III. loco sæpius laudato, & Tridentinum sess. 4.

*Secundo*: Usus sic obtinuit, & possessio Ecclesiæ, quæ omnes in lectionibus Breviarii per ordinem digessit, & legit.

*Tertio*: Res aperta est de Psalterio, cum Psalmos non semel celebret vel ipse Christus; maxime centesimum nonum, tum vigesimum primum, ubi ejus Passio cum circumstantiis specialioribus describitur: Si de Proverbiis loquamur, citra dubium ea esse Scripturam constat: namque & ab Hebræis, & a Christianis recipiuntur. Carthaginense III. meminit Ecclesiastis, sic & Innocentius I. tum Gelasius I. Concinit Concilium Romanum sub ipso adunatum. Canticum Canticorum ut sacrum habent Origenes Homil. 1. in Cant. Gregorius Nyss. Homilia utique prima in Cant. D. Bernardus hunc miris modis explanavit librum; tum & alternata vice, S. Thomas Doctor Angelicus. Non silent Sapientiæ librum SS. Patres, Clemens Romanus epist. 1. ad Cor. Tertullianus lib. 3. contra Marcion. cap. 22. inprimis S. Augustinus lib. de Præd. SS. cap. 14. Neque vero omittitur liber Ecclesiastici: Eum encomiis effert S. Barnabas in sua epistola; eum Athanasius orat. 1. contra Arianos, tum lib. de Virg. eum Cyrillus Alexand. Homilia in Concilio Ephesino habita, & alii bene multi.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Quædam sunt in Psalmis, esto, imprecationes, sed comminatoriæ, quibus homines a peccatis commitendis deterreantur; desunt quidem nonnulli tituli, sed hoc factum est vel ex inadvertentia Amanuensium, vel ex acerbitate captivitatum, quibus perdurantibus, hinc inde non sine aliqua injuria dispersi sunt Libri sacri. Cæterum tametsi non satis clare constet de auctore singulorum Psalmo-

morum, extra tamen suspicionis aleam est genuinitas: omnes enim, nec uno quidem excepto, ab Ecclesia ut sacri habentur.

*Secundo:* Incassum aliquis propugnaret auctorem Ecclesiastis impugnare animæ immortalitatem, cum in iis quæ dubium aliquod circa istud momentum spirant, loquatur in aliorum sententia, ut ex istis verbis cap. 3. liquet: *Mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque in finem*; quasi diceret, vel res ipsas naturales non nisi per fidem quantum ad omnia perfecte cognosci, maxime si sermo sit de animæ immortalitate, quam quidem Spiritu sancto afflatus astruit sub finem operis, dicens: *Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium, &c.*

*Tertio:* Ne mireris, amice Lector, si Patres quandoque juvenibus prohibeant lectionem Cantici Canticorum; hoc fit non impugnando libri sanctitatem, sed ad cautelam, eo quod, teste Apostolo, 1. Cor. 2. *animalis homo non percipiat ea quæ sunt Spiritus Dei*; quia vero liber iste in sensu solum mystico a SS. Patribus explicatur, satius est doctis & piis atque ætate maturis ejus lectionem committere.

*Quarto:* Nullum facessit negotium pro genuinitate librorum Sapientiæ & Ecclesiastici, quod multi SS. Doctores eos primum ut sacros non habuerint, sed difficultatibus hinc inde discussis & explanatis, Ecclesia vel ipsius Augustini temporibus ut tales habuit.

---

## ARTICULUS DECIMUS-TERTIUS.

*De quatuor Prophetis majoribus, & duodecim minoribus.*

QUINQUE circa momentum Prophetarum discutienda simul & explicanda pro consolatione Fidelium habemus: Primum spectat vitæ institutionem, ex quo Religiosi, Eremitæ & Cœnobitæ vivendi, & Deo unice famulandi normam sumpsere: Alterum de eorum voluminibus. Tertium de eorumdem genuinitate. Quartum de 12. Prophetis minoribus. Quintum, de celebrioribus vaticiniis Christum spectantibus, quibus perstringitur & confunditur Judæorum damnabilis perfidia, tum Porphyrii impii in subvertendis sacris Scripturis audacia.

### SECTIO PRIMA.

*Ratio vivendi angelica Prophetarum, ex qua in nova lege varii & sancti Religiosorum Ordines sumpsere exordium.*

UTRIUSQUE sexus Religiosi Carmelitæ inter omnes gloriantur Prophetas, videlicet Eliam & Eliseum habere Patres. Quidam severioris critices sequaces, num zelo secundum scientiam & pietatem? eam gloriam, ne dicam scriptis impugnare, sed ab eis prorsus subripere tentarunt. Non una circa istud momentum facta est responsio, non unus liber optimis rationibus & Historicorum auctoritatibus a viginti circiter annis apprime concinnatus apparuit. Pro illo momento hæc adjicere non abs re erit; cum unus e doctissimis Sorbonæ Bachalaureis in sua thesi Juris publici facta gloriam hanc Ordini mox laudato attributam, veluti quid commentitium impugnaret, Dominus Romenil insignis Sorbonæ Doctor, sacræ Facultatis emeritus Syndicus, nepos Domini Charton ejusdem sacræ Facultatis quondam Decanus, cujus memoria pro fide & sana defendenda doctrina in benedictione est, ex innata prudentia, sagacitate & sapientia rogavit, prohibuitque ab aliquo inter disputandum debellari thesim, ne in dubium veniret Ordinis Montis Carmeli prærogativa, cui eatenus etiam cæteri Religiosi aliquo modo communicare non dubitant, quatenus Ordinum celebres Patriarchæ, ut legentibus apparebit, vitæ contemplativæ supra modum admirabilis rationem vel in ipsis Prophetarum institutis hausisse videntur.

#### §. I.

*Templus Prophetarum.*

DUPLICI regimine gubernabatur Hebræus populus, ordinario Principum & Sacerdotum; extraordinario Prophetarum,

tum, quod ministerium a soluta Ægyptiaca servitute ad reditum e captivitate Babylonica perpetuum fuit. Jam ipso Moysis tempore septuaginta viri prophetabant, non invidente Moyse, sic habetur Num. 25. *Venit igitur Moyses & narravit populo verba Domini, congregans 70. viros de senibus Israel, quos stare fecit circa Tabernaculum: descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de Spiritu qui erat in Moyse, & dans 70. viris; cumque requievisset in eis spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt.* Jesus Nave dicitur *successor Moysis in Prophetis* Ecclis. 46. 1. multa sub Judicibus per Prophetas gesta, Judic. 6. 8. Ipsique Judices genus Prophetarum fuere, spiritu & instinctu Dei plerumque acti. Sub Heli rari erant Prophetæ 1. Reg. 111. 1. Samuelis tempore pridem obtinuerat, ut Prophetæ *videntes* vocarentur. 1. Reg. 1. 9. Prophetæ plures occurrunt Sauli 1. Reg. 10. *Ecce cuneus Prophetarum obvius ei: & insiluit super eum spiritus Domini, & prophetavit Saul in medio eorum.* Ex his affulget Prophetas tunc temporis constituisse collegium, cujus caput & dux erat Samuel, ut postea Elias & Eliseus: civitates proprias, ubi in commune habitarent, habuerunt, qualis videtur fuisse Najoth. ibid. XIX. 19. *David autem fugiens, salvatus est, & venit ad Samuelem in Ramatha, & nuntiavit omnia quæ fecerat sibi Saul: & abierunt ipse & Samuel & morati sunt in Najoth.*

## §. II.

### *Vestimenta Prophetarum.*

PROPHETÆ veste singulari utebantur. Samuelis vestem notam fuisse constat ut patet 1. Reg. 28. 15. *Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio.* Dicitur quoque Pallium Eliæ nobile; quod ipse Elias imposuit Eliseo, cum eum ad vitam propheticam vocaret 3. Reg. 19. 19. *Profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum .... misit pallium suum super illum. Qui statim, relictis bobus, cucurrit post Eliam.* Memorabilis etiam Eliæ zona & pilosa vestis 4. Reg. 1. 8. hoc est cilicium, vel saccus, qualem & Isaiam tulisse legitur 20. 2. concinit Zachariæ locus 13. 4. tum in Apocalypsi Prophetæ saccis vestiti inducuntur cap. XI. vers. 3.

## §. III.

### *Opera Prophetarum & habitatio.*

AGRICULTURÆ operam dedisse Prophetas legitur: hoc ipsum innuit Zachariæ locus cap. 13. 5. *Non sum Propheta*, inquit, *homo agricola sum*. Atque ab aratro avulsum Eliseum aperte demonstrat locus mox laudatus; eos autem, qui rebus divinis animum intendebant, ab agricultura abstinuisse Rechabitarum instituta probant, Jerem. 35. 6. 7. *Non bibimus vinum: quia Jonadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri, usque in sempiternum: Et domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris.* Et hoc ad exemplum Levitarum, qui ut facilius sacris vacarent officiis, nec domos, nec bona & possessiones proprias habebant, sed ex decimis, seu eleemosynis, tum assignatis quibusdam per modum veluti mutui & commodati civitatibus ab eis incolendis, victitabant.

*Montana* præcipue loca Prophetæ incolebant, ut Elias & Eliseus in Carmelo. Porro quod vili supellectili uterentur, habetur 4. Reg. 4. 9. ubi cubiculum Eliseo a Sunamitide ædificatum & instructum describitur: tametsi illa esset mulier magna, id est, opulentissima: *Quæ dixit ad virum suum: Animadverto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus ei .. mensam, & sellam, & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi.* Identidem apparet, quam secreti a populo viverent Prophetæ, cum etiam in hospitali domo familiariter diverterent. Nec ipse Eliseus per se, sed per Giezi, Sunamitidem illam, quamvis de se bene meritam, alloquebatur; & illa, tametsi vocaret illum, stabat ad ostium, quasi ingredi non ausa: eamdem Prophetæ pedes attingere volentem Giezi prohibebat. Ibid. 2. 27. Naamani Syro viro præpotenti exhibere se Propheta dignatus non est: unde ille prophetici

moris

moris ignarus, indignabatur cap. 5. 11. *Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quod egrederetur ad me, & stans invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua &c.*

## §. IV.

*Paupertas & frugalitas Prophetarum, tum & manuum labor.*

PROPHETARUM etiam paupertatem fuisse magnam ex hoc concludas velim, quod qui eos consulebant, panes afferrent pro eorum alimento, aut quidvis aliud, exiguum sane, & quod facile paratu esset, juxta illud 1. Reg. IX. 7. 8. de Samuele, quem consulere de asinis deperditis voluit Saul. *Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, sine ambiguitate venit.... Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus, quid feremus ad virum Dei? Panis defecit in sitaciis nostris: & sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidem aliud.* Quanta fuerit illorum frugalitas conjectura est ex leviori prandio quod Habacuc ad Danielem, jacentem in lacu leonum detulit; sic enim habetur Dan. 14. 32. 33. *Erat autem Habacuc Propheta in Judæa, & ipse coxerat pulmentum, & intriverat panes in alveolo: & ibat in campum ut ferret messoribus. Dixitque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum.* Hoc ipsum astruitur 4. Reg. 4. 42. ubi Prophetarum frugalitatis argumentum eximium est, quod panibus hordeaceis pro victu pauperum elixis ut plurimum vescerentur: *Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, &c;* scilicet Eliseo. Victui parco assuetos Prophetas hinc conjicimus, quod Angelus Eliæ longum iter ingressuro panem tantum & aquam attulerit 3. Reg. 19. 6. quamquam ipsi panem & carnes mane corvi detulissent. Ibid. cap. 17. 4. item quod pulmentum coquerent ex agrestibus & obviis herbis in pallio relatis 4. Reg. 4. v. 38. & 39. Certe hic communis victus perspicue apparet; ex una enim olla sociis infundebatur.

## §. V.

*Cœtus Prophetarum, obedientia superiori, Religiosorum ordinum origo.*

APPARET & Collegium fuisse centum virorum, quorum dux & pater Eliseus esset: quem etiam adorant 4. Reg. 11. 15. hic ipsis de habitatione & cæteris necessariis providebat. Nam & ad ipsum referunt aquas amaras esse in Jericho. Ibid. 11. 19. Et angustam habitationem 6. 1. nec sine ejus venia ad Jordanem se convertunt, ut ligna cæderent. VI. 2. Patet etiam eos propriis manibus laborasse, sua domicilia construentes, adeoque fuisse inopes. Ibid. 6. 23. 4. 5. Quin & Eliseum videmus urbes, in quibus morabantur, inter visitandum eos, peragrasse: *Abiit autem inde in montem Carmeli, & inde reversus est Samariam.* Ibidem 11. 18. 25. & rursus a ripis Jordanis abiit Dothan. Ibidem 6. 13. Ex his claret antiquissimam esse in Ecclesia vitam cœnobiticam, & ab institutis propheticis promanasse; Elisei discipulos in monte Carmelo vitam angelicam degentes sæpius invisebat Sanctus Joannes Baptista, perfectionem omnibus numeris absolutam assequi ratus, si ipse cum suis vicissim discipulis, instituta Prophetarum adimpleret: multa sane occurrent legentibus antiquam Religiosorum historiam, quæ a Propheticis institutis translata videntur, quale est illud, quos instituebant Prophetæ ad vitam monasticam, *pueros* & ministros vocabant, ut Eliseus Giezi, tum Prophetæ Eliseum ipsum alloquentes, Eliam ejus *Dominum* vocant. 4. Reg. 2. 3. Theodoretus in Simeone Stylita repræsentatum Isaiam docet. *Relig Hist. cap. de Simeone.* Præcipua Monachos inter & Prophetas videtur fuisse differentia, quod conjugati Prophetæ essent, & uxores eorum prophetissæ nuncuparentur, ut illa Isai. 8. 3. *Accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium: Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus, accelera, spolia detrahere.*

Quamquam alio etiam sensu *prophetissæ* dicerentur, mulieres Spiritu sancto afflatæ, ut Debbora, Jud. 4. 4. Holda IV. Reg. XXII. 14. & Anna Luc. II. 36.

Porro

*Porro* filios suos eadem disciplina imbuebant, atque ut sanctimonia vitæ prophetico ministerio reliquis aptiores haberentur. Hinc in lib. 4. Reg. cap. 1. celebres filii Prophetarum: hinc Amos se, nec Prophetam, nec filium Prophetæ dicebat. 7. 14. Quo demonstrabat se non ex instituto prophetico, sed quasi extra ordinem ad id munus assumptum. Nec Hebræi Prophetis accensuere Danielem, ut notat Hieronymus præf. in eumdem, aut etiam Davidem & Salomonem, quod non prophetica simplicitate, sed regie & satrapice viverent.

*Legis* meditationi, rebusque divinis, si qui, maxime Prophetæ operam dabant die ac nocte. Eoque pertinere videtur candelabrum cum mensa & sella in Elisei cubiculo collocatum 4. Reg. 4. 10.

## §. VI.

*Prædicatio Vatum & modus prophetandi.*

POPULUM etiam docebant Prophetæ, mores regebant, judicia divina intentare solebant ac prædicare. Quare cum nutaret Religionis status, tum maxime vociferabantur; unde in Israel, post schisma, frequentissimum fuit Prophetarum ministerium, ac rejectis inde Sacerdotibus & Levitis, festis diebus apud Prophetas sacri conventus habebantur. 4. Reg. IV. 23. Populi delicta plangebant, ait Hieronymus, eorum habitus idem ac lugentium; pro populo orabant, unde Josaphat, ait: *Est ne hic Propheta Domini, ut deprecemur Dominum per eum.* 4. Reg. 3. 11.

*Ex* illo igitur ordine seligebat Deus, qui sua oracula pronuntiarent, & hoc insignibus argumentis, ut homines extra se rapti, divinoque acti instinctu, sic Eldad & Medad Num. 11. 26. sic grex Prophetarum obvius Sauli, 1. Reg. 10. 5. ubi musica instrumenta & saltationem indicare videntur, qualis illa Davidis ante arcam, 2. Reg. 4. 5. 14. Eliseus etiam psaltem poscit, 4. Reg. 3. 15. Cujus cantu in divinas laudes concitatus prophetat: non tamen mota mente in furorem agebantur Prophetæ, ut Ethnici tantes; sed supra humanum morem, & sentiebant, & loquebantur.

*Dei* imperio sic erant subjecti, ut ipso jubente, nudi ac discalceati urbes obirent. *Isai* 20. 2. Catenam collo imponebant. *Jerem.* 27. 2. nullo irrisionis metu fracti, ad designandam urbis obsidionem immobiles permanere, diutissime, paucis & immundis cibis uti, *Ezech.* 4. non dubitabant: sæpius vel ipsi nudi, discalceati, jejuniis aridi, cilicio induti & aspersi cinere his & similibus signis flagella Dei imminentia annuntiabant, ut in hoc statu compositi, eorum prædicatio firmius inhæreret animis populorum, & ad pœnitentiam provocati & invitati cito-citius Deum iratum placarent; sic Isa. 20. habetur: *In anno, quo ingressus est Tharthan in Azotum, cum misisset Sargon Rex Assyriorum, & pugnasset contra Azotum, & cepisset eam: in tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filii Amos, dicens: Vade & solve saccum de lumbis tuis ... Et fecit sic, vadens nudus, & discalceatus ... servus meus Isaias nudus, & discalceatus, trium annorum signum & portentum erit super Ægyptum, & super Æthiopiam: sic minabit Rex Assyriorum captivitatem Ægypti, & transmigrationem Æthiopiæ, juvenum & senum, nudam & discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti. Et timebunt, & confundentur ab Æthiopia spe sua, & ab Ægypto gloria sua.*

## §. VII.

*Veri Prophetæ a falsis secernuntur.*

UT autem agnoscerentur veri Prophetæ, non aliud signum a Deo datum erat quam si quod prædixissent, eveniret, *Deuteron.* 28. 22. Unde Jeremias Hananiam, sic alloquitur: *Cum venerit Verbum ejus, scietur Propheta, quem misit Dominus in veritate.* *Jerem.* 28. 9. rursus ibidem vers. 13. *Vade & dices Hananiæ: Hæc dicit Dominus .... Et dixit Jeremias Propheta ad Hananiam Prophetam: Audi Hanania. Non misit te Dominus, & tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam te a facie terræ: hoc anno morieris.*

*Quæ* Deo inspirante, Prophetæ acceperant, ea publice coram populo in Templo, & plateis & portis prædicabant. Jeremias de 70. captivitatis annis, ad omnem

omnem populum Juda, & ad universos habitatores Jerusalem locutus est, 25. 2. Item ad Sacerdotes & populum est locutus. XXVII. 16. Et iterum locutus est Jeremias ad omnem populum & universas mulieres in Ægypto cap. 44. v. 24. & ita passim, manifestumque est, prophetias omnes, concionis instar ad universam plebem dirigi, sæpius speciatim ad Reges, ut innumeris exemplis patet: sed imitari conabantur falsi Prophetæ, unde Hananias in domo Domini coram Sacerdotibus & omni populo Jeremiam allocutus est. *Jerem.* 28. 2.

*Quæ* publice dixerant, scriptis mandabant Prophetæ affixis temporum notis, quibus etiamnum distinctas prophetias habemus. Ad eorum commentaria, velut ad acta publica Hebræi recurrebant, ut rebus impletis, prophetiarum veritas appareret. Unde Moysi jubet Deus: *Scribe hoc ob monimentum in libro &c. Exod.* XVII. 14. & *Isai* XXX. 8. *Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die novissimo in testimonium usque in æternum* Rursus cap. 34. 16. *Requirite diligenter in libro Domini, & legite: unum ex eis non defuit*. Quibus verbis populum admonebat, ut rebus impletis Prophetarum oracula recognoscerent. Neque alia de causa videmus apud Danielem 12. 4. *Signa librum usque ad tempus statutum*. Et apud Joannem Apocalyps. 22. 10. *Ne signaveris verba prophetiæ hujus, tempus enim prope est.*

*Quæ* autem scribebant, Deo jubente, immo & interius dictante, scribebant; unde ad Jeremiam: *Scribe virum istum sterilem* XXII. 30. & cum Baruch, jubente Jeremia, verba ad Israel & Judam dirigenda conscripsisset, eodem jubente, publice recitavit in domo Domini, audiente populo, Principibus circumstantibus, XXXVI. interrogatus Baruch quomodo Jeremias ista dictasset, respondit: *Ex ore suo loquebatur, quasi legens ad me omnes sermones istos*. Ibid. 18. Quem Jeremiæ librum cum Rex Joachim combussisset, eadem iterum totidemque verbis Jeremia dictavit ad Regem referenda. 27. 28. 32.

*Hæc* scripta in manibus vulgi erant; nec quisquam ignorabat quid de 70. annis Jeremias prædixisset; immo & Daniel & Esdras hanc prophetiam & implendam, & jam impletam, teste populo, agnoscebant; cumque Jeremias accusatus esset coram Sacerdotibus, totoque populo, quod palam adversus locum sanctum prædicasset 26. 2. 11. ecce exsurgunt viri de senioribus terræ, & allegant publice vaticinium Michææ, tamquam rem omnibus notum, *ibid. v.* 17. 18. Iis denique verbis citant quibus etiamnum in ejus libro legitur, *Mich.* III. 12.

*Stylus* propheticus vehemens & concitatus est in peccatis populi arguendis; in futuris prædicandis nonnulla plane & perspicue pronuntiantur; pleraque ænigmatibus involuta, quæ solo eventu patescebant, sive ut quæsita subobscuris sensibus memoriæ altius hærerent. sive quia utile erat plebis statui multa latere, ne populis aut etiam Dominis suis infausta annuntiare viderentur: uti de Babylonis Rege nomine Sesach erem. 25. 26. LI. 41. de Antiocho apud Danielem & Ezechielem, de Roman. in Apoc. qui omnes vastarunt Jerusalem: Denique omnia Deus clarius vel occultius dicebat, & prout utile noverat, judicia sua magis minusve paucis revelabat.

*Longe* tamen aberat illa obscuritas & cæcis illis ambagibus ambiguisque dictis Delphicorum oraculorum. Hic, re peracta, tam liquida erant omnia, ut ad aliud referri nequirent; neque enim vage & incerte de Jerusalem aut Babylone Prophetæ dicebant, sed a quo, quo tempore, quo modo res expedienda esset: Viros etiam designabant, sæpe & nominabant, ut in Cyro, Alexandro, Antiocho, vide re est.

## §. VIII.

*Vaticinia de Christo, & Gentium vocatione.*

De Christo vero ejusque Ecclesia ex Gentibus congreganda, tam clara produnt, ut etiamnum hæreant Judæi, nec nisi vana respondeant. Sed Prophetiæ de Christo, atque Ecclesia varii sunt generis: aliæ liquido a viris Dei, erumpente voce, dictæ & annuntiatæ sunt, qualis est ista, Isa. 52. 13. 14. & 15. *Ecce*, ait Propheta, *intelliget servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde. Sicut obstu-*

*obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt Reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt; & qui non audierunt, contemplati sunt.* Quæ verba aperte Christum sic indicant, ut illi soli convenire videantur. Aliæ non per se, sed traditione claræ in speciem involutæ figuris, quarum duplex est sensus: verbis tamen ita temperatis, ut in aliis personis ac rebus, Christo apte conveniant; aliæ frequentes intentis in ipsam rerum speciem vaticiniis, quæ nulli unquam alteri, quam Christo, congruerint. Sic extra rei, quam tractant, seriem, repente assurgunt, animosque aptissime ad Christum rapiunt. Tale est istud oraculum Isaiæ 9. 6. *Parvulus enim natus est nobis ... Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Id potissimum contingit, cum figuras Christi & Ecclesiæ tractant; cum enim v. g. illustrem illum reditum e captivitate, quo Dei nomen magnificabatur, in Gentibus prædicant, continuo de vocatione Gentium, cujus ea figura erat, sermonem habent. Sic enim figura cum veritate jungebatur, idque secutus est ipse Christus, excidium Jerusalem cum ultimo judicio connectens; neque omittendum, quod præclare docet Hieronymus, voluisse Prophetas intentos homines facere, dum non remotissima tantum prænuntiarent, sed ea obviis ac prope eventuris admiscerent, tum, impletis de Judaica Republica oraculis, fiebat, ut promissis de Christo quæ intexebantur, sua constaret fides. Denique mirum non est eos, quod sæpe contigit, Babylonicæ captivitati ac liberationi apertam de Christo & Ecclesia prophetiam, quasi continuata serie Prophetas adjungere: cum revera is ultimus esset Reipublicæ Iudaicæ status, unde Christiana exsurgeret Ecclesia.

## §. IX.

*Majestas & gravitas Prophetarum.*

QUANTA autem sit majestas propheticæ orationis, & sanctitas, qua porro auctoritate, qua confidentia, qua reverentia sanctissimi viri Dei nomen interponant, ipsumque jubentem, docentem, minitantem, consolantem indicant, consideranti patebit; nec humanus sermo id enarrare satis assequi potest. Quæ cum ita sint, merito exploduntur, qui supposita esse Prophetarum oracula jactare ausi sunt, ut Porphyrius de Daniele dixit, & quidem illa, quam judicavimus, sermonis prophetici sanctitas, sibi ipsi fidem facit. Neque enim fraudem patitur tanta simplicitas summa cum dignitate conjuncta, tanta religio, tam evectus in Deum Spiritus, tamque copiosa divinæ veritatis luce perfusus, nec se omnino per fallaciam tanta vis exerceret. Quis autem, nisi mente captus, sibi persuadeat illusores homines, ac Dei nomen impie mentientes, ita loqui, ut nec ipsa, si coram adesset veritas, aut sublimius, aut sanctius, aut denique verius loqueretur?

## §. X.

*Veritas Prophetiarum contra impugnantes asserta.*

MALE rixantium & obstrepentium agmen absque negotio subvertitur; illi quippe divinarum rerum inertes gustu, blasphemant quod ignorant: vel ipse Porphyrius Philosophus Ethnicus tametsi impugnator, vaticinandi tamen artem apud Judæos viguisse non uno in loco testatus est. Sane vel inde constat, quod Prophetæ Iudæorum non ambiguis oraculis atque ancipiti sensu mentibus hominum credulis non illuserint, cum ea legentes veritatis adversarii, non aliud respondeant, quam rebus admodum perfectis conficta esse vatum oracula: De ea autem fictione quod dicunt, primum nullo argumento firmant: tum falsissimum esse agnoscet, qui ad superiora attenderit.

*Nam* quærendum ab iis est, an integra Prophetarum scripta supposita esse velint: an veris adultera manu injecta quædam? Quod utrumque a rerum gestarum fide, atque ab illius populi statu & moribus alienissimum est. Prophetarum enim libros omnium fuisse vidimus subjectos oculis, infixasque hominum mentibus temporum notas. Multa quoque gesta ac Vati-

cinia Prophetarum, Isaiæ puta, & Jeremiæ publicis annalibus inserta fuisse Regum, ac Paralipomenon historia testatur. Idem de Aggeo ac Zacharia dixerunt ab eisdem commemoratum. Neque cogitandum paucos fuisse codices, qui falsari possent, cum scriptorum, librorumque tanta fuerit copia jam inde a Salomonis temporibus, ut id ipse conquestus sit. *Eccl.* 12. 10. Ars ergo libraria jam tum vulgaris, neque unquam in populo Dei, vel fando auditum est occultos ullos fuisse libros: Neque ulli magis publici, quam Prophetarum, quibus Gentes de infidelitate arguendæ & convincendæ essent. Tum non aliam fuisse datam Prophetiæ notam, quam ipsam eventorum fidem ex Moyse constat: Quæ quidem sententia cum Judæis omnibus ab ipsa gentis legisque origine innata fuit, hinc nullus erat falsitati locus.

*Nihil* sane certius esse videtur quam libros Prophetarum & receptis moribus & ipsa publica fide ab omni falsitate tutos. Neque vero levia quædam aut exigua intexenda fuissent, ut facile irrepsisse in animum quis inducat, sed longa orationis series; quod quidem sermo de Cyro apud Isaiam, de Alexandro & Macedonibus: præsertim de Antiocho apud Danielem, demonstrat: id autem tentare falsatores, hoc erat ipsam falsitatem prodere: cum e contra rerum series, & perpetuum filum, sibique ipsi constans orationis color veritatem affirmet.

*Jam* qui falsitatem illam suspicantur, dicant, velim, quo tempore putent rem tanti momenti contigisse. Certe ad Christi tempora pleraque Prophetis apertissime pertinere secuta gentium conversio, ac Judæorum excidium tanto ante prædictum, & innumerabilia rerum verborumque momenta sic plane efficiunt, ut prorsus, si conficta sint prophetiæ, post res ipsas peractas, confiteri necesse sit eas a Christianis factas, & in gratiam fidei Christianæ a Judæis, quantumvis adversantibus, suis libris insertas. Sin de his, quæ ad Christi tempora pertinent, tam perspicuæ in Judæorum manibus Prophetiæ etiam num leguntur, non est quod de aliis amplius litigemus: quæ tamen suas probationes liquidas et proprias habent. Tacemus enim de Christo apertissima vaticinia: in quod tempus conjicient de rebus antecedentibus oracula Prophetarum? certe ad ea, quibus Hebræus conclusus est canon, Esdræ scilicet. Is autem sæpe una voce cum omnibus Judæis confitetur anteactis temporibus contemptos Prophetas, idque ipsis Judæis culpæ atque exitio fuisse. 2. *Esd.* IX. 30. Historiam quoque suam auspicatur a memorabili Jeremiæ Vaticinio de 70. annis, de quo anno loquitur, ut de re omnibus nota, aut illud vaticinium longe antecesserat, aut ipsum quoque Esdræ librum confictum esse oportet.

*Praterea*, cum certo certius sit post Esdræ tempora nullum Prophetam extitisse, aut a Judæis in sacrum canonem admissum, jam tum proculdubio falsatum Danielem oportuit, falsatoremque illum omnino fuisse Prophetam, qui res Antiochi, Machabæorumque trecentis post annis futuras, tam plane, immo tam historice edisserat. Idem de Isaia, Ezechiele, Zacharia, aliisque dicendum est, quorum Prophetiæ multæ constat de Machabæorum fratrum, Joannis Hircani, quin & posterioris Hircani temporibus, eaque adeo perspicue, ut nihil supra.

*Dicendum* ergo esset, falsatas etiam esse Prophetias, canone jam confecto, Judæis tota Ægypto, Asia, Græciaque diffusis, quo jam inde ab Antiocho, immo a Ptolemæo Lagi filio pervaserant, Synagogis ubique ædificatis; Judæorumque libris in Græcum sermonem translatis, tum propter Gentiles curiosos, tum propter Judæos jam hellenizantes & Patrii sermonis oblitos, immo & Chaldaici, quem Babylone didicerant. Dicendum quoque hos libros sub Prophetarum nomine, tot sæculis post eorum mortem, ad libidinem compositos, statim ut antiquos invaluisse, neque cuiquam apparuisse fraudem, aut totam ubique gentem terrarum dispersam in scelus consensisse, factumque omnino ut religiosissimi mortalium, sacrorumque librorum studiosissimi, quasi stupore superati quingentos annos paterentur novum sibi Danielem, novum Isaiam obtrudi: quo quid insanius?

*Rem* ex nobis expendamus. Existat repente aliquis, qui Evangelium quintum alicujus Apostoli nomine, vel quintam decimam Pauli epistolam in medium

affe-

afferat: an erit qui vel audire sustineat? Ne ipsi quidem Turcæ ac Tartari, quantumvis imperiti ac stolidi, novum Alcorani capitulum, aut versiculum obtrudi patiantur. Neque fieri potest ut libro alicui tanta divinitatis simul & antiquitatis constet auctoritas, nisi ab ipsa origine per longam sæculorum seriem confirmata.

*Quid* quod Psalmos ipsos eadem opera confictos esse oporteret, cum sint Prophetici & prænuntii futurorum. Quid, quod & ipse Moyses Propheta in suspicionem venire posset! Quo sublato, nec ipsa respublica Judaica stare queat.

*Quid* autem absurdius, quàm unum hominem, nescio quem, non enim Esdram, simul animo complexum ac stylo assecutum & Isaiæ magniloquentiam atque elegantiam, & Jeremiæ mansuetudinem, affectus severos, fervidosque motus, & Ezechielis gravitatem ac vim, & Danielis simplicitatem, afficto etiam peregrinitatis colore, inter captivos contracto, & Oseæ concisam brevitatem, pendentes sententias, opportunissimas tamen, cum perviderit, & rebus accommodatissimas; quin & Davidis suavitatem ac sublimitatem, Moysis quoque auctoritatem ac majestatem, omnia denique scriptionis genera, quæ signis concoxerit, tum omnia apud Judæos conficta esse; Prophetarum oracula mera esse ludibria, ac gentem, antiquitatis præsertim religiosæ tenacissimam, nec Legem, nec Annales, nec libros, nec quicquam habere veri, atque hæc omnia ab uno auctore, coque novitio, fabricata prædicet. Eodem stomaco affirmet Homerum, Anacreonta, Pindarum, Herodotum quoque ac Demosthenem, Platonem & Aristotelem, eodem cerebro natos nisi forte varii ingenii ac litteraturę homines, miro fallendi studio, opus inter se diviserint; aut accepta a majoribus arte falleudi; omni elegantia atque industria, Judaicæ gloriæ soliciti, fraudem adornarint.

*Nunc*, postquam vana ea & insana perspeximus, fateamur omnia in Scripturis divino Spiritu tradita, atque uno consilio in unam doctrinæ summam redacta, nempe ut innumera veridica vaticinia Mosys Prophetarumque fide conciliata, Christo Redemptori credamus, atque ex ejus præscriptis vitam instituamus.

*Unum* cæteris pro genuinitate prophetiarum adversus Porphyrium Ethnicum adjicimus omni acceptione dignum argumentum. Oracula quæ numero 70. a Moyse qui anno mundi 2464. florebat usque ad Christum qui secundum multos natus est anno mundi 3962. decursu temporum a Prophetis emanarunt, quæque spectant Conceptionem, Nativitatem, prædicationem, passionem, in cœlis Ascensionem, aliasque, tum missionis, tum vitæ & super mundum & inferos triumphi circumstantias, ac cætera Incarnationis momenta omnibus impervia, in Christo tamen ad unum usque jota perfecte adimpleta, ut ab enumeratione partium in Prolegomenis ostendimus, argumenta sunt irrefragabilia, quibus veritas prophetiarum astruitur, maxime cum a Judæis Christi offensissimis hostibus ea Christiani acceperint oracula, quod quidem sic probat Prophetas esse omnem extra dubitationis aleam, ut ex hoc Justinus Martyr aliique sapientissimi Philosophi, Christi religionem inter cæteras solam veram esse concluserint.

*Hæc* igitur fuit Prophetarum sanctitas, soli Deo vacabant orantes & divina contemplantes, hinc & videntium nomine in divinis celebrantur Scripturis. Paupertas eorum tanta erat, ut Zona cincti, pellibus caprinis vestiti, in speluncis & cavernis terræ latitantes procul ab omni mundano strepitu, aquam brevem, panem arctum herbis quibusdam amaris & aggrestibus commixtum habentes viverent. Ad nutum obediebant superiori, vitæ activæ non nihil addicti, sed lectione sacra, meditatione & contemplatione prorsus occupati angelicam ducebant vitam. Diceres Prophetas tot Abraham benedictos, cujus filios veluti arenam mari & stellas cœli multiplicavit Deus in diversis Ecclesiæ ordinibus, qui a Prophetis edocti votis obedientiæ, castitatis, paupertatis, & apud Minimos etiam strictissimæ Quadragesimalis vitæ, in se votum vivendi rationem sic exprimunt, ut filii Prophetarum jure merito appellari possint; hinc religiosus qui sua in vo-

tis adimplendis promissa tenet, tamquam sanctus, aiebat quondam Magnus Papa, habendus est.

## SECTIO SECUNDA.

*Analysis operum Prophetarum majorum.*

QUATUOR ab omnibus recensentur Prophetæ maiores. Baruch Jeremiæ conjungitur, utpote ipsius scriba. Dicuntur majores eo quod plura & majora præ ceteris Prophetis vaticinati sint. Primus, Isaias vocatur. Secundus, Jeremias. Tertius, Ezeciel. Quartus. Daniel.

*Isaias* dicitur filius Amos, non quidem Amos Prophetæ, ut contendit Clemens Alex. lib. 1. strom. sed teste Hieronymo comment. in Isa. alterius Amos, qui creditur frater Regis Amasiæ: hinc princeps & eloquens elegantiori scripsit stilo. Agit de reprehensione Judæorum, de adventu filii Dei, cujus effectus maxime Christi miracula, ejus passionem, Evangelii propagationem ita diserte & clare delineat, ut per antomasiam veluti Christi Evangelista a sanctis celebretur Doctoribus. Volumen Isaiæ Græce & Latine continet LXVI. capita. Potest in duas partes dividi.

*In* prima parte minas intentat Judæis, prænuntiat in vindictam scelerum plures captivitates, unam Niniven, per Sennacherib, alteram Babylonis, victoriis & fortitudine Nabuchodonosor, postremam usque ad consummationem potentia Romanorum operandam. Tum eorum redarguit duritiem cordis & mentis obcæcationem. In altera quædam promit consolationis argumenta, solutionem scilicet a captivitate, tum temporali, tum spirituali: illam per Cyrum Persarum Regem, istam per Christum venturum faciendam. Vaticinatus est Jerosolymis Isaias anno a creatione mundi 3219. ante Christum natum 785. regnantibus Ozia, Joathan, Achaz & Ezechia regibus Juda. Grotius & alii non ignoti nominis auctores illum vixisse usque ad tempora Manassis Regis, qui quidem reprehensiores prophetales ægre ferens, serra lignea virum Dei secari jussit.

*Jeremias* Sacerdos ex vico Anathot, tractat de captivitate Judæorum, de destructione Jerusalem & Templi, cujus civitatis calamitates in suis enarrat lamentationibus, quæ in uno comprehenduntur volumine, cui titulus, *Liber Threnorum*, seu lamentationum. Miscet tamen hinc inde læta de reducendis e captivitate Babylonica Judæis, de Redemptione hominum, & nonnulla de Gentium vocatione ad fidem, ut habetur cap. 23. his verbis: *Ego congregabo reliquias Gregis de omnibus terris .... dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo David germen justum: et regnabit Rex, et Sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda et Israel habitabit confidenter: et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster*. Nec tacet mirabilem Christi ex Virgine illibatam nativitatem; ait enim cap. 31. 22. *Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? Quia creavit Dominus novum super terram*, FEMINA CIRCUMDABIT VIRUM. Cum esset adhuc puer vaticinari cœpit, anno scilicet mundi 3375. ante Christum 629. anno 13. Josiæ Regis, ac deinde in Judæa usque ad excidium Jerosolymæ, hoc est, annorum multorum spatio Baruch scribente, ut patet cap. 46. & 45. porro cum ejus dilacerasset & cremasset Rex Joachim librum, Deo ordinante, eumdem iterum scripsit, immo & auxit, ut patet cap. 36. Multa deinde passus est regnante Sedecia, quippequi in vincula & in lacum luti conjectus sit: Verum a Nabuchodonosor inde liberatus est, qui & eum Nabusardan militiæ suæ duci commendavit, postea vero &. Godoliæ quem super Judeos prefecerat. Tunc temporis suas Propheta edidit lamentationes super Jerusalem brevi destruendam: Godolia occiso, Judæi fugerunt in Ægyptum, & cum eis Jeremias, qui & ipsorum & Regis Ægypti Cladem, Deo inspiraute, prædixit. Postremo cum Judeos suo semper perstringeret stylo censorio, pravosque eorum insectaretur mores, derisus & contumeliis lacessitus tandem ab eisdem lapidatus est, quod non obscure indicat Apostolus in sua ad Hebreos epistola, his verbis cap. 11. 37. *Alii vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt*. Prophetia Jeremię desinit cap. 51. 64. in cujus fine hęc verba leguntur: *Hac usque verba Jeremia*.

*miæ*. Caput 52. magna ex parte exceptum est ex lib. 4. Reg. Esdras vel alius inter Prophetas Jeremiæ volumini illud adjunxit.

*Jeremias* est auctor libri Prophetiæ, qui ejus inscribitur nomine: idem & de cæteris Prophetarum libris dicendum est. Ille lamentationes scripsit cum populus captivus ductus est Babylonem. In iis plorat & suspiriis vehementibus describit funestum Jerosolymæ exterminium. Cap. 3. calamitates Patriæ luget, seque in lacum demersum conqueritur. Post quartum lamentationum caput sequitur oratio Prophetæ: eam textus Hebræus, versio Septuag. & Vulgata retinent, similiter & versio Chaldaica, tum & Syriaca, Judæi & Christiani nusquam dubitavere librum Threnorum a Jeremia fuisse emissum: orationis ibi adiectæ meminit Hieronymus, & in omnibus invenitur exemplaribus.

*Baruch* tametsi vir nobilis, scribam tamen Jeremiæ esse non erubuit; hinc ejus liber sub nomine Jeremiæ citatur & circumfertur. Sex complectitur capita; ultimum continet epistolam Jeremiæ ad captivos, unde tamquam Propheta a Jeremia indistinctus habetur. Idem prænuntiat reditum populi in Judæam post septem absolutas generationes. Monet Judæos ut idola in posterum non colant: cap. 3. 37. insignem emittit de Christo Prophetiam his verbis expressam: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum ... post hæc in terra visus est, & cum hominibus conversatus est*. Jeremiæ Liber XXV. habet capita: Liber Threnorum, quinque; Liber Baruch, sex.

*Cæterum* Jeremias fuit Christi figura. Vaticinatus est ante captivitatem Babylonicam, immo & ipsa durante; eodem tempore etiam Ezechiel & Daniel prophetabant.

*Ezechiel* erat Sacerdos, cum Joachin in terram Chaldæorum ductus est captivus: multas refert visiones; enarrat etiam Jerusalem excidium, deinde ejusdem civitatis restaurationem elapsis 5. captivitatis annis. Vaticinari cœpit ad oram fluvii Chobar, anno mundi 3409. ante Christum 595. viginti annorum spatio prophetavit. Quo genere mortis obierit incertum est. Ferunt a gentis suæ principe quem de idololatria arguebat, occisum fuisse: Ad ripam Euphratis sepultus est in spelunca Sem & Arphaxad, Abrahami progenitores. Ferunt multi illius sepulchrum nedum a Christianis, sed & a Mahumetanis velut quid sacrum & venerabile haberi.

*Ezechielis* volumen in duos quondam libros divisum fuit; nunc unico comprehenditur. Huetius in duas partes istum dividit librum. Prima continet XXXIX. capita; secunda, novem. Alia quædam tribuuntur Prophetis, quæ quandoque non fuerunt scripta; quæque auctores collegere, vel per traditionem, vel per aliquam Prophetarum Epistolam. Sic Ezechiel prædixit quod Babylonem Sedecias non videret: hoc tamen in ejus non reperitur volumine.

Idem Propheta Judæorum delineat peccata, quibus iram Dei in se non semel concitaverunt, totiusque comminatæ vastationis rationem & modum sub undecim adumbrat metaphoris. Primo, sub metaphora vitis sterilis resectæ, & in ignem projectæ. II. Sub figura adulteræ. III. Sub imagine aquilæ grandis. IV. Sub Typo uvæ acerbæ & sylvestris V. Sub signo Leonæ & Leonis. VI. Sub metaphora saltus & nemoris comburendi. VII. Sub figura gladii elimati. VIII. Sub forma scoriæ, stanni, ferri & æris. IX. Sub imagine duorum Meretricum. X. Sub figura Lebetis pleni carnibus ad ignem appositi. XI. Sub metaphora rei desiderabilis sublatæ & plangi prohibitæ; demum prænuntiat e captivitate Babylonica liberationem, Messiæ Regnum, Gentilium vocationem immediate post Christi passionem venturam: Judæorum vero sub finem mundi conversionem. Ezechielis liber hebraice, græce & latine habet XLVIII. capita. Cap. 36. commemorat Baptismi a Christo instituendi efficaciam, his verbis: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris .... Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Expressius cap. 16. 9. *Lavi te aqua, & emundavi sanguinem tuum ex te: & unxi te oleo*.

*Daniel* de Tribu Juda translatus est cum Joachin Babylonem anno 13. vel 4. regni

regni Jechoniæ. E Regis sanguine oriundus, ut habetur cap. 1. vers. 3. Adolescens vaticinari cœpit anno mundi 3398. ante Christum 608. Scribit de Monarchia mundi, de regno Christi, de historia Susannæ, de destructione Bel, de sua in lacum leonum projectione, & de allato sibi a Propheta Habacuc prandio. Caput 13. Vulgatæ, primum ponitur apud Græcos. Huetius propugnat opus chaldaice prima vice fuisse scriptum, tum hebraice a Judæis post captivitatem Babylonicam. Aquila, Theodotionus, & Symmachus græce reddiderunt, unde propter varias translationes quædam etiam translata sunt: quidam vero historiam Susannæ, draconis, & hymnum 3. Puerorum revocaut in dubium.

*Scopus* Danielis præcipuus, est Christi regnum super mundana regna celebrare, quippe quod illud sit æternum, ista vero admodum fragilia & brevia. Ejus volumen XIV. capita complectitur. In sex prioribus capitibus ostendit Monarchias quatuor, scilicet Chaldæorum, deinde Medorum, & Persarum, postmodum Alexandri Magni & Græcorum, postremo & Romanorum finem habituras; tum solius Christi regnum nusquam extincturum asserit: sic enim loquitur cap. 2. *In diebus autem regnorum illorum, suscitabis Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet universa regna hæc: & ipsum stabit in æternum*. Rursus cap. 7. *Ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit ... Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus quod non corrumpetur*. Postremo adventum Christi, ejus passionem & victoriam super infernum reportandam cap. 9. elapsis 70. hebdomadibus prædicit.

## SECTIO TERTIA.

Quæsitum de genuinitate Librorum resolvitur.

### CONCLUSIO.

Libri quatuor majorum Prophetarum, sunt Canonici.

*Probatur pro omnibus communi, sed efficaci ratiocinio.*

LIBRI, quos in Canonem Scripturarum divinarum ascivit Synagoga, & Ecclesia in suo Canone recepit, uti sacri habendi sunt: Sed Synagoga in Proto-canone, Ecclesia vero a Christo fundata in Concilio Tridentino sess. 4. Decr. de Script. volumina Prophetarum recensitorum in Canone divinarum Scripturarum conscripserunt: Ergo &c.

Speciales de singulis probationes.

*De Isaia volumine.*

ILLUD volumen est genuinum & Canonicum, quod SS. Patres ut sacrum & inspiratum agnoscunt, & in quo mira tum de Christo, tum de Ecclesia vaticinia ab omnibus interpretibus laudata comperiuntur: Atqui hujusmodi est Isaiæ volumen: Ergo &c. Probatur minor, quoad utramque partem.

*Primo quidem*: Patres tum Græci & Latini varia in Isaiam edidere commentaria, & in omnibus veluti sanctissimum Prophetam collaudant. Egregiam uti de auctore Canonico mentionem facit S. Hieronymus in caput primum Isaiæ; rursus in præfatione ad Paulam & Eustochium: S. Cyrillus præfat. expositionis in Amos. S. Augustinus lib. 18. de civit. cap. 25.

*Secundo*: Tot sunt pro altera parte argumenta quot ferme adsunt in libro paginæ; hinc S. Cyrillus Alexandrinus in Prologo commentariorum, ait: " Ubique redemptionis per Christum mentionem injicit, atque subsequentibus temporibus a societate & contubernio Dei exterminandum Israelem, successuram

vero

„ vero gentium multitudinem, per fidem „ in Christum justificatam. Quare mihi „ videtur beatus Propheta Esaias non so- „ la prophetiæ gratia plurimum exorna- „ tus, sed & decoribus Apostoli. „ Non absimilia dicit Theodoretus in Prologo commentariorum. Item Hieronymus præfatione ad Paulam & Eustochium, sicut & S. Augustinus mox laudatus. Jam quædam celebriora loca hic texere non injucundum erit.

*De* pace per Christum inter homines & Deum componenda cap. 2. 4. habetur: *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Domus Jacob venite, & ambulemus in lumine Domini.*

*De* Redemptione per Christum operanda cap. 4. 2. legitur: *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui salvati fuerint de Israel. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem, laverit de medio ejus, in spiritu judicii, & spiritu ardoris &c.*

*De* principatu & divinitate Christi celeberrimum est istud Isaiæ 9. 6. oraculum: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* De Christo hanc sententiam Chaldæus paraphrastes intellexit, his verbis: *Dicit Propheta domui David, quoniam parvulus natus est nobis, filius datus est nobis; & suscepit legem super se ut servaret eam: & vocabitur nomen ejus a facie admirabilis consilii Deus, vir permanens in æternum, Christus, cujus pax multiplicatur super nos in diebus ejus.* Quid plura referam? Vocationem gentium cap. 41. prædicationem Evangelii cap. 52. & 53. 60. & 62. annuntiat, Ergo &c.

### *De libro Jeremiæ.*

*Quod* vel ipsa Scriptura agnoscit ut sacrum, quod Patres, quod Ecclesia, nos quoque ut sacrum habere debemus: Atqui ex illis omnibus monumentis liber Jeremiæ sacer evadit. Et probatur, quoad singulas partes.

*Primo quidem*: In variis sacræ Scripturæ locis sententiæ Jeremiæ adducuntur in testimonium veritatis; sic lib. 2. Paralip. cap. 36. laudatur ille Propheta, his verbis: *Ut compleretur sermo Domini ex ore Jeremiæ, & celebraret terra sabbata sua.* Rursus lib. 1. Esdræ, maxime vero Eccl. 49. *Incenderunt electam sanctitatis civitatem, & desertas fecerunt vias ipsius in manu Jeremiæ. Nam male tractaverunt illum, qui a ventre matris consecratus est Propheta, evertere & eruere, & perdere & iterum ædificare, & renovare.* Rursus Daniel. 9. *Ego Daniel intellexi in Libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni.* Tum 2. Matth. 15. *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate Jeremias Propheta Dei.*

*Secundo*: Patres suum addunt Libro laudato calculum. Instar omnium sit S. Hieronymus præfatione in Jeremiam. Huic adde Originem epist. ad Africanum & multos alios sanctos Doctores in suis in volumen Jeremiæ commentariis.

*Tertio*: Astipulatur Sancta Mater Ecclesia, quæ festum Jeremiæ ut majoris Prophetæ & Martyris celebrat Kalendis Maji in Martyrologiis Bedæ, Rabani, Adonis, NotKerii, Vvandelberti, Usuardi, in Romano. Item in Menologio Græco Basilii Perphyrogeniti Imperatoris, & in Typico S. Sabæ. Ad eumdem attendit Prophetam Apostolus Hebræor. 11. cum de sanctis veteris Legis, qui veri Dei fidem adversus Idololatras malignantes ad sanguinis usque effusionem propugnavere, loquens, ait: *Lapidati sunt.* Ergo &c.

*Confirmatur*: Volumen multa complectens de Christo & Ecclesia oracula, dubio-procul Canonicum est & sacrum, cum seclusa Dei revelatione, tot mira prænuntiare homo non possit: Atqui Jeremiæ volumen hujusmodi habet vaticinia: Ergo &c. Probatur minor variis momentis.

*Primo*: Cap. 3. habetur: *Assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. Et dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina .... In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, & congre-*

gregabuntur ad eam omnes gentes . . . Quomodo ponam te in filios , & tribuam tibi terram desiderabilem ; hæreditatem præclaram exercituum gentium? Ecce vocatio gentium expresse annuntiata.

*Secundo* : Luculenter Propheta sanctorum Innocentium cladem ab Herode Rege impio factam , a sancto Matthæo descriptam prænuntiat cap. 31. his verbis : *Hæc dicit Dominus : Vox in excelso audita est lamentationis , luctus , & fletus , Rachel plorantis filios suos , & nolentis consolari super eis , quia non sunt*. Matthæi vero 2. *Tunc Herodes videns , quoniam illusus esset a Magis , iratus est valde , & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem , & in omnibus finibus ejus , a bimatu & infra , secundum tempus quod exquisierat a Magis . Tunc adimpletum est , quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem : Vox in Rama audita est , ploratus & ululatus multus : Rachel plorans filios suos , & noluit consolari , quia non sunt*.

*Tertio* : Celeberrimum est Jeremiæ oraculum de passione Christi ; ait enim de Salvatore cap. 11. *Tu autem Domine demonstrasti mihi & cognovi : tunc ostendisti mihi studia eorum . Et ego quasi agnus mansuetus , qui portatur ad victimam : & non cognovi , quia cogitaverunt super me consilia , dicentes : Mittamus lignum in panem ejus , & eradamus eum de terra viventium , & nomen ejus non memoretur amplius*. Quæ verba Tertullianus & SS. Patres de sacrificio tum cruento , tum incruento novæ Legis interpretantur.

*De* Baruch Jeremiæ scriba , non unum est testimonium. Danielis enim 9. & lib. 2. Esdræ 9. multæ leguntur ejus sententiæ ; unde S. Irenæus lib. 5. cap. 35. & Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedagogi cap. 3. ut divinam Scripturam agnoscunt Baruch librum.

*Oratio* Jeremiæ , lamentationum carmina claudunt ejus volumen , & in Vulgata velut authentica , & ut ad eumdem Prophetæ librum spectantia habentur . Neque enim a reliquo Threnorum opere apud S. Hieronymum divelluntur. Adsunt in Hebraico exemplari , in Græco Septuaginta , in paraphrasi Chaldaica , in versione Syriaca , sicut & in Arabica. Ea in Canone reponunt Origenes & Concilium Laodicenum , ac demum Tridentinum . Ut authenticam Scripturam habent SS. Cyprianus lib. 2. contra Judæos cap. 5. Hilarius præfat. comment. in Psalmos : quocirca tamesi Theodoretus illa prætermiserit , nihil ab eorum detrahitur veracitate , cum cæterorum Patrum & ipsius Ecclesiæ præponderet auctoritas.

*De libro Ezechielis.*

ILLUD volumen tamquam sacrum habendum est , quod ab aliis Scriptoribus Ecclesiasticis laudatur , a Rabbinis ut Canonicum suscipitur , a sanctis Patribus ut inspiratum , & Prophetias de Christo & Ecclesia continens ventilatur , & contra impugnantes tamquam genuina Scriptura ab Ezechiele promanata defenditur : Atqui res sic se habet : Igitur ille liber est sacer. Probatur minor quoad ista omnia momenta.

*Primoquidem* , Eccli. 49. Ezechiel tamquam Dei Propheta laudatur vers. 10. his verbis : *Ezechiel qui vidit conspectum gloriæ , quam ostendit illi in curru Cherubim . Nam commemoratus est inimicorum in imbre , benefacere illis qui ostenderunt rectas vias*.

*Secundo* , in Canone Synagogæ refertur , & Rabbini hoc suscipiunt volumen ; istud enim vaticinium cap. 34. *Vos autem greges mei , greges pascuæ meæ , homines estis! Et ego Dominus Deus vester , dicit Dominus Deus*, Aben Ezra , & David Kimchi ad Messiam referunt.

*Tertio* S. Hieronymus præfat. in librum 14. comment. Ezechielis volumen vocat Prophetiam , quę est Scripturarum oceanus , & Mysteriorum Dei labyrinthus. Jam vero quod illud opus multa de Christo & Ecclesia præcontineat , ex multis constat ; maxime ex capite 34. ubi hoc legitur pro ovibus : *Suscitabo super eas Pastorem unum , qui pascat eas , servum meum David : ipse pascet eas , & ipse erit eis in Pastorem . Ego autem Dominus ero eis in Deum , et servus meus David princeps in medio eorum . Ego Dominus locutus sum : et faciam cum eis pactum pacis . . . . Neque portabunt ultra opprobrium gentium* . Quæ quidem verba in sensu obvio intelligi non possunt de Davide , cum ipso mortuo & Chaldæi & Græci Israel non modicum exagitaverint : Igitur de solo Christo , qui gentes ad fidem signis & portentis vocavit , & cu- is

cujus Typum gessit pius David. Hoc ipsum ex Evangelio claret in Christo Domino adimpletum; namque Joannis 10. ait Jesus: *Ego sum Pastor bonus*. Ad Philipp. 2. dicitur servus, his verbis: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*. Luc. 1. ex familia David oriundus: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum*. Ipse vero etiam attulit pacem sempiternam, juxta illud ad Ephes. 2. *Ipse est pax nostra; qui fecit utraque unum*. Ezechiel cap. 37. eidem de Christo iterum prænuntiat.

*Quarto*, Judæi quidem rudiores ista oracula de Zorobabele, qui fuit tantum Christi figura intelligere voluerunt, & post ipsos Grotius, sed Theodoretus lib. 13. comment. in Ezechielem ad caput 34. priores luculentissimis rationibus debellat: „ Dicant, inquit, Judæi, quis „ sempiternus ipsorum Rex sit, qui David appellatur? Nequaquam enim Zorobabeli hujuscemodi appellationes convenire, ipsi quoque confitebuntur. Primum „ enim haud regnavit ille, sed populi „ ductor fuit: deinde etiam illud ipsum „ imperium morte finitum est; quod si „ de genere Davidico hunc sempiternum „ intelligunt David, ostendant David „ genus regnare. „ Et sic confutatus manet Grotius.

#### *De volumine Danielis.*

PRIMO: Voluminis Danielis Prophetæ quædam laudantur sententiæ lib. 1. Machab. 2. 59. adducitur in testimonium postremi judicii venturi ab ipso Christo Matth. 24. 15. his verbis: *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat: tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes &c.*

*Secundo*: Astipulantur pro libri veracitate omnes ferme primorum sæculorum Patres, maxime vero S. Ignatius epist. ad Magnesianos, ubi Susannæ refert historiam: subscribit Tertullianus lib. de corona Militis. Item & S. Cyprianus orat. Dominic. tum serm. de lapsis mentionem facit de hymno trium puerorum, similiter & Basilius lib. de Spiritu sancto, nec non & Chrysostomus homil. in Historiam Susannæ. S. Ambrosius lib. 3. cap. 7. ut Canonicam commemorat. suffragantur Hieronymus epist. 103. Athanasius, epist. ad Serapionem, Gregorius Naz. oratio 18. Augustinus lib. de natura Boni cap. 16. Tum epist. 122. meminit hymni trium puerorum. Cæterum Origenes hom. 1. in Levit. & epist. ad Julium Africanum, sicut & Athanasius in synopsi defendunt omnes libri Danielis partes; quinimmo, & historiam Susannæ, hymnum, & draconis factum. Ergo &c.

*His* omnibus adjungitur Josephus qui lib. 10. cap. 12. de Danielis volumine, „ sic loquitur: Danielis libri certam fidem „ faciunt, quod Deus cum eo eloquia „ miscuerit; non solum enim futura prædixit, ut alii Prophetæ, verum etiam „ tempus quo eventura essent præfixit. „ Similia, immo & specialiora de eodem scribit lib. 4. cap. 8. & lib. 12. cap. 4. Ergo &c.

*Hanc* probationum seriem juvat claudere aureis S. Hieronymi verbis in Procemio commentariorum, quæ quidem opera perierunt. Eo loci debellat Porphyrium, volumen præcipue Danielis infestantem. Porphyrianæ calumniæ occasionem dedit, *ait S. Doctor*, quod nullus Prophetarum, tam aperte de Christo sit vaticinatus: „ Non enim solum scribit „ eum esse venturum, quod est commune: „ cum ceteris, sed etiam quo tempore „ venturus, sit, docet: & Reges per ordinem prænuntiat. Quæ quia vidit Porphyrius universa completa, & transacta „ negare non poterat, superatus historiæ „ veritate in hanc prorupit calumniam: „ ut ea quæ in consummatione mundi de „ Antichristo futura dicuntur; propter „ gestorum in quibusdam similitudinem, „ sub Antiocho Epiphane impleta contendat. Cujus impugnatio, testimonium „ veritatis est. Tanta enim dictorum „ fides fuit, ut Propheta incredulis hominibus non videatur futura prædixisse, „ sed narrasse præterita. „

#### *Diluuntur objecta circa Isaiæ volumen.*

OBJICIES: Cap. 6. vers. 8. habetur: *Audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit ex nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me*. At vero vers. 5. dixe-

rat idem Propheta : *Va mihi, qui tacui*. Sed in hoc manifesta apparet contradictio, quod sacro certe repugnat libro: Igitur Isaiæ volumen non est Canonicum.

*Respondeo* I. Locum non eodem modo verti ab auctoribus; namque Septuaginta legunt: *Non miser ego, quia dolore punctius sum*. Jonathan vertit: *Va mihi quia peccavi*. Cyrus interpres, dicit: *Va mihi quia obstupui*. Arabes: *Audax sum*. Vatablus: *Perii*.

*Respondeo* II. distinguendo: Et Auctores sacri diversis temporibus locuti sunt, concedo: hinc quandoque interrogati nonnumquam siluerunt; quandoque etiam læti missionem ad erudiendos populos susceperunt: Et eodem tempore locuti sunt, eumdemque in diversis morem gesserunt, nego. Ne miremini igitur lectores, si Isaias una vice tacuerit, & de hoc ipso doluerit. Altera vero vice præsto fuerit, & suum adversus peccatores acuerit zelum. Demum Propheta non dicit se ad hunc usque diem obmutuisse, & sibi tum primum vaticinandi munus a Deo fuisse demandatum: sed de hoc tantum, quod viso Domino super solium excelsum sedente, & Seraphim faciem præ Majestatis divinæ præsentia velante, diutius quam deceret siluerit.

*Instabis*: Sententiæ Isaiæ videntur non sibi cohærere: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo antecedens: Hoc est, non sunt juxta criticesregulas in ordinem digestæ, & ad trutinam eloquentiæ humanæ compositæ, concedo: hoc est, non sunt genuinæ & veræ, nego. Prout erat impetus Spiritus sancti, illuc gradiebantur & animus & lingua Prophetæ, quocirca adamussim in dictione non servavit ordinem.

*Insistes*: Liber sacer nec inter se pugnantia, nec veritati absona complectitur: Atqui tamen nonnulla similia reperiuntur in Isaiæ volumine. Et probatur. I. Quod legitur cap. 1. 7. 8. de vastatione & excidio Jerosolymæ non convenit Oziæ Regis tempori; nihil enim de hoc habetur lib. 2. Paralip. sed potius contraria, cum eo loci omnia fausta pro civitate cap. 26. Oziam fecisse referat Scriptor sacer, nec quidquam mali Jerosolymæ, sed soli ipsi contigerit, quippequi in prosperitate elevatus, neglexerit Dominum; hinc & lepra percussus legitur, eo quod contra præceptum Domini munus Sacerdotis, tametsi Laicus obire tentaverit. II. Isaias sub Manasse Rege vaticinatus est, & tamen in ejus libro nullum extat propheticum oraculum Manassis temporibus editum. Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem. Ad primam probationem distinguo, ut supra: Et Isaias non historice, sed prophetice scripsit Jerosolymę civitatis excidium, concedo: prædictio autem rei futurę quocumque tempore antequam evenerit, sicut fieri, sic & collocari potest: Et mere historice illud scripsit, nego. Ad solos Historiographos ordinem temporum, in texendis factis spectat.

*Ad* alteram probationem dico, Ozię Regis historiam conscriptam fuisse ab Isaia in libro a volumine prophetiarum distincto, quod injuria temporum excidit: vaticinia tamen sub Ozia Rege edita habemus plurima in volumine de quo in præsentiarum agitur, ut legere est cap. 1. 2. 3. 4. & 5.

*Ad* tertiam probationem respondeo, incertum esse Isaiam sub Manasse prophetasse, cum vel ipse sub quatuor dumtaxat Regibus vaticinia emisisse testetur: si quę igitur sub Manasse edidit vaticinia, dubio procul non tradidit memorię.

*Argumenta contra Jeremiæ librum.*

OPPONES: In libro Jeremiæ multa confusa, & absque ordine leguntur, ut ipse testatur Hieronymus Pręfat. ad istud volumen, his verbis: Ordinem visionum, „ quę apud Gręcos & Latinos omnino „ sunt confusę ad fidem pristinam correximus. „ Quin immo & facta correctione, multa adhuc interpolata sunt; namque cap. 21. scribit Propheta ea quæ, regnante Sedecia, contigerunt. Cap. vero 22. & sequentibus de Sellum seu Joachas, tum de Joachin vaticinatur, quæ tamen cap. 24. prædicta sunt, translato Joachimo evenere. Caput 25. complectitur prædictiones factas anno ejusdem Regis quarto: cap. vero 26. & 27. e contra continent quæ facta sunt ann. 1. hæc inordinatio atque confusio inspirato non convenit libro. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Et hæc inordinatio ne minimum quidem a veritate detrahit, concedo: & divinæ opponitur veracitati, nego. Dictum est supra Prophetas, juxta

juxta Spiritusſancti afflatum loqui; Spiritus autem, inquit Apoſtolus, pro ut vult, & quando vult ſpirat, immo & ſæpius diverſæ & diſparatæ ſunt ſententiæ, ut non ſemel reperitur in Pſalmis, & quandoque etiam in cæteris Prophetis: Sed præter iſtam generalem rationem, non deſunt ſpeciales, quibus ordo viſionum in Jeremia abſque veritatis diſpendio probatur: eius quippe liber primum ex impietate Regis combuſtus eſt, deinde vero alternata vice, ſed propter anguſtiam & acerbitatem temporum citocitius conſcriptus eſt: quocirca Baruch Jeremiæ ſcriba magis ad ſententias quam ad hiſtoriæ & factorum ordinem attendit.

*Inſtabis*: In eodem libro nedum confuſa, ſed & quædam falſa ſubnotantur: Atqui falſitas a libro divino propellenda eſt. Ergo &c. Probatur major. Cap. 22. verſ. 30. habetur: *Scribe virum iſtum ſterilem*; ſcilicet Jechoniam, *virum qui in diebus ſuis non proſperabitur*; *nec etiam erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda*. Atqui hoc falſum eſt. Et probatur. Primoquidem, Jechonias non fuit ſterilis, cum octo habuerit filios, ut legitur 1. Paralip. cap. 3. verſ. 16. II. Poſtea ipſe ſedit ſuper Thronum David ut habetur 4. Reg. 25. & 27. quandoquidem Evilmerodac eum ſedere voluit Babylone ſuper ſolium, ſicut cæteros terræ Reges. III. Salathiel ejus filius, etiam tranſacta captivitate, clavum regni Judaici tamquam dux tenuit. Ergo &c.

*Reſpondeo* negando majorem. Ad primam probationem, diſtinguo: Eatenus Jechonias ſterilis fuit, quatenus captivus Babylonem ductus eſt, concedo: ſterilis fuit generatione, nego. Vox igitur *ſterilis*, apud Prophetam non generationis, ſed poteſtatis indigentiam & privationem ſonat, ut ipſe probavit eventus, & ſic conſociantur Scripturæ: tum quia nullus ex Jechonia filius ſedit poſt ipſum ut Rex.

*Ad* ſecundam probationem, diſtinguo: Jechonias ſedit Babylone ſuper ſolium ſpecie & honoris cauſa, concedo: tamquam habens poteſtatem, nego. Et vero Rex Juda non habebat pro ſolio Babylonem, quandoquidem erat captivus, & in terra aliena.

*Ad* tertiam probationem utique diſtinguo: Et Zorobabel filius Salathiel ſuum ducebat ortum ex Nathan, cuius pater Salathiel, extinctis in Jechonia ſucceſſoribus, in eorum locum ſucceſſerat, concedo: ortum ducebat ex Phadaia, qui lib. 1. Paralip. dicitur filius Jechoniæ, nego. Salathiel brevi tempore tenuit Ducatum, longiori ſane Zorobabel, ſed ipſe ortum ducebat ex Nathan, hinc a Jechoniæ domo excidit totaliter poteſtas, quod Prophetiæ Jeremiæ perfectam indigitat adimpletionem.

*Urgebis*; Non deſunt alia loca ejuſdem libri quæ quamdam præ ſe ferunt contradictionem: Ergo &c. Probatur antecedens cap. 34. verſ. 5. legitur: *Audi Verbum Domini Sedecia Rex Juda*: *hæc dicit Dominus ad te*: *non morieris in gladio*, *ſed in pace*. Atqui tamen, effoſſis oculis, Babylonem captivus ductus, ibi obiit: Igitur non in pace, ſed manu violenta ſibi illata.

*Reſpondeo* pro more diſtinguendo: Et propter oculorum plagam, non mortuus eſt Jechonias, concedo: & vi atque oculorum dolore correptus obiit, nego. Antequam Babylonem uſque perveneri Jechonias, iam jam ex plaga amiſerat oculos, poſtea tamen orbatus oculis vixit captivus annos circiter 38. aut 39. & in pace, immo cum honore ultimum clauſit diem, quandoquidem ex ordinatione Evilmerodac, ſub finem vitæ regiis donabatur honoribus, tum in lectulo defunctus eſt. Nihil igitur abſurdi continet Jeremiæ vaticinium.

*Perſiſtes*: Cap. 25. Joachin dicitur regnaſſe annis quatuor, & tamen Daniel cap. 11. captus eſt an. 3. regni ſui: Igitur non tamdiu regnavit ut ſcripſit Jeremias. II. Cap. 36. verſ. 30. habetur: *Hæc dicit Dominus contra Joachin Regem Juda*: *Non erit ex eo qui ſedeat ſuper ſolium David*; & tamen lib. 4. Reg. cap. 24. verſ. 6. legitur: *Regnavit Joachin filius ejus pro eo*: Ergo &c.

*Reſpondeo* ad primum, leviſſimam eſſe diſcrepantiam; unus enim vel alter annus veluti pro nihilo in Chronologia habetur; maxime vero cum Hiſtoriographi inter ſe diſſentiant in circumſtantiis temporum & factorum. Dico ſecundo, Joachin regnaſſe annos ſeptem, ut habetur lib. 4.

Reg.

Reg. cujus annos Daniel & Ieremias non eodem modo numerant. Ieremias videtur numerasse ab anno primo quo primum regnavit; Daniel vero ab anno quo Ioachin constitutus est Rex a Nabuchodonosor cui tribus annis servivit, unde Jeremias cap. 25. vers. 1. annum Joachin quartum conjungit cum primo, quo confirmatus est Rex a Nabuchodonosor, & sic omnia concordant.

*Ad* secundum distinguo: Et hoc dictum est ratione Ioachin filii Joachin in quo cessaverunt Reges Juda, concedo: ratione ipsius Ioachin, nego. Hoc ipsum conciliatur ex eo quod Ioachin e sede regali propter ejus adversus Nabuchodonosor rebellionem ab isto Imperatore deturbatus sit, & filius ejus Joachin in patris locum suffectus sit.

*Replicabis*: Quædam adhuc ita pugnantia sunt in capite 37. & 38. ut a libro Canonico prorsus eliminanda sint: Igitur saltem quoad omnes partes liber Jeremiæ non est inspiratus. Probatur subsumptum. In priori loco v. 13. Jeremias comprehensus dicitur, eo quod ad Chaldæos profugere videretur: sic enim habetur: *Ad Chaldæos profugis. Et respondit Jeremias: Falsum est, non fugio ad Chaldæos. Et non audivit eum; sed comprehendit Jerias Jeremiam, & adduxit eum ad Principes: quamobrem irati Principes contra Jeremiam, cæsum eum miserunt in carcerem, qui erat in domo Jonathan Scribæ*. Posteriori vero capite Jeremias ad vestibulum carceris jussu Sedeciæ positus, cum populo suaderet, ut, relicta civitate, salutem ad Chaldæos fugiendo quærerent, detrusus est in lacum lutulentum Melchiæ: *Quicumque manserit in civitate hac, morietur gladio, & fame, & peste; qui autem profugerit ad Chaldæos, vivet .... Et dixerunt Principes Regi: Rogamus ut occidatur homo iste, de industria enim dissolvit manus virorum bellantium qui remanserunt in civitate hac*: Ergo &c.

*Confirmatur* I. Postremum caput libri Jeremiæ non est ejus fœtus, quippe quod e duobus ultimis capitibus lib. 4. Regum totum fere depromptum sit: Igitur non sine veritatis dispendio opus Jeremiæ tribuitur. II. Neque vero etiam satis constat Threnos ad Jeremiam pertinere.

*Respondeo* negando antecedens: Ad probationem distinguo: Et contenta in laudatis capitibus diversas circumstantias diversæ incarcerationis Jeremiæ referunt, concedo: unam & eandem ejusdem incarcerationis enarrant historiam, nego. Et sic vel umbra quidem contradictionis non est. Et vero in capite 37. habetur Principes adversus Jeremiam iratos eum cæsum misisse in carcerem Jonathan Scribæ, eo quod ad Chaldæos ipsum confugere autumarent: *Itaque ingressus est Jeremias in domum Laci, & in ergastulum; & sedit ibi Jeremias diebus multis*. Tum Sedecias advocavit eum ad se, ut in secreto ei ventura mala Ierusalem aperiret, adductus rogavit Regem ne in carcerem Jonathan iterum detruderetur; cujus votis annuens Rex jussit ut in carceris vestibulo commoraretur: *Mittens autem Sedecias Rex tulit eum; & interrogavit eum in domo sua abscondite, & dixit: putasne est sermo a Domino? Et dixit Jeremias: est .... Nunc ergo audi, obsecro, Domine, mi, ex: valeat deprecatio mea in conspectu tuo, & ne me remittas in domum Jonathæ Scribæ, ne moriar ibi. Præcepit ergo Rex Sedecias ut traderetur Jeremias in vestibulo carceris, & daretur ei torta panis quotidie*.

*Capite* sequenti Jeremias prædicando in Jerusalem suadet populo, ut, relicta civitate brevi incendenda, ad Chaldæos ad salvandam vitam confugeret, sed de hoc commoti Principes postulaverunt a Rege ut occideretur Jeremias, qui & missus est in lacum Melchiæ a priori diversum: *Rogamus*, aiunt, *ut occidatur homo iste .. .. Et dixit Rex Sedecias: Ecce ipse in manibus vestris est: nec enim fas est Regem vobis quicquam negare. Tulerunt ergo Jeremiam & projecerunt eum in lacum Melchiæ filii Himelech, qui erat in vestibulo carceris, & submiserunt Jeremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua sed lutum*. Primum igitur missus est Jeremias in lacum Jonathan, eo quod Principes eum ad Chaldæos confugere crederent: tum in lacum luti Melchiæ, quia populo dederat consilium ut de civitate pro vita conservanda ad Chaldæos confugerent.

*Ad* confirmationem dico Jeremiam spiritu prophetico cuncta prænoscentem potuisse eadem scribere postremo capite quæ

in duobus postremis libri quarti Regum referuntur: sed dato & non concesso illud caput non esse Jeremiæ fœtum, a Baruco post ejus obitum addi potuit, vel etiam ab Esdra, ut esset argumentum sequentium lamentationum Jeremiæ, adeoque & quid sacrum, cum & contenta, scripta sint a Prophetis.

*Ad* alteram confirmationem dico, Threnos juxta sanctorum Doctorem placita, & Ecclesiæ definitionem habere pro auctore Jeremiam. Hoc ipsum subindigitat styli cognatio; hoc annuntiant locutiones similes in vaticiniorum libro, & in Lamentationibus; hoc declarat Præfatio Threnis præfixa in LXX. Interpretum editione: hoc demum non levius aperiunt ista lib. 2. Paral. 35. 25. verba: *Universus Juda & Jerusalem luxerunt eum; Jeremias maxime: cujus omnes cantores atque cantatrices usque in præsentem diem Lamentationes super Josiam replicant; & quasi lex obtinuit in Israel: Ecce scriptum fertur in Lamentationibus*. Quæ quidem Josephus lib. 10. Antiq. cap. 6. & S. Hieronymus in Proemio Lamentationum, de ipsis, qui supersunt Jeremiæ Threnis intellexere. *Rabbi Solomech*, aliique ex Hebræis, lugubre carmen in Josiæ funere a Jeremia editum quarto Lament. capite aiunt contineri, atque id maxime demonstrari hoc versu: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus, in umbra tua vivemus in gentibus*.

*Dices* contra librum Baruch: Volumen illud non videtur esse canonicum: Et probatur multis momentis. Primo quidem, tempore sancti Hieronymi non extabat codex hebraicus hujusce libri. Secundo, teste eodem Hieronymo, ille liber non invenitur in Canone Judæorum, sicut nec Jeremiæ oratio. Tertio, Baruch dicit se anno quinto venisse Babylonem, urbe Jerosolyma jam diruta, & tamen postea inducit Judæos ad sacrificium in Templo offerendum paratos, quod certe implicat, quando quidem 4. Reg. 25. vers. 9. Templum erat combustum. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad primam probationem distinguo, Non extabat tempore D. Hieronymi codex hebraicus textum Baruch complectens, decursu tamen temporis postea inventus est, concedo; & non inventus est, nego. Omnes norunt tempore captivitatis Babylonicæ sacros Libros hinc inde fuisse dispersos, qui tametsi per Esdram collecti, ingruentibus iterum atque iterum bellis, & vastato per Romanos Græcorum Imperio, iterum textus sacri ubique diffusi etiam propter metum Paganorum, multis occulti & absconditi erant: hinc Christianorum oculos etiam molitione Judæorum in odium Religionis ex parte fugerunt: at toto orbe in pace Christi & composito, & firmato, in lucem gradatim omnes prodiere. Non unum est pro textu Baruch testimonium, & non sine fundamento sacra Synodus Trid. in sacrarum Scripturarum canonem illum sicut orationem Jeremiæ adscivit.

*Ad* secundam probationem patet responsio cur in Proto-canone & liber Baruch & Jeremiæ oratio non reperiantur: quia videlicet Scripturæ sacræ multa passæ fuerant naufragia, idcirco non nisi decursu temporum inventæ, postea suo in loco & ordine repositæ sunt.

*Ad* tertiam probationem distinguo: Et Judæi tametsi Jerosolyma diruta, potuerunt aliquem Templi ex dilapidatione superstitem locum purgare, & ibi altare erigere, ut Deo Optimo Maximo sacrificarent, concedo: & hoc non ita factum est, nego. Jacob erexit lapidem in titulum, sicut & altare in loco ubi viderat Dominum; Machabæi vero fugatis & profligatis inimicis Jerosolymam ingressi, Templum a profanationibus purgarunt, & ibi ædificato altari, sacrificium Domino obtulerunt; quidni & fecerint altera vice, sicut enarrat Baruch?

*Difficultates de Ezechielis volumine proponuntur.*

Repones: Ezechiel suum librum sic primum scribit: *Et factum est in trigesimo anno, in quarto, in quinto die mensis, cum essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar*. In isto initio duo non cohærent Primo quidem veluti multa alia suppo- nit: *Et factum est*; namque particula *&*, hoc sonat. Sic enim, omissis antecedentibus, Lector ea quæ vult Propheta dicere non capit, quod sane libro a Spiri-

Spiritu sancto dictato, minime convenit.

*Secundo*; Trigesimum annum in trigesimo anno notat, sed & hoc aut bathalogiam, contradictionem & obscuritatem intellectu difficilem spirat: Ergo &c.

*Respondeo* ad primum, particulam *&*, juxta linguæ sacræ Doctores ornatus locum obtinere, quod non unum probat exemplum. Eodem quippe modo incipit liber Josue, tum prophetia Jonæ, & liber primus Machabæorum, vel etiam dici potest Prophetam de multis aliis in oratione & raptu edoctum fuisse; quia vero mysteria Regis supremi abscondere bonum erat, hinc ea supponendo, propter connexionem rerum revelatarum subtexuit sic loquendo, *& factum est*. Sic Paulus asserit multa audivisse in raptu, quæ non licebat hominibus loqui: quocirca revelationem sibi factam fuisse dixit, sed quæ voluit, & non omnia manifestavit.

*Ad* secundum, trigesimus initio prophetiæ annus laudatus ætatem Prophetæ denotat, ita ut sensus sit, Ezechiel 34. annis natus prophetare cœpit. Sic respondet S. Hier. Præfat. in Ezechielem 1. cum enim singulas subnotent Prophetæ circumstantias, non mirum si qua ætate vaticinia protulerint, scribant ad majorem prophetiarum certitudinem; pari & consimili modo Jeremias potuit se ab adolescentia prophetasse.

*Instabis*: Ezechiel cap. 17. prænuntiat Sedeciam Babylonem ducendum, & tamen Josephus lib. 10. ant. cap. 10. scribit Ezechielem prædixisse futurum ut Sedecias Babylonem non videret: quæ duo pugnant adinvicem. Rursus cap. 18. 20. ait: *Filius non portabit iniquitatem patris*; & tamen Exodi 34. contrarium legitur: *Dominator Domine Deus ... qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem*; Ergo &c.

*Respondeo* ad primum, Sedeciam adductum fuisse Babylonem, sed oculis prius effossis, hinc tametsi commoraretur ibi captivus, non tamen civitatem vidit.

*Ad* aliud momentum distinguo: Filius non portabit iniquitatem patris quoad pœnam æternam, si non sit sceleris paterni conscius, concedo: si sit nego: quia tamen filius est aliquid patris, quandoque Deus flagellis temporalibus visitat ad quartam usque generationem iniquitatem patris in nepotibus: & sic utraque conciliatur Scriptura.

*Fit satis objectionibus quæ militant contra Danielis volumen.*

Objices, Tria capita videlicet, de historia Susannæ, draconis, & hymni puerorum a multis non sine fundamento revocantur in dubium: Igitur liber Danielis saltem quoad omnes partes non est sacer. Probatur antecedens: Sic propugnat Hieronymus in Præfat. ad Danielis librum: quinimmo, tria illa capita fabularum nomine vocat. Concinit Julius Africanus apud Eusebium lib. 6. Hist. Eccles. cap. 23. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad primam probationem distinguo: Et S. Hieronymus juxta aliorum placita loquitur, concedo: secundum propriam sententiam, nego. Namque in Apologia 2. contra Rufinum versus finem, ait se non dissentire seu retractare quod in Prologis dixerat, sed solummodo Judæorum referre opinionem: porro in Prologis agnoscit capita laudata veluti Scripturam inspiratam, cui subscribunt alii Patres, quorum auctoritatem supra retulimus. Non abs re erit hic referre verba S. Hieronymi: "De Daniele autem breviter respondeo, me non negasse eum Prophetam, quem statim in fronte Prologi Prophetam esse confessus sum; sed quid Hebræi dicerent, & quibus argumentis suam niterentur probare sententiam, voluisse monstrare, & docuisse Lectorem, Ecclesias Christi hunc Prophetam juxta Theodotionem legere, & non juxta Septuaginta translatores . . . quod autem refero, quid adversum Susannæ historiam, & hymnum trium puerorum, & Belis draconisque fabulas quæ in volumine hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere: qui me criminatur stultum, se sycophantem probat. Non enim quidquid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere solent explicavi." Cæterum dato & non concesso, sanctum Hieronymum locutum fuisse in propria sententia, cum nubem testium, quibus accessit definitio Ecclesiæ habeamus pro momentis laudatis, citra dubium est librum Da-

„ nielis quoad omnes partes esse canonicum : nec quicquam virium habet objectio ex S. Isidoro Hispalensi deprompta dicente : " Ezechiel & Daniel a viris „ quibusdam sapientibus scripti esse perhi„ bentur " Hoc unum quippe probat, volumen Danielis a quibusdam hebraice fuisse scriptum, quod ipse chaldaice scripserat. Incassum etiam auctor synopsis sub S. Athanasii nomine editę librum Danielis inter libros apocryphos recenset; loquitur enim de alio libro, falso isti Prophetæ attributo, sicut aliæ scriptiones sacris auctoribus veteris & novi Testamenti suppositæ sunt, quæ ab eodem auctore in Apocryphorum classem merito rejiciuntur: huiusmodi fuere somnialia scripta, falso Danielis nomine titulata, de quibus *cap. non observetis* apud Gratianum causa 26. quæst. 7.

*Ad* confirmationem distinguo: Hieronymus vocat tria capita fabulas, hoc est, factorum enarrationes, concedo: hoc enim nomine non semel celebrantur historiæ: sic Luc. 24. habetur Christum se junxisse Discipulis Emmaus *dum fabularentur*, hoc est, cum historiam Passionis Domini enarrarent; hinc & Clemens Alex. apud Eusebium lib. 3. Hist. Eccl. cap. 23. narrationes fabulas vocat. Et Hieronymus per vocem *fabulas*, intelligit quid fictitium, nego: alias sibi ipsi & aliis SS. Doctoribus contradiceret.

*Insistes*: In historia Susannæ cap. 13. Daniel veluti puer legitur & judicat; & tamen cap. 6. altero priore, vocatur unus ex primis Satrapis Darii Medii, adeoque & vir ætate provectus: Sed ista duo opponuntur: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo anteced. Et capita sunt interposita, atque loco immutata, concedo: & non sunt interposita, nego. Namque caput 13. Vulgatæ est apud Græcos primum: quia vero Latini invenerunt tria capita dubia, illa separatim posuerunt post duodecim prima capita, ut Lector intelligeret ea non esse apud Hebræos, saltem publica, hoc est, in Deutero-canone.

*Urgebis*: Atqui apparet eadem contradictio in aliis textibus: Ergo: &c. Probatur anteceden. Historia Susannę contigit initio regni Cyri Regis Persarum: sic enim concluditur cap. 13. *Et Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum ejus*. Igitur ex illo capite sequitur Danielem tempore Cyri adhuc puerum extitisse: Sed & hoc veritati non consonat, quandoquidem ipse Daniel a Nabuchodonosor cum Jechonia translatus est. Porro a Nabuchodonosor usque ad Cyrum decem fluxerunt anni, ut patet ex lib. 1. Esdræ, cap. 1. quocirca Daniel tunc temporis annis circiter 80. vel 90. provectus erat. Ergo &c. Iterum ibidem occurrit alia contradictio: namque Daniel tempore Nabuchodonosor non puer, sed potius senio confectus etiam e vita migraverat. Et vero Ezechiel prophetavit tempore Nabuchodonosor, anno scilicet quinto transmigrationis, ut habetur Ezecbil 14. 20. ubi hæc leguntur: Si tres viri isti: *Noe*, *Daniel*, *& Job*, *fuerint in medio ejus*: *vivo ego*, *dicit Dominus Deus*, *quia filium & filiam non liberabunt*; igitur Daniel tunc habuerat filios & filias, sicut & Noe & Job: adeoque etiam mortuus, & isti defuncti erant: Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad primam probationem distinguo: Et tunc Daniel erat puer cum translatus est, quocirca & de illo ut puero scribit Ezechiel, concedo: secus, nego. Nec requiritur quod baberet filios, quandoquidem Ezechiel hypothetice loquitur, videlicet, & supposito quod habuisset filios, ne quidem de miseriis & calamitatibus propter peccata populi ingruentibus, eos solvere posset, eo quod Deus de peccatis vindictam sumere ratus non audivisset deprecautium orationem. Quia vero Daniel percelebris & admodum illustris in toto haberetur imperio, ideo Ezechiel illum cum Noe & Job conjungit, ut intelligerent Judæi Deum ita esse exacerbatum, ut ipse Daniel quantumvis & pietate & dignitate præfulgens, sicut Noe & Job eos a pœnis eripere non valerent.

*Persistes*: Ecce altera in eodem libro contradictio: Ergo &c. Probatur antecedens: Quæ dicuntur cap. 14. de Daniele misso in lacum, pugnant cum iis quæ dicuntur cap. 6. namque in isto capite Daniel dicitur fuisse una tantum nocte in lacu: cap. vero 14. ibi sex permansisse diebus & totidem noctibus traditur: immo cap. 13. legitur Habacuc prandium Danieli

nieli in lacu leonum degenti attulisse. Porro Habacuc regnante Manasse vaticinatus est, ut graves propugnant auctores; ab illo autem usque ad Cyrum, quo tempore Daniel missus est in lacum, plusquam 140. anni intercesserunt: quomodo igitur fieri potuit Habacuc prandium tulisse Danieli.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem distinguo: Et Daniel qui missus fuerat in lacum tempore Cyri, alius est ab eo qui coniectus fuit in lacum leonum tempore Darii, concedo: & idem unus est, nego. Primus erat ex Tribu Juda oriundus, qui & a Nabucodonosor translatus fuerat, quique liberavit castam Susannam e senum iniquorum manibus, & tempore Cyri florebat: Alter vero erat de Tribu Levi. Sic censet Hieronymus Præf. in Daniel. & Lxx. Interpretes.

*Dices*: Tria capita de quibus supra, non inveniuntur in textu originali Hebræo: Ergo &c.

*Respondeo* I. neque istam Christi sententiam Matth. 23. 35. qua Christus exprobat Judæis omnes Prophetas occidisse ab Abel usque ad Zachariam, quem inter Templum & altare interfecerant: nec istam quoque Epistolæ Heb. cap. 11. *Alii vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt &c.* Igitur ex eo quod aliqua in Hebræo desiderentur, non ideo abiici debent, cum alias Traditione teneantur. Idem dicendum in facto præsenti.

*Respondeo* II. Capita laudata hebraice fuisse conscripta, cum locutiones hebraicas non semel præ se ferant; factum est autem propter varias captivitates, ut Libri sacri diversa subirent naufragia: Postea vero aliqua hebræi textus fragmenta de tribus laudatis capitibus adinventa sunt, & cætero textui fuerunt adjuncta.

*Respondet* Origenes epist. ad African. historiam Susannæ primitus fuisse in codicibus hebræis, sed Judæos illam expunxisse: *Quæcumque enim poterant, de iis, quæ seniorum & Principum accusationem aliquam continebant, ea sustulerunt a cognitione, ne vel ipsi in suspicionem iniquorum judicum & malorum hominum venirent.*

*Dices* II. Multa in libro Daniel incredibilia narrantur: Ergo &c. Probatur antecedens. Primoquidem, quod Joachimus esset admodum dives: fieri autem non potest captivum divitiis affluere. Secundo, quod Judices tunc temporis duo constituti fuissent: sed & hoc implicat, non enim captivis & exulibus competit potestatem in terra aliena judicandi habere: Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad primum, nego captivos omnes bonis fuisse spoliatos; neque enim & de Tobia, & de Nehemia Pincerna Regis, & de Mardochæo Estheris Reginæ avunculo, adeoque nec de Ioachin dici potest; maxime vero cum ipse Jechonias regiis honoribus Babylone ab Evilmerodac donatus sit.

*Ad* secundum dico, Judæos, annuentibus Chaldæis & postea Persis habuisse licentiam exercendi judiciariam potestatem in his quæ Religionem spectabant. Sic censet Origines epist. ad Julium Africanum.

*Repones*: Auctor historiæ Susannæ inducit Danielem cap. 13. ut virum Græcum, quippe qui ex græcis vocabulis etymologias ducat. Et vero uni ex senibus pudicitiæ Susannæ insidiantibus dicenti se vidisse Susannam peccantem sub schino, Daniel ex illa voce σχῖνος, quæ latine *Lentiscum* significat, alludens ad verbum græcum σχίζειν, quod significat *scindere*, statim intorsit: *Recte mentitus es in caput tuum: ecce enim Angelus Dei, accepta sententia ab eo, scindet te medium.* Alteri seni dicenti se vidisse Susannam peccantem sub primo, qui latine significat *ilicem*, allusit Daniel statim ab arbore primi ad actionem secandi, nam πρῖνος, est arbor & πρίειν, idem est ac secare; quocirca dixit ei Daniel: *Recte mentitus & tu in caput tuum: manet enim Angelus Domini gladium habens, ut secet te medium, & interficiat vos.* Eo loci ex Græcis arborum nominibus genus pœnæ in reos senes derivat Daniel; quod quidem veritati parum consonat, cum Propheta hebraice solum & chaldaice loqueretur.

*Respondet* Origenes, Danielem non nisi Linguæ Chaldaicæ, cujus, jussu Nabuchodonosor fuerat imbutus, etymologiis usum fuisse, quas postea Interpres Græcus allusionibus sibi propriis expressit, quod quidem in optimo interpretandi genere fieri solemne est.

SE-

## SECTIO QUARTA.

*De minoribus Prophetis.*

### §. I.

*Analysis historia.*

DUODECIM numerantur Prophetæ minores, scilicet Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Aggæus, Zacharias, & Malachias.

I. *Oseas* describit idololatriam populi, ipsius punitionem sub figura meretricis, quam ducit Deo jubente in uxorem; habet XIV. capita.

I. JONAS loquitur de pœnitentia Ninivitarum præfigurante salutem gentium: sic cæteri cum eo deplorant peccata Judæorum, minantur iram Dei, prænuntiant modo punitionem & desolationem, modo etiam consolationem per adventum Christi, tum primum, tum secundum adimplendam. *Jonas* in ventre piscis conclusus, & postea ab eo solutus, fuit typus sepulturæ & resurrectionis Christi. Ejus liber quatuor constat capitibus.

II. *Joel*, non notavit tempus quo vaticinatus est: multi volunt Prophetiæ suæ oracula tempore Joram emisisse, eo quod isto potissimum tempore contigerit fames de qua apud Joel fit sermo. Huetius contendit Joel vaticinatum fuisse post adductos Israelitas captivos in Assyriam & Mediam. Hoc ipsum colligit ex Cap. 3. v. 2. ubi habetur: *Congregabo omnes gentes*. Ejus volumen III. clauditur capitibus.

III. *Amos*, Pastor Thecuita vaticinatus est sub Ozia & Jeroboam, biennio ante terræ motum, cujus meminit Zacharias cap. 14. v. 15. qui quidem motus contigisse dicitur cum Ozias Sacerdotale munus usurpavit circa annum 3214. mundi. Auctor se prodit cap. 4. & 8. citatur apud Tobiam cap. 2. v. 5. & lib. 1. Machab. cap. 1. v. 41. liber novem habet capita.

IV. *Abdias*, non notavit tempus vaticinationis suæ, sed antiquus est Propheta, namque citatur apud Jeremiam cap. 49. quidam credunt ipsum fuisse qui Prophetas 100. metu Jezabel in speluncis absconditos pavit. Hoc ipsum infertur ex lib. 3. Reg. cap. 18. non tamen una est circa hoc factum opinio; quidam enim contendunt eum, qui hanc erga Prophetas habuit & humanitatem & charitatem, se ipsum non fuisse Prophetam. Unico capite liber Abdiæ continetur.

V. *Neque* Jonas tempus quo prophetavit, determinat; spectat tamen Oziæ & Jeroboam ætates. De Jona fit mentio lib. 4. Reg. sicut & de ejus Prophetiis Tobiæ 19. v. 16. Tum in Evangelio Matthæi & Lucæ. Solus fuit Propheta Domini ad Gentiles missus.

VI. *Michæas* Morastites non idem est ac alius ejusdem nominis Propheta longe antiquior. Vaticinatus est Jonathan, Achaz, & Ezechia regnantibus, anno mundi 3236. ante Christum 750. auctor se prodit cap. 2. v. 3. Extat egregium apud Jeremiam cap. 26. 18. de Michæa testimonium, his verbis complexum: *Michæas de Morasthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ Regis Juda, & ait ad omnem populum Juda, dicens: Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Sion quasi ager arabitur: Et Jerusalem in acervum lapidum erit.* Michææ sententias expressit Sophronius lib. 9. v. 19. hunc citat S. Matthæus, hunc Joannes: Christus ipse Matth. 10. 33. utitur ejus verbis: Opus septem habet capita

VII. *Nahum* Elcesæus non præfixit suæ vaticinationi tempus. Hieronymus illam refert ad Ezechiæ tempora circa annum mundi 3262. cum jam decem Tribus translatæ erant. Prophetia tribus capitibus constat.

VIII. *Habacuc*, nec tempus vaticinationis suæ, nec patriam notavit; vaticinatus est multo tempore antequam Judæi a Chaldæis & superarentur & subjugarentur: Probabile est scripsisse versus prima Manassis Regis tempora, cujus quidem Regis peccata videtur perstringere cap. 2. v. 12. hoc est, circa annum mundi 3390. antequam Manasses Babylonem captivus abduceretur: iste monita Prophetæ flocci faciens, victus a Chaldæis captivus factus est, sed pœnitentia ductus, Deo adjuvante liberatus est. Auctor se prodit cap. 2. v. 2. Nonnullas Habacuc sententias imitati sunt Jeremias & Ezechiel. Citatur a divo Paulo.

IX. *Sophonias* filius Cusi Regis, an al-

terius, incertum est : Sed Ezechiæ pronepos erat. Vaticinatus est, regnante Josia, sub initium ejusdem Regni, hoc est tempore Jeremiæ : quædam iste & Ezechiel ex illo deprompserunt. Ejus volumen tria capita præ se fert.

X. *Aggeus* scripsit an. 2. Darii mense 6. hortatur Judæos ad restaurandum Templum, prædicit majorem futuri Templi quam præsentis gloriam, quod quidem de Ecclesia per Christum condenda intelligitur. Duo habet capita ejus volumen.

XI. *Zacharias* filius Barachiæ & nepos Abdo non illius qui ad Jeroboam sacrificantem in Bethel missus, futuram Aræ destructionem prædixit. Ista enim sententia, non est satis probabilis, namque inter avum & nepotem intercedunt plusquam 450. anni. Sit ne ille de quo Christus loquitur Matt. 23. inter auctores controvertitur. Probabilis est opinio S. Hieronymi lib. 4. comm. in cap. 23. Matth. qui Zachariam occisum inter Templum & altare, non alium esse putat, quam illum qui in atrio Templi jussu Joas necatus est, ut habetur in libro Paralip. Auctor se ipsum prodit Cap. 2. Illius meminit Esdras : de eodem recordatur cap. 1. Matthæus. Multę circumferuntur controversiæ de regno, de imperiis & gestis, de quibus Prophetæ scripserunt. Zachariæ liber XIV. capita continet.

XII. *Malachias* Prophetarum ultimus, instaurato jam Templo scripsit. Cap. 1. v. 7. appellatur Angelus, sed spiritu & moribus intellige. Origines absque fundamento, immo nec sine errore putavit Malachiam verum fuisse Angelum, idem sed absurde de Melchisedech, & de beato Joanne Baptista opinatus est.

*Malachias* tot mira prædixit, ut ea paululum delibare juvet. Jam instaurato per Zorobabelem Hierosolymę Templo, restaurataque Judæorum republica prophetare cœpit. Perstringit ingratitudinem Judæorum, qui beneficia Dei cultu & amore debito recolere non studebant, in primis vero Sacerdotum arguit socordiam & impietatem, arguit eorum sacrificia pravis cum dispositionibus oblata & flocci facit; tum cap. 1. v. 10. & 11. sacrificium longe purius, excellentius & efficacius in nova lege offerendum prędicit, quod sancti Patres de sacrificio incruento Eucharistiæ intelligendum esse propugnat. Deus per Prophetam malos veteris legis Sacerdotes sic alloquitur : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exertituum : et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus : et in omni loco sancrificatur et offertur nomini meo oblatio munda*. Duplicem prænuntiat Malachias Christi adventum, unum quidem ad salvandos homines, alterum vero ad eosdem judicandos. Cap. 3. dicit prioris præcursorem sanctum Joannem Baptistam, posterioris, Eliam implicite indicat. Jam sit

§. II.

*Sanctitas Librorum ostenditur.*

Illi libri sunt sacri, qui in canone Synagogæ & Christi Ecclesiæ ne uno quidem excepto reperiuntur : quorum sententiæ in testimonium veritatis astruendæ in urroque Testamento adducuntur ; quos SS. Patres & Doctores ut sanctos habent & laudant : Atqui res sic se habet pro libris minorum Prophetarum : & probatur ab enumeratione partium.

*Oseas* : S. Hieronymus commen. cap. 1. divus Augustinus lib. 18. de civ. cap. 28. Oseam prophetasse asserunt. Revera quidem cap. 6. 3. vaticinatur de Christi resurrectione. Cap. 11. de fuga in Ægyptum & reditu, his verbis: *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Quam sententiam laudat S. Matth. cap. 2. 15. & Christo applicat.

*Joel*: S. Hieronymus meminit hujus Prophetæ Præf. in Joel. Meminit Theodoretus etiam Præf. in Joel. Christum designat ille Propheta cap. 2. 23. his verbis : *Filii Sion exultate, et lętamini in Domino Deo vestro : quia dedit vobis Doctorem justitię*.

*Amos* : Hieronymus comm. in Amos similiter & Theodoretus comment. in eumdem, Augustinus lib. 18. de civ. cap. 18. illum agnoscunt ut verum Prophetam : Auctor lib. Tobię cap. 2. 5. & 6. laudat sententiam Amos his verbis : *Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu et tremore ; memorans illum sermonem quem dixit*

*dixit Dominus per Amos Prophetam : Dies Festi vestri convertentur in lamentationem & luctum* . Ille Propheta egregium profert de Christo vaticinium cap. 9. 11. *In die illa* , inquit , *suscitabo Tabernaculum David , quod cecidit , & reædificabo aperturas murorum ejus* ; quod S. Jacobus Act. 15. 14. interpretatur de Christo & vocatione gentium.

*Abdias* : Clemens Alex. lib. 1. Strom. & Eusebius in chronico Abdiam ut Prophetam celebrant. Ejus volumen unum habet caput, ut dictum est. Vers. 17. de Christo & Ecclesia hæc mira prænunciat: *Et in monte Sion erit salvatio , & erit sanctus : & possidebit domus Jacob eos qui se possederant.* Ad prima verba attendit Matth. cap. 1. 21. Josepho ait Angelus de Christo : *Vocabis nomen ejus Jesum : Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* : Ad postrema vero S. Lucas cap. 1. 33. *Et regnabit in domo Jacob in æternum , & regni ejus non erit finis.*

*Jonas* : Theodoretus Prol. in Jonam uti Prophetam illum habet ; fuit Christi figura : hoc enim de illo vel ipse Dominus reddit testimonium Matth. 12. 39. 40. 41. his verbis: *Generatio mala , & adultera signum quærit ; & signum non dabitur ei , nisi signum Jonæ Prophetæ . Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus , & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.*

*Michæas* : S. Hieronymus in comm. sicut & alii SS. Doctores non silent istum Prophetam , qui plenus Spiritu sancto hoc mirum de Christo & Ecclesia intonuit oraculum : Cap. 4. *Et erit in novissimo dierum , erit mons domus Domini præparatus in vertice montium , & sublimis super colles ; & fluent ad eum populi.* Tum & istud a S. Matth. cap. 2. 6. citatum , & ab ipsis Scribis & Sacerdotibus celebratum pro indicando Magis loco ubi Christus nasceretur . *Audiens autem Herodes Rex turbatus est & omnis Jerosolyma cum illo . Et congregans omnes Principes Sacerdotum , & Scribas populi , sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur . At illi dixerunt ei : in Bethlehem Judæ : sic enim scriptum est per Prophetam : Et tu Bethlehem terra Juda , nequaquam minima es in principibus Juda : Ex te enim exiet Dux , qui regat populum meum Israel* . Scriptum est Micheæ cap. 5. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda : Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel , & egressus ejus ab initio , a diebus æternitatis.*

*Nahum* : Hunc inter Prophetas annumerant Eusebius , Hieronymus , S. Aug. lib. 18. de civ. cap. 31. ante ipsos Josephus lib. ant. cap. 11. & Clemens Alex. lib. 1. strom. Ad Ecclesiam spectat illud quod dicit cap. 1. 15. *Ecce super montes pedes evangelizantis , & annuntiantis pacem: celebra Juda festivitates tuas , & redde vota tua : quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial : universus interiit.*

*Habacuc* , A Doctoribus citatis celebratur ut Propheta , maxime ab Aug. lib. 18. de civ. cap. 33. quippequi futura abscondita soli Deo nota , adeoque & solo afflante eructaverit ; præcipue vero Messiæ adventum , cap. 2. 3. *Apparebit in finem , & non mentietur : si moram fecerit expecta illum : quia veniens veniet , et non tardabit* . Tum cap. 3. *Domine opus tuum , in medio annorum vivifica illud.*

*Sophonias* : Sanctus Hieronymus & alii suum addunt calculum propheticis Sophoniæ , cum non nisi afflante Spiritu sancto hoc præclarum de Christo & Ecclesia potuit prodere vaticinium cap. 3. 11. *In die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis .... Lauda Sion : Jubila Israel , lætare et exulta in omni corde filia Jerusalem . Abstulit Dominus judicium tuum , avertit inimicos tuos: Rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra.*

*Aggæus* : Vel ipsa Scriptura meminit Aggæi ; sic enim habetur lib. 1. Esdræ cap. 5. 1. 2. his verbis : *Prophetaverunt autem Aggæus Propheta , et Zacharias filius Addo* . S. Augustinus lib. 18. de civ. cap. 35. tum Cyrillus Alex. comment. in ejus lib. habent illum ut Prophetam , S. Paulus Heb. 12. 26. hanc ab eo desumpsit sententiam pro Christo exaltando : *Cujus vox movit terram tunc : nunc autem repromittit , dicens : Adhuc semel : & ego movebo non solum terram , sed & cœlum* . In Aggæo habetur cap. 7. *Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est , et ego commovebo cœlum et terram.*

*Zacharias* : S. Hieronymus in interpretatione sua ad Hebraicam veritatem edita , illum ut verum Prophetam celebrat : sic quoque ventilatur lib. 1. Esdræ cap.

 5. mo-

5. modo citato. Bene multa & mira de Christo prenuntiat: Primo ejus adventum cap. 2. Tum cap. 3. ejus Sacerdotium, his verbis: *Ostendit mihi Dominus Jesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini ... Jesus erat indutus vestibus sordidis: & stabat ante faciem Angeli, qui respondit, auferte vestimenta sordida ab eo .... Quia ecce lapis, quem dedi coram Jesu*. Tertio, cap. 9. 10. ingressum ejus triumphalem super pullum asinæ, quem commemorat S. Matthæus cap. 21. citans Zachariæ locum.

*Malachias*: S. Cyrillus Alex. præf. in Malachie volumen, Augustinus lib. 18. de civ. cap. 35. Theodoretus pref. in cap. 1. Malach. & ante ipsos Justinus Dial. cum Triphone, Jreneus lib. 4. cap. 32. multa egregia de prophetiis Malachie Scribunt. Ecclesia in officio utitur illa mirabili de Christo prenuntiata Malach. 3. 2. 3. sententia: *Statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti quem vos vultis*. Ergo &c.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Libri Isaie, Jeremie, Ezechielis, Danielis, Osee &c. sunt sacri.*

PRIMO: Omnes sunt in Proto-canone, tum Judæorum, tum Christianorum, ut legere est in decreto Concilii Trid. de Scripturis sacris.

*Secundo*: Concinit traditio utriusque Ecclesie, Orientalis scilicet, & Occidentalis. Cyrillus Alex. in Prologo comment. S. Hieronymus pref. in Prophetas. Augustinus lib. 18. de civ. cap. 23. Origenes hom. 1. in Lev. Josephus lib. 10. cap. 12. & alii bene multi, nunc unum, nunc alterum ex his omnibus Prophetis commemorant.

*Tertio*: Non semel citantur isti Prophete in utroque Testamento; hinc Porphyrius & alii qui sanctitatem & inspirationem hujusmodi libris abjudicare tentarunt, ab Ecclesia ut homines detestabiles abjecti sunt.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Ultro fatemur nonnullas antylogias in historiis quas texunt Prophetæ quandoque inveniri, sed ut sæpius dictum est, attendendo ad antecedentia & consequentia facile conciliari propugnamus.

*Secundo*: Similiter & ordo temporum in factis referendis non semper servatur, sed & hoc ab authenticitate & Prophetiæ veracitate nihil detrahit, cum vel ipsi Chronologistæ in hoc puncto sæpius inter se discrepent: tum quia versio LXX. nonnumquam inverso ordine, immo vel ipsa Vulgata referunt facta, quod contigit propter acerbitatem captivitatum, quo tempore Scripturæ sacræ diversa passæ sunt naufragia; illis vero absolutis, eas, ut potuit Esdras, collegit; hinc fragmenta decursu ætatum inventa, ad corpus Scripturarum adjuncta sunt. Res claret in Jeremiæ Prophetia; ejus enim volumine jussu impii Regis combusto, iterum dictari oracula divina necesse fuit, quod quidem in angustia temporum sic factum est, ut ad ordinem factorum arithmeticam spectare non potuerit Scriptor canonicus.

*Tertio*: Eadem ratione parique facilitate solvitur difficultas, seu argumentum contra veracitatem historiæ Susannæ, Hymni puerorum, & Belis ex quibusdam Patribus & auctoribus petitum, qui de his momentis silent; cum enim fragmenta illorum historiam continentia citocitus non apparuerint, non mirum si in dubii suspicionem venerint: Sed Ecclesia tandem de singulis certior facta, ea ut saciam Scripturam in Concilio Trid. habenda esse dennivit. De Minoribus Prophetis in præsentiarum loqui supersedeo: cum eorum volumina universim a Synagoga & Ecclesia Christi, nullo contradicente, recepta sint.

## SECTIO QUINTA.

*De palmaribus vaticiniis Christum spectantibus.*

PROPHETÆ omnes, in hoc potissimum incumbebant, ut mores hominum probe

be instituerent, populum a peccatis committendis deterrerent, virtutem excolendam docerent; præcipue vero ut Redemptionem omnium, & singulorum hominum, vel etiam Gentilium per Christum operandam annuntiarent. Multa de ejus adventu, vita, morte, aliisque Incarnationis circumstantiis, dixerunt: Sed inter omnia eorum oracula, percelebre est illud quod de Virgine paritura emissum fuit ab Isaia cap. 7. v. 14. & istud a Daniele de 70. hebdomadibus abbreviatis Dan. 9. v. 24. & sequentibus. Solemnis est in Scholis de utroque vaticinio dissertatio: iis præ cæteris utuntur Controversistæ ad confundendum obstrepentes Judæos, ut deposito ex oculis mentis velamine, Christum Mediatorem Deum & hominem agnoscant. Quia vero nonnullæ occurrunt difficultates circa utrumque momentum solvendæ, operæ pretium est, prævia explicatione cujuslibet vaticinii ad singula respondere.

## PUNCTUM PRIMUM.

*Num illud Isaiæ 7. vaticinium*: ECCE VIRGO CONCIPIET; *sit in beatissima Virgine & Christo adimpletum?*

## CONCLUSIO.

*Oraculum de Virgine concipiente adimpletum est in beatissima Virgine & in Christo.*

Probatur multis momentis.

*Primo, ex explicatione Prophetiæ.*

ISTA Prophetia de ea intelligenda est persona, quæ, Virgine permanente, concepit & peperit filium, cui nomen Emmanuel a Deo impositum convenit: Atqui sola beatissima Maria, Virgo permanens concepit, & de ea sola hoc stupendum & demirandum miraculum prænuntiatum est: Ergo &c. Probatur minor. I. Non est uxor Achaz, quæ sic concepit, nec uxor Isaiæ, neutra enim Virgo permansit. II. Solus filius MARIÆ vocari debet Emmanuel, quæ quidem vox, interprete Isaia, significat *Emmanuel, nobiscum Deus*, quippequi ab eodem Isaia vocatur admirabilis, Deus, fortis, consiliarius, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, quæ dotes numquam dictæ sunt de aliis, bene vero, de CHRISTO. Ergo &c.

*Confirmatur*: Cum obsideretur Achaz a duobus Regibus, scilicet Rasin Rege Syriæ, & Phacee Rege Israel, ut habetur 4. Regum 16. & Isaiæ 7. dedit Isaias istud miraculum in liberationis argumentum: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium .... Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra ... a facie duorum Regum suorum*. Atqui uxorem Achaz, vel Isaiæ concipere & parere non est quid miraculosum: Igitur Isaias loquebatur tantum de sanctissima Virgine Maria.

*Confirmatur* secundo, evertendo fundamentum falsum Rabbinorum, qui dicunt, uxorem Achaz tunc fuisse sterilem, & victa divinitus sterilitate, Ezechiam filium peperisse, quod erat, inquiunt, signum liberationis, vel etiam miraculi, de quo Isaias loquitur: Sed istud non cohæret & Scripturæ, & historiæ: Ergo &c. Probatur minor: Repugnat quidem Scripturæ, secundum quam Ezechias natus est antequam Isaias hoc emitteret vaticinium: enim vero protulit anno secundo regni Regis Achaz, iam autem Ezechias attigerat annum ætatis suæ undecimum, namque Isaias hoc vaticinium pronuntiavit, vivente adhuc Phacee, ut constat ex libro 4. Regum cap. 16. Certum est etiam quod post annum secundum regni Achaz Phacee mortuus erat; regnavit enim in Samaria viginti tantum annis, ut habetur libro 4. Regum cap. 15. Achaz vero regnare cœpit in Juda anno 17. Regni Phacee filii Romeliæ Regis Israel. Demum constat Achaz regnasse sexdecim annis, sicut scriptum est 4. Regum 16. 2. Ezechias autem filius erat annorum 25. cum regno sui Patris Achaz successit, ut patet ex libro 4. Regum cap. 18. 2. Igitur jam annum ætatis suæ undecimum attigerat anno secundo regni Patris sui quando Isaias protulit vaticinium, quod evincit ratiocinium Judæorum repugnare & Scripturæ & historiæ, miraculumque non nisi de BEATISSIMA VIRGINE hominem Deum concipiente esse intelligendum.

*Secundo, ex convenientia utriusque Testamenti & ipsius Isaiæ explicatione, qui suum prodit sensum.*

HABEMUS utrumque pro explicatione Prophetiæ Testamentum; in novo quidem Lucæ I. *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur; & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; & regnabit in domo Jacob in æternum; & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Duo potissimum in his verbis subnotanda sunt, videlicet beatissimam Mariam suam illibatam servare velle virginitatem: deinde vero Angelum istud illi astruere promissum, dicendo nihil ipsi de hoc timendum esse, quippe quæ conceptura & paritura esset operatione Spiritus sancti hominem Deum. Concinit in his duobus privilegiis vetus Testamentum; Isaias enim primum prænuntiat his verbis: *Ecce virgo concipiet &c.* Alterum vero istis: *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel. . Deus, fortis &c.* Quo quidem oraculo clare prænuntiat Virginem concepturam Emmanuel. Et vero Christus generatione hominibus communi procreari non poterat; alias, quod absit dicere, fuisset sicut nos peccato originali fœdatus: Igitur juxta Isaiam, de Virgine illibata per Spiritus sancti operationem natus est.

*Idem* Isaias sic prædicat Christi divinitatem, & consequenter beatissimam Mariæ virginitatem, ut Judæi utrumque negando in meridie cæcutiant. Juvat aliquos Prophetæ textus hic recensere. Capite secundo sic intonat: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium . . . Elevabitur Dominus solus in die illa, et idola penitus conterentur.* Audis, in novissimis diebus præparatum montem, elevatum Dominum, scilicet Christum; audis idola contrita, ecce adventus Messiæ mirabilis effectus.

*Capite quarto*, v. 2. ait: *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria.* Capite 8. *Dominum exercituum ipsum sanctificate ... erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel.* Christus fuit in sanctificationem Gentilium qui in illum credidere; in lapidem vero offensionis Judæis, & Samaritanis, propter eorum incredulitatem.

*Egregium* est quod habetur cap. 9. 6. 7. *Parvulus enim natus est nobis . . . et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis.* Cap. 11. *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet & requiescet super eum Spiritus Domini*, Cap. 35. 5. *i eus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum &c.* Capite 40. *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini . . . . . . erunt prava in directa . . . . . Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet . . . . Sicut Pastor gregem suum pascet*, Cap. 45. 8. *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Denique cap. 60. 1. *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.* Quæ quidem omnia in uno solo Christo sic adunantur, ut teste S. Hier. epist. ad Paulinam cap. 7. & præfat. in Isaiam, non tam vaticinium, quam Christi Evangelium Propheta texuisse videatur: Ergo &c.

*Tertio, ex SS. PP. et Ecclesiæ Doctoribus.*

PATRES Scripturæ sacræ interpretes, ne uno quidem excepto illud oraculum: *Ecce Virgo concipiet etc.* DE SANCTISSIMA MARIA, quæ Virgo permanens peperit CHRISTUM, eodem veluti conspirante calamo scribunt, vel potius intelligunt.

*Instar* omnium sit Tertullianus, qui in Apo-

Apologetico & in libris septem adversus Marcionem luculentissimis argumentis probat Christum esse Messiam: libro vero 3. cap. 13. edit. Paris. 1634. Isaiæ oraculum sic explicat: " Et merito, *ait*, " præstruxit enim fidem incredibili rei, " rationem edendo, quod in signo esset " futura. Propterea, *inquit*, dabit vobis Dominus signum: *Ecce Virgo concipiet in utero, & pariet filium*. Signum " autem a Deo, nisi novitas aliqua monstruosa, tam dignum non fuisset. Denique & Judæi, si quando ad nos dejiciendos mentiri audent, quæ si non " virginem, sed juvenculam concepturam " & parituram Scriptura contineat, hinc " revincuntur, quod nihil signi videri possit res quotidiana, juvenculæ scilicet " prægnatus & partus: in signum ergo " disposita Virgo & Mater, merito creditur: Infans vero bellator non æque. " Huic traditioni accedit usus Ecclesiæ quæ eam prophetiam semper sic intellexit, & in una Missa in die nativitatis pro introitu habet.

S. *Thomas* egregie eamdem adimplet Provinciam commentario in cap. 7. & 8. Isaiæ: quia vero de sancti Doctoris auctoritate multus erit in solutione objectionum sermo, ejus textum brevitatis causa hic prætermittimus.

*Solvuntur objectiones quæ ex varia vocis Abhlmach significatione desumuntur.*

OBJICIUNT Judæi: In textu Hebraico legitur: *Ecce Abhhlmach concipiet*: Sed ista vox non virginem, sed adolescentulam juvenculam seu puellam, ut reddunt Symmacus, Aquila, & Theodotion, quam contendunt fuisse Achaz uxorem, quæ primum erat sterilis: Ergo &c.

*Respondeo* I. falsitatem minoris ex probationibus patere.

*Respondeo* II. distinguendo majorem: Et Septuaginta vertunt: *Ecce Virgo concipiet*. Et ut alii exponunt: *Intacta, & abscondita viro concipiet*, concedo: secus, nego. Concordat Vulgata. Vox igitur *Abhlmach* significat adolescentulam viro absconditam, adeoque formaliter virginem: nusquam vero adolescentulam ut sic, abstrahendo a virgine & uxore: unde S. Hieronymus comm. in caput 7. Isaiæ dicit non solum vocem prædictam Virginem non excludere, sed potius significare Virginem; non qualemcumque, sed ita absconditam, ut ne oculis quidem virorum patere vellet. Hoc ipsum constat exemplo Rebeccæ, Gen. 24. ubi appellatur Puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita viro: Igitur cum vox *Abhlmach* significet Virginem, & secundum alios, adolescentulam viris pœnitus absconditam, Prophetia de sola beatissima Virgine intelligi debet.

*Interpretatio* est S. Thomæ hic in caput 7. Isaiæ lect. 8. ubi primum refert objectionem, deinde vero his verbis sic respondet, " Dicendum, quod nullum signum " esset, si juvencula concepisset, & etiam virgo corrupta. Dominus autem aliquod magnum voluit significare, " cum dixit, in profundum inferni, sive " in excelsum supra. Ideo autem apud " nos ponitur magis Alma, quam juvencula, quia Alma significat Virginem " secundum nominis originem, & adhuc plus, custoditam, de qua non possit haberi mali suspicio. Sed *Bethula* significat, secundum usum loquendi posteriorem. "

*Respondeo* III. fidem adhibendam esse versioni Septuaginta, & cęterorum Orthodoxorum, minime vero versioni Symmachi, Aquilæ & Theodotionis, quippequi conspersi essent fuligine errorum Ebionistarum qui Christum esse purum hominem autumabant; unde non mirum si per vocem *Abhlmach* intellexerint Achaz uxorem, quod est a mente Isaiæ prorsus alienum.

*Instant*: Atqui vox *Abhhlmach* non significat adolescentulam viro absconditam: Ergo &c. Probatur subsumptum. Rebecca vocatur etiam *Abhlmach*, & tamen non erat abscondita, utpote quæ adæquationis causa non solum materno e thalamo, non paterna dumtaxat domo, sed ex urbe etiam exiret: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo consequens, cum illustr. Huetio: Virgines non erant absconditæ quando vel celebratio sacrorum vel necessitas, vel Patriæ consuetudo exigebat, concedo: secus, nego. Quod autem hæc solutio sit bona, patet ex illis 2. Machabæorum cap. 3. 19. his verbis:

*Accinctaque mulieres Ciliciis pectus, per Plateas confluebant: Sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam*. Igitur aliquando Virgines foras exibant.

*Respondeo* aliter distinguendo: Vox *Ahhlmach* non significat *abscondita*, id est reclusa in domo paterna a consortio virorum, transeat: non significat abscondita, id est, penes omnes corporis partes, velata, nego. Esto quod *Ahhlmach* non significet semper *inclusa*, attamen hæc est ejus interpretatio: Virgines debent habere partes corporis ita velatas, ut nulla umquam pars alteri patescat, ita debet esse diligenter abscondita & amicta ut nihil in ea homo videat, unde denudatio virginis in Scriptura sacra sumitur pro ejus defloratione: sic Levit. 18. 6. *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus*. Sic Deuteronomii 22. 30. *Non accipiet homo uxorem Patris sui, nec revelabit operimentum ejus*.

*Quid plura?* Versiones Syriaca, Arabica, Paraphrasis Chaldaica & quidem magni ponderis apud Judæos, utuntur verbo, quod redditur latine, *Virgo*. Denique nisi hæc vox *Ahhlmach*, idem sonet ac virgo, sensus loci non modo erit falsus, sed & plane absurdus: sic enim vertunt Judæi, Virgo, non quidem maneus Virgo. Sed quæ antea Virgo erat, postea viro nupta ex eo concipiet, hoc inquam, absurdum est; namque, conceptus Virginis proponitur ut signum miraculosum liberationis Regis Achaz: attamen non est mirabile virginem nuptam parere.

*Reponunt*: Vox *Ahhlmach* reperitur sæpius in Canticis: Atqui tamen ibi significat adolescentulas, non virgines: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Significat adolescentulas, non nuptas, concedo: nuptas, nego. Nemo non novit Scriptorem canonicum loqui de illis adolescentulis, quæ sponsam sequebantur; illæ autem erant virgines, nam seorsim a Reginis & concubinis recensentur, unde Canticorum cap. 6. 7. habetur: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*.

*Insistunt*: Vox *Ahhlmach* celebratur in Proverbiis cap. 30. 18. Sed ibi significat puella a viro cognita: *Tria sunt*, inquit Salomon, *difficilia mihi, et quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia*. *Ahhlmach*, quod nomen non Judæi solum, sed Christiani multi pro muliere corrupta positum contendunt, unde, inquiunt, Salomon comparans illam cum alia deflorata, sic loquitur: *Talis est & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum, dicit: Non sum operata malum*. Ergo &c.

*Respondeo*, omissis variis interpretationibus mysticis, quibus quidam interpretes vox *Ahhlmach*, referunt ad BB. Virginem & Christum; Primo quidem Paraphrasis Chaldaica vertit, Virgo, & hic est sensus; mirum est quot diversis modis se gerat vir ut virginem fallat, ipsaque ut oculos parentum fugiat, ad hoc ut crimen committat; nam si loquatur ibi de meretrice, non difficile creditur quomodo vir meretricis domum petat. Secundo, impervium, & vix capi potest, quomodo personæ quæ sese numquam viderunt, tantopere tamen se diligant; unde via sumitur in hoc versu non pro vestigio, sed pro modo agendi. Tertio, si sumatur pro vestigio, distinguo, id est abscondit hanc actionem vir, concedo: secus, nego. Sensus igitur tunc erit: *Via viri in adolescentia*, id est facit quidquid in se est, ut nemo agnoscat id quod fecit; unde sequens versus hanc confirmat interpretationem, & sensus est, quod se abscondat mulier adultera. Quarto, si pro puella deflorata sumatur, distinguo, hæc vocatur *Ahhlmach* putative, concedo: realiter, nego. Sic quamvis Græci virginem significent per vocabulum παρθένος, sumitur apud Aristhophanem pro ea quæ virgo putabatur. Sic utique Virgilius de Pasiphaen, quæ tres filios habuerat: sic loquitur.

*Ah! virgo infidelis, quæ te dementia cepit.*

*Hinc* sensus est, quod ita se gerat, ut vestigium non magis appareat, quam aquilæ in cœlo, serpentis in petra, navis in mari. Nec obest quod in sequenti versu dicat, mulierem adulteram cognosci, & vox *Ahhlmach* referri ad hunc versum; namque est juxta secundum exemplum quod adducit Isaias de modo quo se occultant mulieres, & dicit quod hæc virgo ita

ita crimen obtegat, sicut ea quę in hac arte perita est, unde vox *sic*, significat similitudinem, nusquam vero identitatem: alias si *Alhlmach* significaret adulteram, idem secum compararet Salomon: Adde quod textus ille totus sit metaphoricus: Porro in Isaia vix ullam reperies metaphoram.

*Fit satis objectionibus ex historia sacra deprom ptis.*

OPPONUNT Judæi: Propheta in isto vaticinio dat signum liberationis Jerusalem ab obsidione & deprædatione proxime futurę: sed Incarnatio ad eam nihil conducere videtur: Igitur Prophetia his expressa verbis: *Ecce virgo concipiet & pariet*, &c. non est de Incarnatione intelligenda.

*Ante* responsionem prænotandum est, Jerusalem tunc fuisse a Regibus Syriæ & Israel obsessam, quando laudatum emittebat Isaias oraculum. Prędixit Propheta Reges non prævalituros, deditque Achaz in signum liberationis Virginem parituram Filium, cujus nomen Emmanuel: Rex iste, inquit D. Thomas, comment. in cap. 7. Isaię, lect. 8. Deo erat propter suam idololatriam exosus, ut legitur 4. Regum 16. deinde hæc subdit sanctus Doctor: " Et ideo Dominus „ tradidit eum in manu Regis Syrię & „ Samariæ, qui primo venerunt contra „ eum, & obsidentes Jerusalem, tandem „ devincentes ipsum, magnam partem „ exercitus sui ceperunt, & Principem „ exercitus ejus. Iterum ex illa victoria „ confisi, venerunt ut omnino privarent „ eum regno, & substituerent alium lo„ co ejus; & in hoc secundo adventu con„ solatur eum Isaias. „

*Et* hoc quidem duobus modis. Primoquidem prædicendo ruinam Rasin Regis Syriæ, & Phacee filii Romelię Regis Samarię: " *Noli*, inquit ad Achaz Propheta, *timere, & cor tuum ne formidet a duobus caudis Titionum fumigantium istorum*. Quę verba sic explanat D. Thomas: " „ Noli timere quoniam ego tecum sum; „ ab Oriente reducam semen tuum, & „ ab Occidente congregabo te *a duobus* „ *caudis*. Hic ponit confortationis ratio„ nem. Et primo ostendit proponentium „ vanitatem, quia magna proponunt, cum „ tamen nihil, vel parum possent sustine„ re. *Duabus caudis* quia in eis finitum est „ regnum. Rasin enim interfectus est a „ Thegalphalasar. 4. Regum 16. & sui in „ captivitatem ducti: Sed Phacee subjugatus fuit, postea interfectus ab hoste, „ qui postmodum captus est a Rege Salmanazar, & decem Tribus captivitate „ 4. Regum 17. „ Quia vero tam prompta liberatio propter duorum Regum potentiam videbatur impossibilis, Isaias præcipit Achaz, ut petat in probationem signum sive in profundo inferni, sicut cum terra aperta est & deglutivit Dathan & Abiron Num. 16. sive in excelsum supra. Sic Josue jussit Soli stare, ne moveretur contra Gabaon. Verum Rex incredulus noluit petere; & ideo Propheta convertitur ad totam domum David, in qua quidem multi erant Deo devoti & fideles, at in signum liberationis Jerusalem ab obsidione prænuntiat CHRISTUM EX VIRGINE MARIA nascendum, qui totam naturam humanam a servitute & peccati & diaboli liberaret. His prælibatis,

*Respondeo* ad argumentum distinguendo: Incarnatio futura non consonat cum liberatione urbis Jerusalem, per modum causæ physicæ & præsentis, concedo: per modum causæ meritoriæ, nego. Incarnatio nondum erat adimpleta, & ideo non erat causa physica liberationis Jerusalem, bene tamen moralis, quatenus Deus intuitu meritorum futurorum Christi in domo David nasciturі, hanc voluit isti domui fideli præstare misericordiam; unde Incarnationem posuit in signum & misericordiæ & majoris potentiæ: Enim vero si Deus potest facere ut Virgo manens Virgo, concipiat & pariat Filium qui liberaturus est populum suum a morte æterna, poterat a fortiori idem. Dominus liberare & salvare Jerusalem a captivitate temporali. Solutio est D. Thomæ, qui ibidem sic loquitur: " Di„ cendum, quod Incarnatio Christi si„ gnificat ipsam *liberationem Jerusalem*, „ per locum a majori: quia si Deus „ dedit filium suum ad salutem to„ tius mundi, multo magis potest sal„ vare vos ab istis hostibus, Rom. 8. „ qui proprio filio suo non pepercit, sed „ pro nobis omnibus tradidit illum, vel

„ vel quasi causa motiva. Hoc enim mo- „ vit Dominum, quod multa bona illi po- „ pulo, quamvis injusto concedantur, „ quia de illo providerat filium suum in- „ carnandum. „

*Instant*: Isaias annuntiat signum ad præsentes: Sed incarnatio non erat tunc temporis adimpleta: Igitur nec data eis in signum liberationis.

*Respondee* distinguendo: Signum datur personis præsentibus vel in se, vel in suis nepotibus, concedo: præsentibus absolute in semetipsis, subdistinguo; aliquando, concedo: semper, nego, Signum datum est domui David de qua natus est Christus: hæc autem domus præsens erat in persona Principum de Tribu Juda, quam quidem Dominus a duobus Regibus liberare dignatus est; erat utique præsens hæc domus in Christo, in quo perseveravit & finivit, si quidem, veniente Christo, ablatum est sceptrum a Juda; sicut autem domus aliqua omnem complectitur cognationem, ita pariter domus Juda comprehendebat, scilicet David, & alios Reges & Duces, ipsumque Christum, qui illam omnes simul compofuerunt: Sic respondet D. Thomas ibidem: " Di- „ cendum quod Incarnatio quamvis non „ fuerit facta præsentibus illis hominibus, „ fuit tamen manente domo David: unde „ d cit, Audite domus Dav.d non autem, „ Audi Achaz. „

*Reponunt*: Signum debet præcedere signatum: Sed incarnatio, longo post liberationem illam elapso tempore evenit: Igitur non potuit dari in signum liberationis Jerusalem.

*Respondeo* distinguendo: Signum naturale debet præcedere signatum, concedo: signum arbitrarium & divinum, subdistinguo: aliquando, concedo: semper, nego. Signum duplex distinguitur; naturale unum, arbitrarium alterum: primum illud est quod necessariam habet ex natura sua connexionem cum re significata: talem habet fumus cum igne quem designat, quocirca illum eatenus præcedit tempore, quatenus a summo promanat calore, qui in brevi accensurus est ignem. Alterum non habet necessariam ex natura sua connexionem cum signato, quocirca non necesse est illud præcedere nisi prioritate naturæ & intentionis, eo non absimili modo quo finis præcedit in intentione agentis effectum, cujus est causa motiva, juxta illud adagium: *Finis est principium in agibilibus*.

*Angelus* Scholæ ibidem ita solvit difficultatem: " Dicendum, *inquit*, quod si- „ gnum quandoque sequitur signatum, „ sicut Deuter. 18. Hoc habebis signum: „ Quod in nomine Domini Propheta ille „ prædixerit, & non evenerit: hoc Do- „ minus non est locutus. Quandoque est „ simul 2. Reg. 5. Cum audieris sonitum „ gradientis in cacumine pyrorum, tunc „ inibis prælium; quandoque præcedit, „ sicut Judicum 7. de Gedeone, ubi „ datum est signum, quod vincere de- „ bebat in his, qui aquam manibus lam- „ bierant. Et oportet de necessitate quod „ hoc signum sequatur, & secundum „ quod ipsi exponunt. Si enim præce- „ dit, tunc puer fuit natus ante mortem „ Phaceæ qui regnavit viginti annis, cu- „ jus decimo-septimo anno regnavit Achaz, „ qui regnavit sexdecim annis. Ergo A- „ chaz regnavit tredecim annis post mor- „ tem ejus. Et Osee regnavit duodeci- „ mo anno Achaz, cujus nono Samaria „ capta est, qui fuit sextus annus post „ mortem Achaz. Ergo in captivitate Sa- „ mariæ, ad minus habebat puer novem- „ decim annos. Ergo falsum est, quod „ infra dicitur, quod puer nesciebat vo- „ care patrem & matrem. „

*Reponunt*: Puer qui promittitur in signum, est filius Isaiæ: Igitur non Christus FILIUS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ. Probatur antecedens: Omnes circumstantiæ & signi prærogativæ priori conveniunt: Primoquidem, tamquam victor Damasci & Samariæ prædicitur, cum legitur, nobiscum Deus: sic enim habetur cap. 7. de Filio Virginis: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel ... antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum Regum suorum*. De filio vero Isaiæ cap. 8. legitur ejus generatio & idem officium: *Accessi ad Prophetissam, et concepit, et peperit Filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus accelera, spolia detrahere, festina prædari, quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spo-*

*& spolia Samariæ, coram Rege Assyriorum... & erit extensio alarum ejus implens latitudinem terræ, o Emmanuel!*

*Respondeo* negando antecedens propter tria: Primoquidem fortitudo Damasci & Samariæ auferenda est, antequam puer qui ponitur in signum sciat reprobare malum & eligere bonum: Porro in captivitate Samariæ filius Isaiæ jam erat ætate provectus, & decimum nonum attigerat annum. Secundo, filius Isaiæ non fuit Judææ Dominus, cum tamen infra cap. 8. dicatur terræ Judææ esse & Emmanuel possessive. Tertio demum datur conceptio miraculosa in signum, unde D. Thomas ibidem sic concludit: " Et ideo „ oportet, quod intelligatur de filio Dei, „ secundum hoc ergo tria facit: Primo „ promittit signum. Propter hoc, quia „ vos non vultis petere, ipse dabit signum „ vobis, vestræ liberationis. Hoc etiam si„ gnum datum est Luc. 2. & hoc vobis si„ gnum: Invenietis infantem pannis invo„ lutum, &c. Secundo ponitur: *Ecce Vir„ go*, & I. ponitur miraculosa conceptio; „ *Ecce Virgo*, manens Virgo, *concipiet*; in „ partu, *& pariet Filium*. Tertio, mirabi„ lis generati vocatio. Et primo quantum „ ad divinitatem; *vocabit*, scilicet Virgo, „ *vel vocabis*, tu Juda in periculis, *nomen „ ejus Emmanuel*, quod est interpretatum, „ nobiscum Deus. Matth. 1. vocabit no„ men ejus Emmanuel. Et hoc totum „ nullum simile habebit in aliis, quia no„ vum est, Jerem. 31. creavit Deus no„ vum super terram, mulier, vel femina „ circumdabit virum, id est, perfectum „ hominem, in ipsa conceptione... unde „ concordantia alia non potest haberi de „ ipsa prophetia, nisi ipsa historia. Luc. 1. „ Ecce concipies & paries Filium: Signi„ ficatum Ezechielis 44. Porta hæc clau„ sa erit, & non aperietur, & vir non „ transibit per eam, quoniam Domi„ nus Deus Israel ingressus est per eam „

*Ad* probat. distinguo: Aliquæ circumstantiæ conveniunt filio Isaiæ, & hoc in sensu figurativo, concedo: omnes simul, nego. Certum est ea quæ proferuntur tum de Prophetissa, tum de ejus partu & filio, Dominicam spectare Incarnationem; neutiquam enim intelligi queunt ad litteram de Prophetissa; maxime vero ex eo quod eo loci sermo sit de Virgine quæ manens Virgo debet parere, alias ejus partus neque signum, neque prodigium seu miraculum foret ad prænuntiandam futuram, eamque promptam contra spem Regis Achaz civitatis ab obsidione liberationem. Quid plura adjiciam? Filius Isaiæ sciebat & patrem & matrem vocare, cum deprædata est Samaria: quod tamen manifeste pugnat adversus vaticinium, in quo quidem prædicitur devastatio Syriæ & Samariæ anteqnam puer sciret eligere bonum & reprobare malum; vocare patrem & matrem: hæc autem omnia in solo Christo adimpleta sunt; si quidem antequam veniret mundum consecraturus, deserta facta est Samaria, quam Rex Acaz detestabatur; quocirca signum datum est, non Acaz propter ejus incredulitatem, sed domui David, quæ ad Christum usque perseveravit; dictum est enim, inquit D. Thomas, *Audite domus David*, non autem, *Audi Achaz*.

*Hæc* igitur genuina prophetiæ explicatio. Sicut Oseas, præcipiente Domino, accepit in uxorem Gomer filiam Debelaim fornicariam, & ex ea suscepit filium, quem in signum futuræ vindictæ de domo Jezrael propter idololatriam sumendæ nominari Jezrael voluit Deus, simili & pari ratione sed diverso prorsus motivo Isaias accessit ad uxorem, & ab ea suscepit filium, cui jubente & afflante sancto Spiritu, varia Messiæ, cujus erat figura, imposuit nomina: hinc & in signum futuræ liberationis Jerusalem datus est, ut etiam a servitute peccati & diaboli per Christum faciendam præluderet redemptionem. Accessit igitur Isaias ad Mariam superexcellentem Prophetissam prænotione mentis per fidem, inquit sanctus Basilius; ad propriam vero uxorem jure maritali ut haberet filium, qui præludendo Redemptorem, vel ipsam sanctæ civitatis etiam annuntiaret liberationem. Hæc solutio solvit omnes difficultates, & sanctorum Doctorum adunat sententias; colligitur ex divo Thoma hic comment. in cap. 8.

*Sanctus Doctor* sic loquitur: " Hoc au„ tem signum Judæi ad litteram exponunt „ de filio Isaiæ, cujus nomen Dominus „ significare volebat decem Tribuum de„ structionem; & secundum hoc, si„ gnum tripliciter confirmat *Propheta*. Primo,

„ mo , scripto : secundo , testimonio ; „ ibi , *Et adhibui* , &c. Tertio , ipso facto, ibi , *accessi* , &c. .... Prophetissa „ autem Beata Virgo est , quæ prophetavit , dicens : *Magnificat anima mea Dominum* . Luc. 1. ad quam accessit per „ propheticam intelligentiam , & per fidem .... quidam dicunt non esse inconveniens , sic hoc intelligatur ad litteram : Nempe illud *& accessi ad Prophetissam , & concepit , & peperit Filium*. Ita „ tamen quod puer iste sit figura Christi , „ sicut etiam supra dictum est in glossa „ 7. cap. super illud , *Ecce Virgo* . „ Rursus infra cap. 8. Subdit S. Thomas loquendo de filio Isaiæ , quatenus Christi figura erat : " Hic ponitur signi expositio. Et secundum litteralem expositionem jam patet . „ Ergo &c.

*Instant* : Filius Isaiæ non potuit esse Christi figura : Igitur prophetia ex cap. 7. & 8. ad illum solum restringitur. Probatur antecedens . Primo , non datur figura figuræ , partus autem Christi miraculosus , ex hypothesi quod vaticinium capitis 7. sit de illo , dabitur in signum & figuram liberationis Jerusalem . Secundo , figura debet concordare cum figurato , quod stare nequit in Christo prænuntiato in signum libertatis sanctæ civitatis ; si quidem liberata est ab omni hostium terrore quando Samaria deprædata est. Tunc autem filius Isaiæ decem & novem annos habebat , sciebatque vocare patrem & matrem , Christus vero non nisi multa post sæcula natus est : Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem distinguo : Non datur figura figuræ sub eodem respectu, concedo : sub diverso, nego. Christus prænuntiatus erat signum pro liberatione Jerusalem , sed ne signum prognosticum tam distans pareret aut dubitationem , aut absolutam incredulitatem , datur filius Isaię qui figuram Christi gerens , illum veluti præsentem exhiberet , & ideo cum de isto dicitur cap. 8. *Voca nomen ejus , Accelera , spoliare detrahere , festina prædari : quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam , auferetur fortitudo Damasci , & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum .... o Emmanuel* ! hoc intelligitur de Christo cujus personam gerebat filius Isaiæ , nusquam vero de tali filio cum jam annum decimum-nonum attigerat quando capta & deprædata est Samaria.

*Ad* alteram probationem distinguo : Figura debet cum figurato concordare , quoad aliquid , concedo : quoad omnia , nego ; alias non esset figura , sed ipsa veritas . Isaias consolatur Achaz spe promptæ liberationis : quia vero Rex ille incredulus signum petere non audebat , Propheta ad domum David se convertens, dat in testimonium liberationis miraculorum maximum, scilicet filii Dei Incarnationem, cujus etiam exhibet figuram & prænotionem in filio Isaiæ in brevi nascendo, qua de causa accedens ad uxorem illum suscepit , qui vix natus , jubente Deo , insignitur nominibus officii Messiæ : quinimmo ipso vivente adimpletum est de liberatione civitatis promissum, & de inimicorum perditione , Regum scilicet Syriæ & Samarię .

*Insistunt* : Signum datum est in gratiam Achaz : Ergo convenientius videtur adimpletum in filio ejus, scilicet Ezechia.

*Respondeo* negando consequentiam propter duo. Primoquidem non esset miraculum quod mulier nupta pareret : attamen sermo est in prophetia de signo miraculoso, ad confirmandum cor Regis in angustia positum. Secundo, quando Samaria capta est , jam Ezechias sciebat vocare patrem & matrem : Igitur neque sententia capitis septimi : *Ecce Virgo concipiet* , nec ista capitis 8. *Voca nomen ejus* , &c. possunt ad Ezechiam pertinere . Sic propugnat divus Thomas in cap. 8. Isaię his verbis: " „ Exponunt autem dupliciter . Quidam „ de Ezechia , quidam de filio Isaiæ , „ quem fingunt esse Emmanuel vocatum. „ Sed quod primum non possit stare , sic „ ostenditur, quia Ezechias erat 25. annorum , quando cœpit regnare , 2. Reg. „ 18. & Achaz regnavit sexdecim annis , „ 4. Reg. 16. Ergo Ezechias erat decem „ annorum , quando pater suus incepit „ regnare ; & sic non promittitur hic nasciturus . Pręterea quomodo nescivisset „ vocare patrem & matrem , cum sexto „ anno regni ejus capta fuerit Samaria . „

*Fit satis objectionibus quę ex attributis filii prænuntiati desumuntur.*

. OBJICIUNT : Ut prophetia de Christo intelli-

telligatur, ea omnia quæ dicuntur de filio in signum dato debent illi convenire: Atqui hoc ipsum non claret: Ergo &c. Probatur minor multis momentis. Primoquidem Isaiæ 7. de illo filio habetur: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum*. Secundo, fœderatos Reges perituros esse antequam sciat puer reprobare malum & eligere bonum. Tertio, annuntiatur ut victor armatus auferens spolia Damasci: Sed hæc omnia a Christo prorsus aliena sunt: Primum quidem, cum nusquam aliquid ignoraverit; quæ igitur relatio inter butyrum, mel & Christum, ut ipse his mediis sicut boni sic & mali scientiam calleat. Nec utique alterum momentum, cum plurimis sæculis ante Christum natum Samaria deprædata sit. Denique nec etiam tertium: non enim Christus venit mundum cum armis debellaturus, sed teste sancto Fulgentio, ut triumpharet occisus: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem: Ad omnes probationes distinguo: Allata Christo non conveniunt in sensu obvio, & ad litteram, concedo: in sensu morali & mystico, nego. Et hoc ab enumeratione partium constat: sicut enim ex gustu butyri & mellis secernitur utriusque natura, sic & Christus ut homo per scientiam acquisitam & experimentalem didicit ea quæ homini conveniunt, & ea quæ humanæ adversantur vitæ. Jam vero ut præliator ac victor tum mundi tum diaboli ubique, sicut a Prophetis annuntiatum fuerat, armis spiritualibus extitit, juxta illud Oseę cap. cap. 13. 14. de Christo: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne*. Et istud Christi Ioan. 12. 3. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras: Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*.

*Solutio* ad primum traditur a D. Thoma hic in cap. 7. Isaiæ his verbis: " Quantum ad humanitatem butyrum & mel comedet; *Christus*, ad litteram cibos viriles, quia ab infantia ad modum aliorum se habuit: Sap. 7. Et ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. Vel a parte ad totum, secundum regulas Tychonii. Per hoc enim, omnes humanos cibos intelligit, *ut sciat*, ut consecutivum est, quia talibus vescens adhuc puer, *sciat reprobare malum*, sine experimento: *& eligere bonum*, sine consilio, perfectam habens omnem scientiam."

*Tertullianus* ad reliqua respondens lib. 3. adversus Marcionem, in sensu mystico & spiritali ea explanat cap. 13. his verbis: " In signum ergo disposita Virgo & Mater, merito creditur: infans vero bellator non æque. Non enim & hic signi ratio versatur. Sed signo nativitatis novæ adscripto, exinde post signum, alius ordo jam infantis edicitur, mel & butyrum manducaturi. Nec hoc utique in signum est, malitiæ non assentaturi; & hoc enim infantia est; sed accepturi virtutem Damasci, & spolia Samariæ adversus Regem Assyriorum .... Maneant enim Orientales illi Magi, in infantia CHRISTUM recentem auro & thure munerantes; & acceperit infans virtutem Damasci sine prælio & armis. Nam præter quod omnibus notum est, Orientis virtutem, id est, vim & vires, auro & odoribus pollere solitam; certe est Creatoris, virtutem ceterarum quoque Gentium aurum constituere; sicut per Zachariam dicit: Et Judas per tendet apud Jerusalem, & congregabit omnem valentiam populorum per circuitum, aurum & argentum. De illo autem tunc auri munere etiam David: Et dabitur illi ex auro Arabiæ. Et rursus, Reges Arabum & Saba munera adferent illi. Nam & Magos Reges habuit fere Oriens, & Damascus Arabiæ retro deputabatur antequam transcripta esset in Syrophœnicem, ex distinctione Syriarum; cujus tunc virtutem CHRISTUS accepit, accipiendo insignia ejus, aurum scilicet & odores. Spolia autem Samariæ, ipsos Magos: qui cum illum cognovissent, & muneribus honorassent, & genu posito adorassent, quasi Deum & Regem sub testimonio indicis & ducis stellæ, spolia sunt facti Samariæ, id est, idololatriæ, credentes videlicet in Christum. Idololatriam enim Samariæ nomine notavit, ut ignominiosæ ob idololatriam, qua defecerat tunc a Deo sub Rege Jeroboam."

*Tum* ibidem sic pergit: " Hoc itaque

tu,

„ usu, Magos quoque, Samaritarum appellatione titulavit, despoliatos, quod „ habuerant cum Samaritis, ut diximus, „ idololatriam. Adversus Regem autem „ Assyriorum, adversus Herodem intellige, cui utique adversati sunt Magi, „ tunc non renuntiando de Christo, quem „ intercipere quærebat. Adjuvabitur hæc „ nostra interpretatio, dum & alibi bellatorem existimans Christum, ob armorum quorumdam vocabula, & ejusmodi verba, & reliquorum quoque „ sensuum comparatione convinceris. Accingere, inquit David, ensem super „ femur. Sed quid supra legis de Christo? „ Tempestivus decore præter filios hominum, effusa est gratia in labiis tuis. „

*Postea* fuso calamo probat Christum & lege, & sapientia, & suæ gratiæ energia omnium etiam Gentilium corda sibi devincere: tum suam interpretationem concludit cap. 14. " Sic bellipotens & „ armiger Christus Creatoris: Sic & nunc „ accipiens spolia, non solius Samariæ, „ verum & omnium Gentium. Agnosce „ & spolia figurata, cujus & arma allegorica didicisti. „

*Dices*: Apostoli ad probandum Christum esse Messiam laudato Isaiæ non usi sunt vaticinio: Igitur ex eo nihil pro adventu Messiæ concludi potest.

*Respondeo* distinguendo antecedens: Non usi sunt œconomiæ causa, concedo: ex eo quod jejunum esset pro hoc momento vaticinium, nego. Cum Judæi BEATISSIMAM VIRGINEM uxoratam videbant, si ab Apostolis tamquam VIRGO sicut erat de facto, celebrata fuisset, ex malitia cæcutientes eam veluti adulteram lapidassent: Igitur non sine causa alia Scripturæ loca urgebant, ut patet Actuum 7. & alibi, ut Christi probarent & missionem & divinitatem; maxime vero cum idem signis & miraculis comprobarent.

## SYNOPSIS POBATIONUM.

*Istud vaticinium*, ECCE VIRGO CONCIPIET, *adimpletum est in BB. Virgine, & in Christo.*

PRIMO: Datur signum miraculosum Regi Achaz in signum liberationis ab obsidione civitatis Jerusalem: Sed non foret miraculum nisi de virgine innupta, & tamen concipiente: Igitur de sola BB. Virgine & Christo prophetia intelligenda est.

*Secundo*: Ipse Isaias suum ubique prodit sensum prænuntians Christum BB. Virginis Filium ut Mediatorem, nempe cap. 2. 4. maxime cap. 9. vers. 6. & 7. his verbis: *Parvulus enim natus est nobis . . . . Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi.*

*Tertio*: Usus sic obtinuit, & Ecclesia hanc Prophetiam in una Missa Nativitatis pro introitu habet. Suffragantur SS. Doctores, in primis sanctus Thomas qui in comment. in cap. 7. Isa. lato calamo sic interpretatur.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Incassum Judæi obcæcati trahunt in adulterinum sensum, vocem hebraicam *Ahhlmach*, quæ interpretatur *Virgo*, de uxorata muliere, cum hebræa significet mulierem viro absconditam, adeoque virginem: Concinunt versiones Syria, Paraphrasis Chaldaica, quæ vocem latine reddunt, *Virgo*.

*Secundo*: Non negamus signum præsens dari, sed hoc adimpletur dupliciter: Primoquidem dum Propheta ad domum David se convertens annuntiat Christum venturum; in gratiam enim hujus domus istud emittit oraculum. Secundo, quum filius Isaiæ figura Christi evadit, & ista varia recipit nomina: *Accelera spolia detrahere, cito prædare*. Et de facto Rex Israel, & Rex Syriæ ab obsidione cessarunt, tum aliquibus elapsis annis Salmanazar victoriis contriti sunt.

*Tertio*: Tametsi aliquæ prophetię circumstantię filio Isaię possint tribui, non tamen ad litteram, sed in sensu solum figurativo. Quod potest isto illustrari exemplo. Isa. 8. dicitur: *Antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci*. Quę verba non possunt, ait D. Thomas, hic intelligi de filio Isaię, quippe qui decimum-nonum jam attigerat annum cum Syrię & Samarię contigit devastatio: Igitur de solo Christo vaticinium intelligendum est.

PUN-

## PUNCTUM SECUNDUM.

*Utrum ex 70. hebdomadibus Danielis recte colligi possit adventus Messiæ.*

DANIEL Propheta magnus in Babylonia cum cæteris Judæis captivus existens, finem quidem 70. annorum captivitatis prænuntiatæ Jeremiæ 25. imminere sciebat, absque tamen ulla liberationis affulgente spe, idcirco timens ne propter populi peccata procrastinaretur captivitas, oratione oravit ad Dominum ut populum ab ea solvere dignaretur; Deus autem in donis magnificentissimus, ejus preces pro liberatione non solum temporali, sed & æterna per peccatum inducta lubentius exaudivit; hinc & Gabrielem Archangelum, qui utrumque ei annuntiaret beneficium, misit, & Danielem orantem cap. 9. sic allocutum fuisse legitur.

Daniel *nunc egressus sum ut docerem te .... tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & adimpleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: Et rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur* Christus: *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: Et erit in Templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

*Duo* circa istud vaticinium enucleanda occurrunt. Primoquidem an hebdomades intelligantur de Messia, & ille sit Jesus Nazarenus? Secundo, a quo tempore computandæ sint hebdomades?

### §. I.

Num hebdomades intelligantur de Messia qui sit Christus, & annuntient illum venisse?

### CONCLUSIO PRIMA.

Hebdomades annuntiant Messiam venisse.

*Probatur multipliciter.*

PRIMOQUIDEM hoc ipsum ex contextu Prophetiæ liquet: hoc annuntiat Oratoris Dei scopus, quippe qui æternam, hebdomadibus completis, prædicet a servitute tum peccati, tum diaboli per Messiam venturam liberationem.

*Secundo*: Sic interpretantur omnes sancti Patres & Doctores, ex professo vero S. Thomas commentario in Danielem. Nec diffitentur antiqui Rabbini; inprimis Moses filius Nachman Gerundensis in Danielem: " Sanctuarium, *ait*, Sanctuariorum, *sive* Sanctus Sanctorum, est Messias sanctificatus de filiis David." Targum non absimilia dicit, quandoquidem illa verba Psalmi 44. *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*; de Messia exponit.

*Tertio*. Idem probatur isto ratiocinio: Gabriel Archangelus verbis supra laudatis Christum ducem, hoc est, Messiam intra septuaginta hebdomades venturum prædicit: Atqui istæ jam dudum effluxerunt: Igitur jamjam venit Messias. Probatur minor. Illæ hebdomades sumi solum possunt duobus modis, scilicet vel pro septenario dierum numero, quo modo sumuntur Levitici 23. vers. 15. in quo quidem statuitur numerandas esse a die Paschatis, usque ad Pentecosten exclusive septem hebdomadas plenas, id est, 49. dies, vel pro septenario annorum numero, ut Levitici 25. vers. 8. ubi habetur numerandas esse septem hebdomades annorum quæ faciunt 49. annos, & anno immediate sequenti jubilæum esse celebrandum; Neque vero alibi reperies alios

alios annos apud Judæos fuisse in usu. Atqui illæ septuaginta hebdomades quovis modo accipiantur, a longo tempore elapsæ sunt: Si enim in priori sensu spectentur, reddunt solum 490. dies, seu annum integrum cum quatuor circiter mensibus: Si posteriori, conficiunt tantum 490. annos: Porro a tempore quo Daniel protulit vaticinium ad nos usque, plusquam bis mille anni elapsi sunt. Ergo &c.

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Messias prædictus a Daniele est ipse Jesus Nazarenus.*

PROBATUR unico sed irrefragabili argumento. Messias, cujus adventus tempora designavit sanctus Gabriel, ille est qui ungendus erat Sanctus Sanctorum, cujus tempore consummanda erat prævaricatio, cujus virtute finis peccato imponendus erat, & justitia sempiterna adducenda, in quo omnis visio adimpleri debebat seu prohetia; quem nagaturus erat ejus populus, ille qui morte sua pactum multis erat confirmaturus, post cujus mortem dissipanda civitas cum Sanctuario, defectura hostia cum sacrificio, in Templo statuenda desolationis abominatio, & usque ad finem perseveranda erat desolatio: Atqui hæc omnia impleta sunt in Christi adventu: Igitur ipse est qui a Daniele Propheta fuit annuntiatus. Probatur minor quoad singulas partes..

*Primoquidem*, Christus est Sanctus Sanctorum & juxta textum Hebraicum habuit sanctitatem sanctitatum. Et verò unctus fuit oleo gratiæ non solum sanctificantis, sed & substantialis, cum sit Deus; quam quidem prærogativam extollit Apostolus Hebr. 1. his verbis: *Ad filium autem: Thronus tuus Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui: dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.*

*Secundo*: Finem imposuit peccato, & adduxit justitiam sempiternam, juxta illud Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem, in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore: ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.*

*Tertio*: Eum populus abnegavit coram Pontio Pilato, ut habetur Actuum 3. his verbis: *Vos autem sanctum & justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis.*

*Quarto*: Concinit novum cum veteri Testamento de pacti confirmatione. Sic enim habetur Hebr. 9. 15. Christus, *novi Testamenti Mediator est: ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis.*

*Quinto*: Omnem prophetiam & visionem juxta Danielis effatum adimpletam esse habetur Actum 10. 43. his verbis: *Huic*, scilicet Christo, *omnes Prophetæ testimonium perhibent*. Hinc Joan. 10. ipse Christus expirans sic loquitur: *Consummatum est*; hoc est juxta omnes Interpretes, cunctæ prophetiæ de me adimpletæ sunt. Instar omnium sit Tertullianus, qui lib. adversus Judæos cap. 8. ait: " Igitur quoniam adimpleta est prophetia per adventum ejus, propterea signari visionem & prophetiam dicebat, quoniam ipse est signaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia quæ retro de eo Prophetæ nuntiaverant. Post enim adventum Christi & passionem ipsius jam non visio, neque Prophetes est, qui Christum nuntiet venturum. "

*Demum*, ultimum prophetiæ momentum de ablatione sacrificii, in ipso Templo diruto luce promeridiana clarius adimpletum apparet, juxta ipsius Christi effatum Matth. 24. ubi sic scribitur: *Et egressus Jesus de Templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes Templi. Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur . . . Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat*. Lucæ 19. fusius describitur civitatis Jerusalem vastatio his verbis: *Quia venient dies in te: Et circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt*

*dabunt te & coangustabunt te undique; & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.*

*Hoc* primum adimpletum est per Titum Romanorum Imperatorem juxta Josephum de bello Judaico lib. 7. cap. 3. " Deus profecto, *inquit*, Deus ipse cum " Romanis ignes lustrales ipsi, scilicet " Templo, iniecit, & civitatem tot pia- " culis plenam excendit. " Cap. 10. " " Templum invito Tito exuritur. " Suffragantur omnes Historiographi Ecclesiastici, inprimis audiatur S. Barnabas in sua epistola cap. 3. ubi dicit ultima tempora a Daniele prædicta esse adimpleta. Hist. Eccl. Fleury tom. 1. pag. 325.

*Quia* vero mirabilis Templi fundamenta remanebant, ut adimplerentur adamussim, ista Christi verba: *Non relinquetur lapis super lapidem;* tum Julianus Apostata adhuc spirans minarum in ipsum Christum, Epistolam, quę est inter Julianas 25. ad Judęos direxit; quos blande consolans suasit restaurare Templum, ut Dominum veluti Pseudo Prophetam ventilarent: cui per omnia volens illudere, jussit ligones & cætera instrumenta, quibus effossa terra, Templum reædificaretur, ex argenti materia fabricari. At Christus Deus terribilis in consiliis super filios hominum, sicut ædificantes turrim Babel, sic & Judæos & Julianum confudit. Vix enim detectis pristini Templi fundamentis, quod undequaque flammarum globuli per modum torrentis erumpentes, ex artificibus alios comburere, alios ad terram subvertere, demum cæteri partim ventorum procella, partim flammarum hinc & inde discurrentium motibus in fugam dati evanuerunt: quin immo virtute elastica ignis omnes fundamentorum lapides, ne uno quidem excepto terra evomuit, ut in gloriam Christi, illud Prophetæ Regii Psalm. 136. de infelicitate Jerusalem pronuntiatum adimpleretur: *Exinanite, exinanite, usque ad fundamentum in ea.*

*Hanc* historiam Auctores omni exceptione maiores referunt: inprimis SS. Gregorius Nazianz. oratione 4. Chrysostomus homil. 4. in Matth. Theodoretus lib. 3. Hist. Ecclesiast. cap. 20. Sozomenus lib. 5. cap. 22. Ambrosius epist. 29. ad Theodosium: vel ipsi Pagani hæc scripsere. Instar omnium sit Ammianus Marcellinus lib. 28. his verbis de Juliano: " Ambitiosum quondam apud Jerosolymæ " Templum, quod post multa & inter- " necina certamina, obsidente Vespasia- " no, posteaque Tito, ægre est oppu- " gnatum, instaurare sumptibus cogitat " immodicis, negotiumque maturandum " Alypio dederat... Cum itaque rei in- " staret Alypius, juvaretque Provinciæ " Rector, metuendi globi flammarum " prope fundamenta crebris assultibus " erumpentes, fecere locum, exustis ali- " quoties operantibus, inaccessum: hoc- " que modo elemento obstinatius repel- " lente, cessavit inceptum. "

*Fit satis Objectionibus Judæorum.*

OBJICIUNT: Nihil certi concludi potest pro Messia ex vaticinio laudato: Ergo &c. Probatur antecedens. Omnibus impervia est certa annorum computatio: Ergo &c. Probatur antecedens. Chronologia Septuaginta interpretum addit Chronologiæ textus Hebraici mille & quingentos annos, & tamen non ignoti nominis auctores illam defendunt: Igitur non habetur certa & determinata annorum computatio, quod tamen necesse foret ad tantum fidei dogma astruendum, si sit de fide hebdomades Danielis Messiam indicare.

*Respondeo* I. Chronologiam Hebræorum prævalere alteri, ut ex professo probavimus: Vulgatam autem nostram, quæ est authentica, priori adhærere & sic dogma manet inconcussum.

*Respondeo* II. Nihil roboris a vaticinio detrahi per Chronologiarum diversitatem propter duo. Primoquidem 1500. anni respersi super septem millia & amplius a mundo condito ad nos usque, levius spatium, est, ut adimpletionem prophetiæ impediant; illis enim annis adjunctis, semper constat hebdomades jam jam completas esse, & Judæos prorsus cæcutire dum Messiam expectant. Secundo, quidquid sit de Chronologia, septuaginta hebdomades numerandæ sunt ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem; easque nonnisi 470. annos vel circiter ad sum-

mum 500. efficere: Porro sive computentur juxta Hebræos, sive juxta Græcorum calculum, majorem non continent numerum: quis autem jam non videat hebdomadas versus Christi tempora esse adimpletas.

*Respondeo* III. negando antecedens, primi & secundi argumenti. Ad ultimam probationem, distinguo: Chronologia Lxx. Interpret. addit 1500. annos, & hoc aliquam inducit incertitudinem arithmeticam in computatione annorum transeat: Vulgata enim nostra est infallibilis fidei regula & præponderat versioni Septuag. inducit in certitudinem geometricam & circa rei substantiam, nego. Prior attenditur penes ipsos menses, immo & dies, posterior vero secundum judicium viri prudentis, & per distributionem accommodam: nemo autem non videt aliquos annos pro nihilo reputari pro numero 400. aut 500. annorum: Unum nobis sufficit, non obstante Chronologiarum diversitate ad perstringendos Judæos, hebdomadas a longo tempore finitas, & Messiam venisse.

*Instant*: Atqui etiam accommodata Chronologia, nihil certi habetur pro Messia ex vaticinio laudato: Ergo &c. Probatur subsumptum. Non potest determinari utrum hebdomades sint annorum, aut jubilæorum, aut sæculorum, aut olympiadum, aut solarium, aut lunarium; cum non desint auctores qui eas diversimode intelligant. Namque Origenes Tractatu 29. in Matth. intelligit hebdomades decenniorum, quarum quælibet annis constat septuaginta: Rabbini vero quidam, ut scribit Galatinus lib. 4. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 14. hebdomades, aut jubilæorum, aut sæculorum esse commentantur: inter Catholicos vero, alii de lunaribus, alii vero de solaribus quæ superant annos lunares intelligunt. Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad probationem, nego, Hebdomades esse, aut Decenniorum, aut jubilæorum, aut sæculorum, aut etiam Olympiadum, sed tantum de solaribus, aut lunaribus intelligendas esse: & quidem propter duo. Primoquidem, ex eo quod nulli præter annos lunares, aut solares fuerunt in usu apud Judæos: nemo autem cordatus dixerit Angelum locutum fuisse Judæis de hebdomadibus illis ignotis. Altera ratio est, quod cuncta in vaticinio prænuntiata versus Christi tempora contigerint.

*Respondeo*. II. Diversitatem inter annos solares & lunares pro nihilo haberi, nec quicquam roboris a prophetia detrahere.

*Insurgunt*: Hebdomades 70. non in eum finem a Deo constitutæ sunt, ut his elapsis expientur peccata per adventum Messiæ, sed ut his finitis sequatur & templi & urbis vastitas in vindictam. Ergo &c. Confirmatur, peccatum non est deletum per Christum, quin immo semper perseverat: Igitur Christus non adduxit justitiam sempiternam: & in eo veluti in Messia non videtur prophetia adimpleta.

*Respondeo* negando antecedens: Angelus enim missus est ad consolandum Danielem, qui mœrore confectus captivitatis liberationem expostulabat; quænam autem fuisset consolatio, si solum ei prædixisset novam desolationem?

*Ad* confirmationem, distinguo: Non deletum est peccatum secundum se & quoad effectus, nego. In individuo, subdistinguo. Per accidens, concedo: ratione remedii, nego. Christus delevit peccatum originale, immo & actuale quoad reatum culpæ & pœnæ quatenus copiosam dedit pro omnibus peccatis satisfactionem, & gratias promeruit quibus peccata abstergerentur, & etiam præcaveri possint: quod autem, his non obstantibus homines in nova ruant peccata, est per accidens, & non defectu remedii, & ex culpa solius hominis, qui ex innata pronitate ad malum sua male utitur libertate, quæ sicut ad bonum ita & ad malum versatilis est.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*I. Hebdomades Dan. 9. annuntiant Messiam venisse. II. Intelliguntur de Jesu Nazareno.*

PRIMUM patet ex scopo Auctoris, qui a servitute peccati liberationem prædicere vult. Nec ipsi diffitentur Rabbi Moses & Targum. Suffragatur S. Thomas comment. in cap. 9. Dan. Ratio est, quia sive hebdomades intelligantur de annis habentibus menses lunares, vel solares, a longo tem-

tempore elapsæ sunt, ut legenti & attendenti affulgebit.

*Secundum*, non minus claret, cum omnes prophetiæ subnotatæ dotes Jesu Nazareno conveniant. Et vero a populo suo negatus & derelictus est: in medio hebdomadæ occisus est: versus ejus tempora defecit hostia, & sacrificium & abominatio facta est & apparuit in loco sancto; quando scilicet Aquila apposita est in sanctuario: ac demum desolatio sic subsecuta per Titum Imperatorem, ut ab hoc tempore ad hunc usque diem perseveret.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametsi aliquæ occurrant in componendis Chronologiæ calculis difficultates, manet semper Messiam venisse, sive anni constent mensibus solaribus, sive lunaribus, ut magis placet.

*Secundo*: Absque fundamento Judæi urgerent annos jubilæi, cum in tota veteri Testamenti Scriptura fiat solum mentio pro usu de annis nunc solaribus, nunc lunaribus.

*Tertio*: Peccant quidem homines, deletum est tamen peccatum, cum Christus satisfecerit superabundanter pro nobis, & copiosa sit apud eum redemptio.

## §. II.

### A quo sumendum est exordium septuaginta hebdomadum, & in quo finis est constituendus?

***Prænotanda ad quæstionis intelligentiam.***

OBSERVANDUM est primo: Captivitatem Babylonicam de qua sermo habetur Jeremiæ 25. quæque fuit 70. annorum, incepisse tempore Nabuchodonosor, qui elapso anno uno cum dimidio, postea mortuus est, & perseverasse tempore Evilmerodach & Balthassar; isto autem mortuo Darius Medus regnavit: primo anno ejus Regni Daniel non sine Dei inspiratione legit Jeremiæ de captivitate prophetiam, ut in suo refertur libro cap. 9. intelligens vero finem imminere, oravit Dominum ne propter peccata populi diutius perseveraret desolatio, & exauditus est. Revera quidem Darius Medus anno 2. sui regni mortuus est: isti successit Cyrus, qui fundavit Persarum imperium, inspiratus autem a Deo, ut refertur lib. 1. Esdræ, relaxavit populum, & hoc in gratiarum actionem quod Deus dederat illi omnia regna terræ. Sed ut res clarius pateat, edicta, tum ab eo, tum ab ejus successoribus, in gratiam Judæorum collata, in præsentiarum recensere non abs re erit.

*Primus* igitur Rex qui Judæis favit, fuit Cyrus, de quo multus est sermo lib. 1. Esdræ tribus prioribus capitibus. Iste 3. annis regnavit juxta computum Petavii parte 2. Rationarii temporum lib. 3. cap. 10. scilicet annis 21. in Perside, & novem Babylone.

*Alter* fuit Cambyses filius Cyri, cui successit anno 4. Olympiadis 62. regnavit 7. annis cum 5. mensibus. Quidam existimant eum fuisse Assuerum Estheris maritum, & illum Artaxerxem de quo fit mentio lib. 1. Esdræ cap. 4. Fratrem habuit Smerdin, quem ex invidia interfecit; qua quidem nece cognita Patiythes magus, rei domesticæ Cambysis procurator, fratrem habens Smerdin nomen ferentem, & fratri Regis simillimum, Cambyse mortuo sine prole, ille Smerdin Cambysis fratrem ementitus sibi imposuit Diadema, & omni seclusa commotione, septem mensibus clavum Imperii tenuit.

*Tertius* itaque numeratur ille Smerdis, sed comperta fraude a Principibus e solio deturbatus est, ejusque loco suffectus est Darius Hystaspis.

*Ergo*, quartus inter Reges Persarum numeratur ille Darius quem Herodotus lib. 7. annos 36. regnasse scribit. Annus primus regni incidit in annum quartum Olympiadis 64. anno vero 34. regni sui, id est, anno 2. Olympiadis 73. ad Bellum contra Ægyptios suscipiendum intentus Xerxem filium suum designavit regni successorem.

*Quintus*: Est Xerxes, qui suo cum patre duobus annis imperavit, nimirum a secundo ad quartum annum Olympiadis 73. quo quidem tempore, mortuoque patre, solus regnare cœpit, & viginti [illegible] fuit, scilicet ab anno primo Olympiadis 74. inclusive usque ad annum quartum Olympiadis 78.

*Sextus*: Nominatur Artaxerxes Longimanus dictus, eo quod unam manum altera longiorem haberet. Hic primum cum patre suo annis circiter 10. regnavit, videlicet ab anno 3. Olympiadis 76. quo tempore Xerxes Castra movens adversus Græcos, eum in regni socium adsciverat, usque ad annum quartum Olympiadis 78. quo anno Xerxe mortuo, solus regnare cœpit, & præfuit 80. annis, nempe usque ad annum quartum Olympiadis 88.

*Inter* illos principes tres dederunt edicta in gratiam Judæorum; scilicet Cyrus, Darius filius Hystaspis, & Artaxerxes Longimanus. Prior qui & relaxavit populum a captivitate, jussit ut omnia necessaria tum pro victu, tum pro reædificatione Templi, tum etiam pro sacrificiis subministrarentur Judæis a Præfectis Provinciarum, ut legitur lib. 1. Esdræ cap. 6. his verbis: *Anno primo Cyri Regis, Cyrus Rex decrevit ut domus Dei ædificaretur quæ est in Jerusalem &c.* Darius vero Cyri vestigiis insistens, prohibuit quidem ne Judæi reædificarent urbem, sed permisit consummare Templum, quod adversante populo terræ, perficere non potuerant. Ita habetur ibidem, his verbis ad suos: *Recedite*, inquit, *ab illis*, nimirum Judæis, *& dimittite fieri Templum Dei*. Jussit etiam omnia pro hoc momento exhiberi. Edictum aliud emanavit ab Artaxerxe anno 7. sui regni, quo quidem statuit oleum, frumentum, pecora, argentum suppeditari pro ornamentis & sacrificiis Templi, sicut scriptum est libro 1. Esdræ cap. 7. anno autem 20. secundum dedit edictum, videlicet, ut iterum reædificaretur Jerusalem: in prioribus nonnisi de reædificatione Templi mentio fit.

*Observandum* est II. Hebdomades Danielis esse annorum: & in hoc veteres Judæi cum Græcis consentiunt. Porro isti anni alii sunt solares qui mensibus solaribus, alii vero lunares qui lunaribus constant, ut habetur Exod. 15. Observes velim 70. hebdomades incepisse anno 20. regis Artaxerxis Longimani, ut fusius in[illegible] [illegible]bitur, & perduraverunt tempore Græcorum imperii, quod initium habuit sub Alexandro Magno, qui regnavit sex annis: morte autem imminente suum divisit regnum pueris, qui fuerant cum illo ab adolescentia enutriti; hinc duplex ex divisione conflatum est regnum, Ægypti scilicet imperium, in quo imperavere Ptolemæi, & aliud Syriæ, seu Asiæ, in quo Antiochi Reges imperarunt; iste multum exagitaverunt Judæos, ut patet ex libris Machabæorum. Quia vero multus est sermo in Scriptura sacra de Regibus & Assyriorum & Chaldæorum, & Medorum, & Ninive, & Babyloniæ, & Persarum, & Græcorum, & Romanorum, maxime vero de Principibus qui clavum Reipublicæ in Judæa tenuerunt, ad majorem intelligentiam, seriem infra texere operæ pretium est, ubi de Incarnatione.

*Observandum est* III. Septuaginta hebdomades distributas fuisse ab Angelo in tres partes, scilicet in septem, in sexaginta duas, & unam, quæ divisio est juxta stylum Hebræorum; namque est ejusmodi divisio mnæ, quæ habetur Ezechielis 45. ubi dicitur continere viginti siclos, & viginti quinque, & decem; item sexaginta siclos. Hæc autem Angeli distributio propter tria rerum insignia facta est. Et vero prima parte, septem scilicet hebdomadarum, seu 49. annorum spatio muri civitatis erant ædificandi, & Templum restaurandum, quam quidem durationem Angelus vocat angustias temporum, eo quod legatur libro 2. Esdræ cap. 4. Judæos e captivitate reversos una manu fecisse opus, dum altera tenerent gladium ad propellendos hostium adversantium incursus. Secunda parte 62. hebdomades, seu annorum 434. spatium designat tempus, quod futurum erat a completo civitatis ædificio, usque ad Christum ducem; id est, usque ad Baptismum Christi, qui toto præcedente tempore privatam & occultam duxit vitam; tunc autem cœpit fungi munere & officio, primum exemplo, tum verbo & opere ducis seu Messiæ, id est, publice, quandoquidem a prima nativitatis aurora, hoc munus mirum in modum subiit, juxta illud ad Hebr. 10. 6. *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt: Tunc dixi: ecce venio, &c.* In tertia parte & ultima continetur hebdomada, in cujus dimidio, hoc est, tribus annis cum sex mensibus elapsis

elapsis immolandus erat Messias, seu Christus propter nostra & populi peccata.

*Demum* observare etiam juvat Nehemiam intra spatium septem primarum hebdomadarum duodecim annis permansisse in Jerusalem, quo tempore fecit dedicationem Templi cum Esdra & Zorobabele, invenitque sacrum ignem in puteo reconditum a Sacerdotibus, cum Nabuchodonosor transtulit Judam. In isto igne tria mira distinguuntur. I. Nonnisi aqua turbida apparebat, quæ tamen apposita super victimam, refulgente sole, ignis subito accensus, seu potius explicatus consumpsit victimam. II. Ignis ille vel ipsos altaris lapides combussit, qui & flammam emittebant. III. Nova inde flamma, & quidem purissima instar gloriæ Domini affulgebat in superiori parte altaris, quæ cæteras flammas in brevi abstulit. Elapsis autem duodecim annis Nehemias rediit in aulam Artaxerxis, sed populi prævaricatione exæstuante septem post annos iterum petiit Jerusalem, nec amplius reversus est ad Regem. Tum consolatus est populum, & ad pœnitentiam peragendam compulit: tum etiam legem per Esdram legi voluit, quæ lectio reiterata vocatur Deuteronomium. Auctores non ignoti nominis contendunt Nehemiam, iisdem temporibus consumasse urbis reædificationem.

*Iis prælibatis*, variæ circumferuntur sententiæ circa exordium & terminum septuaginta hebdomadum: & vero alii cum Clemente Alexandrino lib. 1. stromatum, desumunt illud ab anno primo imperii Cyri, qui populum e captivitate solvit: alii cum Origine ab anno 1. Regni Darii Medi qui tunc Chaldæis imperavit: alii cum Eusebio lib. 8. demonst. Evang. ab anno 6. Darii filii Hystaspis, quo jubente, Templi instauratio facta est: alii demum & quidem communiter a 20. anno imperii Artaxerxis Longimani, computando annos decem, quibus cum suo regnavit Patre. Cum quibus sit

## CONCLUSIO PRIMA.

*Initium* LXX. *hebdomadarum ducendum est ab anno vigesimo Artaxerxis, id est, ab anno secundo Olympiadis* 81.

PROBATUR hoc ratiocinio. Annus vigesimus regni Artaxerxis erat annus a creatione mundi 3609. annus vero mundi quo Christus mortuus est 4084. & 18. imperii Cæsaris. Porro 475. anni solares additi 3609. annis conficiunt 4084. annos; illi autem 475. anni solares computantur a vigesimo anno regni Artaxerxis, decem complectendo annos quibus cum patre imperavit; computantur, inquam, usquead decimumoctavum annum imperii Tyberii Cæsaris. Quid plura? 475. anni solares conficiunt 490. annos lunares, & hoc juxta Danielis effatum, ut infra probabitur; isti autem anni constituunt & complent 70. annorum hebdomades. Ita ex professo sanctus Thomas in Danielem: " Quod autem, *inquit* „ *sanctus Doctor*, hic 475. anni solares „ 490. annos lunares reddant, patet ex „ collectione crescentiæ anni solaris supra lunarem, quæ eam superat unde- „ cim diebus, quæ quidem omnes excre- „ scentiæ collectæ ex 475. annis solaribus, 15. faciunt annos, qui additi 475. „ annis reddunt 490. annos præter 15. „ menses, qui supplentur ex 18. anno „ imperii Tyberii Cæsaris. Porro 490. „ anni complent 70. hebdomades anno- „ rum lunarium: & sic patet adimpletio „ prophetiæ ad litteram. " Igitur anni computandi sunt ab anno 20. imperii Artaxerxis Longimani.

*Confirmatur*: Computandi sunt anni ab Edicto de reædificanda urbe Jerosolyma: Atqui, ut ex dictis patet, quartum dumtaxat Edictum emanatum ab Artaxerxe anno 20. sui regni facit mentionem de reædificanda urbe: Igitur &c. Minor patet, tum ex prolatione Edicti tempore prædicto, tum quia secundum Angeli effatum, muri civitatis in angustia temporum tunc elevati sunt, sive angustia sumatur pro afflictione; quandoquidem adversante populo terræ, restaurati sunt: sive pro brevitate temporis, nam ut legitur lib. 2. Esdræ cap. 6. absoluti sunt muri

50. duobus diebus, quod vel ipsæ gentes agnovere ut miraculum, & sequentibus postea annis urbs ædificata, & restaurata est.

*CONCLUSIO SECUNDA.*

Finis & exitus LXX. hebdomadum reponendus est in tempore mortis Christi, vel circiter, & ut quidam volunt anno 3. cum dimidio solum post eam.

*Probatur breviter.*

TERMINUS mensurandus est respective ad initium: Sed qui numerant per annos solares inveniunt 70. hebdomades annorum solarium, usque ad annum tertium post Christi passionem; quia quando Artaxerxes a patre adscitus est ad imperium, hoc incidit in annum tertium Olympiadis 76. unde vigesimus annus regni ejus incidit in annum secundum Olympiadis 81. ab isto autem anno usque ad annum quartum Olympiadis 202. quo Christus passus est, occurrunt 121. Olympiades cum duobus annis; quæ omnia complectuntur 486. annos: quibus si addideris quatuor annos passionem Christi subsequentes, conficient 490. annos: qui vero intelligunt de annis lunaribus, conficiunt 470. annos ab anno 20. regni Artaxerxis ad mortem Christi, quod est convenientius: namque anni lunares sunt solaribus breviores; porro Olympias complectitur spatium quatuor annorum, sic nominatum, eo quod ludi Olympici semel in anno inter illud spatium celebrarentur.

*CONCLUSIO TERTIA.*

Anni sunt lunares.

*Probatur multis momentis.*

PRIMOQUIDEM isto ratiocinio: Angelus locutus est Danieli de annis, qui erant in usu apud Hebræos, ut melius caperet quod illi dicebat de hoc Mysterio: Atqui illi sunt lunares: Ergo &c. Probatur minor ex S. Thoma, qui ex professo commentario in cap. 9. Danielis hanc fuse propugnans sententiam, sic docet, his verbis: " Dicuntur hebdomadæ „ abbreviatæ, quia annus qui constat ex „ mensibus superat lunarem, qui con„ stat ex tredecim lunationibus in unde„ cim diebus, quia tredecim menses so„ lares habent trecentos sexaginta quin„ que dies, anni autem lunares non ha„ bent nisi trecentos quinquaginta qua„ tuor, ac per hoc hebdomades annorum „ lunarium, in septuaginta septem diebus „ superantur. Item patet ex hoc, quia „ Scriptura computat annos lunares, & „ menses, quia primam diem vocat Neo„ meniam, seu lunam primam, & unde„ cimam diem mensis vocat lunam un„ decimam, sicut patet Exod. 13. & in „ multis aliis locis Scripturæ, & tamen „ nec prima luna prima dies est, necun„ decima luna est undecimus dies men„ sis solaris; tum quia omnes tabulæ „ Hierosolymitanæ factæ secundum He„ bræos currunt per annos lunares & „ menses, ex quibus patet computum „ Scripturæ currere per annos lunares. " Ergo &c.

*Secundo*: In Edicto quod Artaxerxes anno 7. regni sui in gratiam Judæorum concessit, altum est silentium de civitate reædificanda, sed tantum in secundo quod anno secundo concessit. Atqui exordium 70. hebdomadum ducendus est *Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem*. Ergo. &c.

*Tertio*: Ante annum vigesimum regni Artaxerxis urbs sancta in ruderibus sepulta jacebat. Igitur anno tantum vigesimo obtinuerunt Judæi Edictum de instaurandis mœnibus civitatis: & vero si prius habuissent licentiam, dubio-procul absque mora opus executioni demandassent. Probatur antecedens ex lacrymis Nehemiæ paternæ urbis cladem lugentis cap. 2. 3. 4. lib. 2. Esdræ: *Et dixi Regi . . . quare non mœreat vultus meus, quia civitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, & portæ ejus combustæ sunt igni?* Hinc idem Nehemias, aspirante Deo has preces Artaxerxi fecit vers. 5. *Si videtur Regi bonum, & si placet servus ante faciem tuam, ut mittas me Judæam ad civitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam.* Precibus ille annuens, anno secundo sui regni profectus est Nehemias Jerosolymam ad

ad populum quem sic allocutus est vers. 17. *Vos nostis afflictionem, in qua sumus: quia Jerusalem deserta est, et porta ejus consumpta sunt igni, venite, et ædificemus muros Jerusalem, et non simus ultra opprobrium.* Ergo &c.

*Quarto*: Demum 70. Danielis hebdomades completæ solum fuerunt tempore excidii Jerosolymitani: Igitur initium 70. Danielis hebdomadum affigi nequit anno 7. Artaxerxis. Consequentia est evidens, nam ab anno 7. Artaxerxis, usque ad excidium Jerosolymitanum, quod contigit sub Tito Imperatore interfluxerunt anni plusquam 490. quo annorum spatio 70. Danielis continentur hebdomades .. Probatur antecedens ex verbis Angeli Danielem alloquentis: *Septuaginta hebdomades abbreviata sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam .... & erit in templo abominatio desolationis, &c.* Quibus verbis Angelus in 70. hebdomadum spatio excidium Jerosolymitanum includit, adeo ut sensus sit, semel finita septuagesima hebdomada, Templum Jerosolymitanum excisum iri: Igitur 70. Danielis hebdomades fuerunt tantummodo completæ in excidio Jerosolymitano &c.

*Solvuntur objectiones contra primam conclusionem.*

OBJICIES: Prophetiæ initium desumendum est ab Edicto permittente urbis reædificationem: Atqui tale a Cyro emanatum est, quandoquidem hostes Judæorum conantes impedire ne Judæi, juxta licentiam a Cyro factam, Templum restaurarent, conquerentes de his apud Artaxerxem Cyri filium, sic ei scripserunt, ut habetur lib. 1. Esdræ c. 4. 11. & 12. *Notum sit Regi, quia Judæi, qui ascenderunt a te, ad nos, venerunt in Jerusalem civitatem rebellem, & pessimam, quam ædificant, extruentes muros ejus, & parietes componentes*. Igitur signum est Cyrum tunc dedisse Edictum pro urbe ædificanda.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem, distinguo: Et calumniam imponebant Judæis, ut illos exosos redderent Regi, dicentes urbem ædificare cum Templo, concedo: secus, nego. Cyrus enim Edictum dederat tantum pro Templo: sed dato & non concesso, quod dedisset pro reædificatione urbis, certe executioni mandatum minime fuit. Prophetia autem currit de edicto quod habuit effectum.

*Respondeo* II. distinguendo: Dedit Edictum Cyrus ut domos aliquas ædificarent Judæi, tum pro operariis, tum pro Sacerdotibus, transeat; hoc enim non est expressum, sed solum aliquid consectaneum ad promissionem de reædificando Templo: permisit muros ædificari, & urbem, propugnacula, & alia ejusmodi civitatem componentia, nego. Hac solutione conciliantur auctores asserentes Edictum a Cyro promanatum de urbe reædificanda; loquuntur enim solum de urbe imperfecta, & de quibusdam habitaculis.

*Instabis*: Isaiæ 45. habetur, & ex Josepho lib. 11. cap. 2. colligitur Cyrum licentiam concessisse de urbe reædificanda: sic enim Deus ipse de Cyro loquitur loco citato, Isa. vers. 13. *Ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, dicit Dominus Deus exercituum*. Ergo &c.

*Respondeo* I. Ecclesiastici 49. haberi urbem fuisse reædificatam solum tempore Nehemiæ, juxta illa verba vers. 15. *Nehemias in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas et seras, qui erexit domos nostras*.

*Respondeo* II. distinguendo: Cyrus ædificabit civitatem civilem, quæ consistebat in adunatione populi, concedo: convenere enim tunc Judæi liberati circa Jerusalem ad ædificandum Templum, & etiam in patria commorandum: civitatem physicam, quæ constaret muris ædificium circuientibus & claudentibus, nego. Jerusalem enim erat tunc pagus.

*Instabis*: Artaxerxes anno 7. regni sui concessit Esdræ omne quod petiit, ut habetur lib. 1. cap. 7. sed petierat non solum Templi, verumetiam urbis restaurationem: Igitur saltem initium hebdomadarum repetendum est ab anno illo 7.

*Respondeo* negando minorem: Et vero non petiit Templi reædificationem Esdras; jam enim erat reædificatum & dedicatum sub alio Rege, ut patet lib. 1. Esdræ cap. 6. his verbis: *Compleverunt domum Dei*

*Dei istam, usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darii Regis. Fecerunt autem filii Israel, Sacerdotes & Levitæ, & reliqui populorum transmigrationis dedicationem Dei in gaudio*. Igitur & a fortiori Esdras civitatis restaurationem non expostulaverat, sed solum quædam necessaria, ut Templi utensilia, suppeditarentur, & hoc patet ex ipso Edicto.

*Respondeo* II. Esdram non petiisse reædificationem urbis, quandoquidem anno 26. regni ejusdem Artaxerxis adhuc deserta erat Jerusalem, & portæ eius igne combustæ, ut lib. 2. Esdræ cap. 2. habetur: Igitur solum requisita ad ornatum Templi, ut dictum est.

*Insistes*: Atqui initium hebdomadarum repetendum est ab anno 7. laudato: Ergo &c. Probatur subsumptum. Ab anno 20. Artaxerxis, usque ad mortem Christi non numerantur septuaginta hebdomades annorum: Igitur hic numerus desumendus est ab anno 7. Probatur antecedens: Annus vigesimus regni Artaxerxis incidit in annum Olympiadis 83. teste Julio Africano in Chronologia per Olympiades versatissimo, apud sanctum Hieronymum in cap. 9. Danielis; annus autem mortis Christi incidit in annum quartum Olympiadis 202. ut probat Eusebius: Atqui ab anno 4. Olympiadis 83. ad annum 4. Olympiadis 202. inveniuntur tantum 476. anni, quibus si adiicias quatuor annos Passionem Christi subsequentes, conficiunt tantum 480. annos. Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad probationem, nego antecedens. Ad aliam probationem, nego, Vigesimum annum regni Artaxerxis incidere in annum quartum Olympiadis 83. sed bene in annum secundum Olympiadis 81. & sic invenitur numerus adamussim completus. Julianus autem deceptus est, quia non numeravit decem annos quibus primum regnavit Artaxerxes cum patre suo.

*Persistes*: Isti decem anni non debent numerari, quia ut observat Pererius in hunc Danielis locum, Xerxes plures habuit filios, quorum Darius fuit natu major, Artaxerxes vero isto junior: non est autem probabile, inquit, quod Collegam imperii instituerit Xerxes filium natu minorem: Ergo &c.

*Respondeo* negando Xerxem non reliquisse collegam Artaxerxem; nostra enim de hoc opinio fundatur in consuetudine Persarum; Herodothus namque, referente Petavio lib. 20. cap. 25. de doctrina temporum, scribit Persas legem quamdam habuisse, qua Reges in expeditionem profecturi, aliquem ex filiis suis successorem eligere tenebantur, secundum quod statutum Darius Hystaspis in Ægyptios & Athenienses bellum acturus, Xerxem ad imperium evexit. Quidni & ipse Xerxes pro more & Artaxerxem collegam suum nominasset, natu equidem Dario minorem; sed ne mireris, istum adhuc privatus, alterum vero purpuratus genuerat, & sic patet solutio ad probationem.

*Replicabis*: Angelus locutus est Danieli anno 1. Darii Medi, qui, devicto Balthassar, cœpit regnare super omnem Chaldæam. Igitur ab hoc anno & non vigesimo Artaxerxis computandæ sunt hebdomades: maxime vero cum fausta prædicaret Angelus, & absque mora adimplenda, quod certe non contigisset, si procrastinata fuisset hebdomadarum computatio usque ad Artaxerxem, cum inter Darium & istum medient quatuor Reges, videlicet Cyrus, Cambyses, Darius Hystaspis, & Xerxes.

*Respondeo* distinguendo: Angelus locutus est Danieli anno 1. Darii Medi, teste Divo Thoma hic in Danielem, sed ex eodem Angelus prænuntiabat hebdomadas solummodo computandas esse ab Edicto de restauratione urbis, quod latum est anno vigesimo Artaxerxis, concedo: Darius enim nullum edictum dedit in gratiam Judæorum. Et non determinavit Angelus tempus in quo suum ducerent initium hebdomades, nego antecedens, & consequentiam. Duo prædixit pro consolatione Judæorum Angelus, nimirum a captivitate temporali, deinde ab æterna liberationem: prior quidem in brevi adimpleuda per Cyrum, altera vero per Christum; unde non mirum si spectet Artaxerxis Edictum, & in eo determinet initium hebdomadum computandarum, gratiam per Christum conferendam in Edicto veluti in figura prænotando.

*Solutio* est divi Thomæ hic, qui comm. in cap. 9. Daniel sibi proponit objectionem, & sic solvit: " Dicendum secundum
" Hie-

„ Hieronymum & Bedam quod sunt computandæ hebdomades a 20. anno Artaxerxis, quando, Nehemias impetravit licentiam a Rege reparandi muros Jerusalem, sicut habetur Nehemiæ 3. quod patet ex hoc quod hic dicitur: Animadverte ab exitu sermonis ut reædificetur Jerusalem, &c. Ergo a licentia reædificandi Jerusalem est numerus inchoandus hebdomadarum. Item patet per Chronicas Regni Persarum, Græcorum & Romanorum, usque ad nativitatem Christi, quibus nos opportet credere in computatione temporum usque ad Christum, cum ex Scriptura clare non habeatur; regni enim Persarum supputantur anni ducenti triginta a 1. anno Cyri Persarum Regis, qui regnavit post dictum Darium; post illos vero Macedonum supputantur trecenti: postea vero usque ad nativitatem Christi triginta. Ergo ab initio Cyri Regis Persarum usque ad nativitatem Christi sunt anni quingenti sexaginta, ex quibus quadringenti nonaginta novem faciunt septuaginta hebdomades lunares completas, ut patet numeranti; ergo superfluunt usque ad nativitatem Christi anni septuaginta, qui faciunt hebdomadas decem, & sic falsa est præfata Judæorum computatio; supposito autem quod computatio incipiat a 20. anno Artaxerxis, ut dictum est, probatur de necessitate septuaginta hebdomadas completas esse: Nam a 20. anno Artaxerxis usque ad decimum octavum Thyberii Cæsaris, quando passus est Christus; computantur quadrigeni & septuaginta quinque anni solares, ut patet per prædictas Chronicas: quadrigeni autem & septuaginta quinque anni solares faciunt quadrigenos & nonaginta annos lunares, hi autem faciunt hebdomadas septuaginta: Ergo vere sunt completæ prædictæ hebdomadæ decimo octavo anno Tyberii Cæsaris, ac per hoc in morte Christi. „

*Dices*: Quocumque modo fiat computatio, vaticinium in Christo non adimpletur: Ergo &c. Probatur antecedens. In termino hebdomadarum abominatio ad consummationem usque futura est: Sed ista non nisi ultimi judicii tempore adveniet, juxta illud Christi Matthæi 24. *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta .... statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur*. Ergo &c.

*Respondeo* negando Antecedens. Ad probationem distinguo: Et eo loci sancti Matthæi 24. Duplex ab Apostolis quæstio fit Christo, altera de vastatione & templi & urbis, altera vero de mundi destructione in judicio universali, his verbis: *Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum adventus tui?* concedo. Et solum fit mentio de abominatione per Antichristum adimplenda in consummatione sæculi, nego. Abominatio igitur duplex secernitur, una scilicet relative ad Judæos pro deicidio puniendos, altera vero respective ad mundum universum. Prior annuntiat primum Christi adventum & quidem nunc factum; abominatio enim contigit quando Ælius Adrianus Romanorum Imperator idolum in templo collocari voluit, tum tempore Titi qui Jerusalem cum Templo non sine Dei vindicta subvertit: abominatio postrema prænuntiat secundum Christi adventum, quæque fuit prælusa priore juxta Danielem ad finem usque sæculorum perduratura: igitur illa non excludit istam.

*Solutio* colligitur ex ipsis Prophetiæ terminis; sic enim habetur: *Et post hebdomades 62. occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est: & civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo .... & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio*. Audiendus est de hoc momento sanctus Thomas, qui hic sic & solvit difficultatem: “ Qua propter dicendum est, quod intelligatur de abominatione desolationis, quæ fuit tempore Ælii Adriani, cui nullus aptius accommodari potest, nam ad litteram hoc tum impletum est. Ælius enim Adrianus dedit licentiam Judæis, qui erant Romæ captivi per Titum quod irent Jerusalem, quod & fecerunt, & tunc mandavit eis, quod ponerent idolum in templo, & ipsi noluerunt; tunc ipse iratus ivit Jerusalem, & funditus eam destruxit .... postquam in allegato loco Matthæi Christus discipulis suis designaverat Templi Jerosolymitani

„ fu-

„ futuram vastationem & eversionem, „ duas ipsi proposuerunt discipuli quæ- „ stiones: alteram scilicet de tempore de- „ structionis dictæ Templi, alteram vero „ de tempore adventus ipsius, & consum- „ mationis sæculi, quarum primam solvit „ prædiceus, prius tamquam signum im- „ minentis destructionis Templi calamita- „ tes plurimas, famem scilicet, pestem „ &c. Postmodum declarat ipsam Templi „ vastationem subsecuturam, tunc quando „ hoc Danielis vaticinium de abominatio- „ ne desolationis Templi implebitur, & „ in hoc terminat præfatæ primæ quæ- „ stionis solutionem; quæ autem de per- „ secutionibus & signis tempore Antichri- „ stri inferius designat, pertinent ad se- „ cundæ quæstionis solutionem. „

*Oppones* contra 3. conclusionem: De his annis loquitur Propheta, qui apud Judæos erant in usu; Atqui non lunaribus, sed solaribus Chronologia Judæorum innititur: & probatur: Auctor librorum Machabæorum istos solum commemorat: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem. Ad probationem distinguo: Cum rerum civilium texit historiam auctor solaribus innititur annis, concedo: cum de rebus Ecclesiasticis scribit, nego. Utrumque peragit negotium, primum quidem referendo bella & prælia cum Græcis Paganis, & tunc loquitur de annis solaribus etiam apud exteras nationes pro more & in usu positis: alterum vero cum Paschatis celebrationem & similia memoriæ tradit, & tunc utitur Judaico Kalendario, quod quidem, ut probatum est, currit per menses & annos lunares.

*Instabis*: Atqui Kalendarium mensibus lunaribus inniti non potest: Ergo &c. Probatur subsumptum. Hac facta hypothesi Judæi festum Paschatis post Æquinoctium verni, vel ipsum juxta Kalendarium ut plurimum non celebrassent, quando scilicet occurrunt tredecim lunationes: Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum: Ad probationem distinguo: Occurrente lunatione 13. non potuissent Judæi juxta Kalendarium celebrare Pascha, omissa intercalatione, concedo: admissa, nego. Sicut igitur pro more apud nos positum est uti anno bisextili ad componendam eamdem festivitatem Dominica immediate sequenti lunam 14. Martii post Æquinoctium vernum, quando tredecim lunationes incumbunt, sic & Judæi per intercalationem fecissent, ut servaretur Festi Paschatis ordinatus dies. Sanctus Thomas hic ad difficultatem ita respondet: „ Dicit „ autem, *Propheta*, abbreviatæ sunt, quia „ hebdomadæ illæ annorum, secundum „ annos lunares, qui sunt minores solari- „ bus, debent sumi; quia annus solaris „ habet plus undecim dies quam lunaris, „ & hi undecim dies dicuntur *Epacta*, „ id est adjuncta pars ad annum lunarem, „ unde quando annus solaris habet ex col- „ lectione illarum Epactarum unam lunam, „ tunc habet tredecim lunationes, & illa „ lunatio tertiadecima dicitur embolisma- „ lis, & annus ille dicitur embolismalis, „ id est, prægnans una lunatione. „ Igitur lunatio decima tertia inter cæteras per intercalationem seu interjectionem locum habet, & tunc duæ lunationes sunt pro uno & eodem mense.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*I. Initium annorum ducendum est ab anno II. Regni Artaxerxis Longimani. II. Finis reponendus circiter tempora mortis Christi. III. Anni sunt lunares.*

PRIMUM liquet, namque hebdomadum initium repetendum est ab Edicto dato pro civitatis restauratione; jam vero si decem anni quibus Artaxerxes regnavit cum patre addantur prioribus, quibus solus, mortuo Patre, regnavit, occurret annus vigesimus quo Edictum de urbe restauranda ab Imperatore promanavit, cum priora Edicta sint solum de reædificatione Templi, & suppeditandis pro Templo utensilibus.

*Secundum*: Utique verissimum est, cum circa mortis Christi tempora Judæi fuerint sine Ephod, sine sacrificio, sine thymiamate.

*Tertium*: Quandoquidem anni lunares in materia religionis erant solum in usu; hinc prima cujuslibet mensis dies vocabatur Nizan, hoc est luna prima.

S. V.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Verum est Cyrum licentiam fecisse ædificandi aliquas domos pro iis qui Templum restaurabant, quæ simul quamdam villæ speciem habebant, sed non urbem mœniis, turribus & propugnaculis circumseptam.

*Secundo*: Quædam occurrunt, & fatemur, circa Chronologiam difficultates, sed hoc nihil detrahit ab adventu Messiæ, & modo attendatur ad annos quibus Artaxerxes regnavit cum patre, absque negotio Chronologia conciliatur.

*Tertio*: Tametsi abominatio omnibus numeris absoluta, sit solummodo pro fine sæculorum tempore Antichristi, altera tamen contigit versus Christi tempora, quando scilicet Ælius Adrianus idolum in sanctuario Templi Jerusalem collocari voluit; de utraque loquitur Propheta: Prior prælusit posteriorem, & fuit ejus figura.

---

## ARTICULUS DECIMUS-QUARTUS.

*De duobus primis Machabæorum Libris.*

QUATUOR recensentur Machabæorum Libri, quorum duo posteriores nondum ab Ecclesia recepti sunt, quocirca de duobus prioribus impræsentiarum agimus, & de his quærimus num sint sacri?

*Libri Machabæorum* referunt statum Reipublicæ Judæorum sub monarchia Græcorum, & ducibus Machabæis, seu Assamonæis, videlicet Mathatiæ, Judæ, Jonathæ, & Simonis, qui victoriis suis Rempublicam multis cladibus fractam restaurarunt. Porro dicti sunt Machabęi, eo quod in eorum vexillis scriptæ erant tres illæ syllabæ Ma, cha, be, quæ sunt initiales trium vocum hebraicarum, quæ significant: *Quis similis tui in diis Domine?* Liber primus XVI. capita, secundus vero XV. habet.

*Ergo* quatuor famosi laudati duces bella Domini, & pro patriis legibus, & pro religione conservanda feliciter gesserunt tempore tertiæ Monarchiæ, scilicet Græcorum; fortiter enim restiterunt Regibus Ægypti & Syriæ, iisque non semel devictis populum sui juris fecerunt. In priori libro describitur constantia Mathatiæ, qui multa prælia sustinuit adversus Antiochum Epiphanem Syriæ Regem, qui, capta & diruta Jerosolyma, populum Judaicum magna ex parte ad ritum gentilem adduxit. Secundo loco refertur fortitudo Judæ Mathatiæ filii, qui pro religione simul & libertate pręclare se gessit in pręliis adversus eumdem Antiochum, tum contra Antiochum Eupatorem, istius filium, & Demetrium Seleuci filium. Tertio, commemorantur ducatus, gesta, & victoriæ Jonathæ tempore Alexandri, Demetrii secundi & Antiochi adolescentis, Syriæ Regum. Postremo commemorantur gesta Simonis ducis, sive sub Antiocho adolescente, & Demetrio simul de Regno cum eo decertante, sive sub Antiocho ultimo Demetrii filio.

*In* 2. libro tractatur de gestis Judæ Machabęi, ejusque fratrum Ionathę & Simonis, de Templi purificatione & Aræ ædificatione, de gestis Antiochi Eupatoris, & Seleuci Regum Syriæ: ex quo sequitur istud volumen esse præcedentis repetitionem, seu eorum quæ vel omissa, vel brevius enarrata sunt, fusiorem expositionem.

*Quidam* propugnant Joannem Hircanum Simonis filium, qui diu Imperio & Pontificatu potitus est, esse primi Libri auctorem: magis incertus est secundi scriptor; nonnulli putant esse Josephum, vel Philonem: nec desunt qui illum tribuant Judę Esseo pietate conspicuo. Calvinus lib. 3. instit. cap. 5. omnes Machabęorum rejicit libros, eo potissimum scopo, ut purgatorium exsuflet: contra quem sit

### CONCLUSIO.

*Duo priores Machabæorum Libri sunt Canonici.*

PROBATUR *hoc ratiocinio*. Illi libri veluti canonici haberi debent, quos authenticos esse indicat Patrum traditio, Ecclesię usus, & Concilii Oecumenici definitio: Atqui ex his omnibus momentis

duo

duos priores Machabæorum libros liquet esse authenticos: Et probatur auctoritate Clementis Alexand. qui lib. 1. strom. sicut Esther sic & duos priores Machab. libros ut canonicos habet: Subscribit Origenes lib. 2 Periarchon cap. 1. his verbis: " „ Ut autem ex Scripturarum auctoritate „ hæc ita se habere doceamus, audi quo- „ modo in Machabæorum libris ubi ma- „ ter septem martyrum unum ex filiis „ suis cohortatur ad toleranda tormenta; „ ait enim: Rogo te fili, respice cœlum „ & terram ... Et videns hoc scito, quia „ Deus hæc omnia, cum non essent fecit. „

*Suffragantur* Tertullianus lib. contra Judæos cap. 4. Cyprianus lib. de exhortatione Mart. cap. 21. his verbis. " Quid vero „ in Machabæis septem fratres, & nata- „ lium pariter & virtutum sorte consi- „ miles, septenarium numerum Sacramen- „ to perfectæ consummationis implentes &c. „ Ibidem multa alia ex libro 2. Mach. cap. 6. & 7. assumit testimonia, quibus fideles ad Martyrium generose subeundum invitat: sicut igitur alios V. T. libros, sic & istos ut canonicos habebat.

*S. Hieronymus* in cap. 23. Isa. eosdem suscipit, ut Scripturam sacram: Suscipit Gregorius Naz. orat. 22. de Machabæis Tum Ambrosius lib. 2. de Jacob & vita beata cap. 10. 11. & 12. Isidorus lib. 6. ethimologiarum cap. 1. inter omnes S. Augustinus lib. 18. de civitate Dei cap. 36. his verbis: " Ecclesia pro Canonicis ha- „ bet, libros *Machab.* propter quorum- „ dam Martyrum passiones vehementes „ atque mirabiles. „ tum lib. de cura gerenda pro mortuis, ubi probat cap. 1. ex libris illis sacrificium oblatum prodesse mortuis. Vel ipsa Ecclesia ex his operibus desumit epistolam Missæ quotidianæ pro defunctis, & ex eisdem varias assumit pro officio lectiones.

*Denique* Concilium Carthaginense tertium can. 47. Innocentius I. epist. ad Exuperium Episcopum Tolosanum, sacra Synodus Trid. sess. 4. inter Libros canonicos duos Machab. priores annumerant. Ergo &c.

*Solvuntur objectiones Protestantium.*

OBJICIUNT: Multa in duobus prioribus Machab. libris falsa & veritati pugnantia apparent: Igitur non sunt libri a Deo inspirati. Probatur Antecedens variis momentis. Libro primo, cap. 1. legitur Alexandrum I. in Græcia regnasse; attamen ex omnibus auctoribus liquet, multos Reges, vel ante ipsam Alexandri nativitatem in Grecia floruisse, maxime vero cum ipse Philippus Macedo Alexandri pater Rex esset. Ergo &c. Secundo, ibidem lib. 1. cap. 1. habetur Alexandrum pueris cum ipso ab adolescentia enutritis suum divisisse imperium, quod tamen silent Plutarchus, immo & Quintus Curtius lib. 2. hist. Alexandri num. 10. immo hanc divisionem, non nisi mortuo Alexandro, factam memorię tradunt Iustinus lib. 12. Diodorus Siculus lib. 17. & alii permulti. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens: Ad probationem distinguo: Alexander I. in Greci regnavit tamquam Imperator, concedo: tamquam Rex, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Non negat Scriptor sacer alios Alexandro priores regnasse in Grecia; sed unum breviter subnotat, illum fuisse primum Grecorum Imperatorem. Devicto quippe Dario, Persidis, Chaldæę & Medię Monarcha factus, has omnes regiones suo adscivit Imperio, & nedum Provinciis, sed & Imperatoris dignitati Alexander Dario successit.

*Ad* secundum, distinguo: Plutarchus & alii silent de divisione allata imperii explicite, concedo: & ne unum quidem de hoc momento verbum dixere, nego. Namque Curtius lib. 10. scribit optimates convenisse Alexandrum animam agentem, ipsum Alexandrum Perdiccæ sui cordis secreta & imperii dispositionem aperuisse, suumque ipsi in testimonium dedisse annulum, ut post ejus mortem imperii Proceribus aperiret factum ab ipso Testamentum: unde si ipse: " Non voce „ nuncupatus hæres, judicio tamen „ electus esse videbatur. „ Ait Justinus lib. 13. cap. 4. Concinit Diodorus Siculus lib. 18. q. Curtius lib. 10. cap. 13. ipsa quoque facta pro eodem momento leguntur; constat enim post Alexandri mortem e Grecis proceribus alios regnasse in Syria, alios vero in Ægypto, de quo non semel sermo fit in libris Machabæorum. Porro Scriptor canonicus tametsi incertus, cuncta

cuncta tamen fideliter conscripsit; quia vero ad res Judaicas potissimum attendebat, unum tantummodo, aut alterum verbum de divisione Græcorum dixit, videlicet Alexandrum pueris suum divisisse regnum.

*R. P. Graveson* ad hanc difficultatem tract. de Scriptura sacra pag. 236. & 237. „ sic respondet: Dico, non ita apud „ Scriptores profanos constare Alexandrum „ Magnum, Regnum suum ante obitum „ suum non divisisse; nam Quintus Curtius scribit lib. 10. cap. 13. plures esse „ auctores, qui hanc Regni divisionem „ ab Alexandro Magno, dum adhue in vivis esset, factam fuisse perhibent, & „ Diodorus Siculus lib. 18. Biblioth. refert, testamentum de toto suo Regno „ Rhodi depositum fuisse ab Alexandro. „ *Justinus* etiam ait, Alexandrum Magnum „ paulo antequam moreretur, exemisse „ e digito annulum, quo scripta sua obsignabat, quippe summæ potestatis index erat, & illum Perdiccæ tradidisse, ei supremam suam de Regni divisione voluntatem declarando, quam *Perdiccas*, mortuo Alexandro Magno, executioni mandavit, ita ut *Arideus* frater „ Alexandri Magni habuetit summam imperii: *Perdiccas*, copiarum Regiarum „ præfecturam: *Ptolemaus*, Ægyptum „ & Africam: *Laomedon* Syriam cum „ Phœnice: *Philotas*, Ciliciam: *Antipater*, Macedoniam: *Antigonus*, Lyciam, „ Pamphiliam, & Phrygiam majorem: „ *Cassander*, Cariam; *Meleager*, Lydiam: „ *Leonatus*, Phrygiam minorem, Hellesponto adjunctam: *Eumenes*, Cappadociam & Paphlagoniam: *Pithon*, Mediam: *Lysimachus*, Thraciam &c. „ Qua propter sacer Auctor nihil hac in „ parte narrat historiis profanis contrarium. „

*Instans*: Ibidem cap. 8. 7. auctor narrat Antiochum ductum fuisse captivum apud Romanos: Sed de hoc momento nullam faciunt alii auctores mentionem: Ergo &c. Ibidem additur Romanos dedisse Eumeni Regi Indiam & Mediam: Atqui Romani nutquam fuerunt Indiarum & Mediæ Domini: Ergo &c. Ibidem subdit auctor Romanos sui imperii uni homini per singulos annos committere præfecturam, & tamen apud omnes constat Romanos tunc temporis duos habuisse Consules, penes quos Reipublicæ regimen erat, quique illam gubernandi habebant Provinciam: Ergo &c.

*Respondeo* omnibus æqua lance pondetatis, nullam reperiri contradictionem. Unde ad primum, distinguo: Antiochus ductus est captivus ad *Lysimachiam* pro Romanis præsidem & præfectum, seu ducem, concedo: ad ipsos Romanos, ita ut Antiochus Romanæ sisteretur curiæ, nego: cum autem Lysimachias in hoc momento Romanorum esset Vicarius, & eorum nomine cuncta faceret, recte dicitur Antiochus ad Romanos fuisse missus: ita Polybius lib. 17. quia vero etiam Antiochi Regnum Romano ascitum fuit Imperio, in isto quoque sensu Antiochus dici potest vivus ad Romanos ductus captivus.

*Ad* secundum nego minorem; cum enim Græcorum imperium ad Romanos transierit, India quoque & Media quibus Græci dominabantur, Romanorum subditæ fuerunt potestati, quod auctor eodem capite indigitat, his verbis: *Locaque qua longe erant valde ab eis, & Reges qui supervenerant eis ab extremis terræ, contriverunt, & percusserunt eos plaga magna; cæteri autem dant eis tributum omnibus annis. Et Philippum & Persen Cetetorum Regem, & cæteros qui adversum eos arma tulerant, contriverunt in bello, & obtinuerunt eos: & Anthiocum Magnum Regem Asiæ..... Et quia ceperunt eum vivum & statuerunt ei ut daret ipse, & qui regnarent post ipsum, tributum magnum, & daret obsides, & constitutum; & regionem Indorum & Medos & Lydos, de optimis Regionibus eorum: & acceptas eas ab eis dederunt Eumeni Regi.*

*Ad* tettium distinguo minorem: Romani duos constituebant Consules qui alternata vice quibusdam hebdomadis, aut mensibus Reipublicæ pertractarent negotia, concedo: qui simul gubernatent, nego. Ita refert Polybius, cujus hanc reddit rationem Livius lib. 2. „ Si duo simul „ imperassent, Regibus exactis, non remotus, sed duplicatus terror videretur. „ Hoc ipsum innuit aliud factum Romanorum qui tempore belli unum Dictatorem ad cuncta regenda eligebant. Cujus Rei argumentum irrefragabile est infelix

pugnæ

pugnæ Cannensis eventus non aliunde repetendus, quam ex temeritate illius Consulis, penes quem eo die erat summa rerum Imperii Romani. His adde unum Consulem suæ ditionis Provinciis præfuisse: quocirca lib. 1. Mach. cap. 15. unus solus Consul Romanorum ad Ptolemæum Regem in gratiam Judæorum scribit epistolam, quæ sic incipit: *Lucius Consul Romanorum Ptolemæo Regi salutem* &c.

*Urgent*: Cap. 1. 17. abominatio desolationis de qua Daniel. 9. fit mentio de statua Antiochi in Templo Jerosolymitano posita intelligit auctor: Atqui tamen Christus Dominus Matth. 24. hanc ad Antichristum refert abominationem: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Et eo loci non loquitur anctor de abominatione, quam commemorat Daniel, concedo: & de eadem loquitur, nego. Non una fuit in Templo abominatio; prima contigit quando statua Antiochi in eo collocata est, altera cum Aquila aurea per Herodem in eodem fuit apposita loco. Tertia futura est pro sæculorum consummatione, eo scilicet tempore quo Antichristus veluti Deus sedebit in loco sancto. De priore loquitur auctor lib. 1. Machab. de aliis Propbeta Daniel.

*Solvuntur objecta adversus secundum Librum Machabæorum.*

OPPONUNT: Cap. 2. 5. Jeremias arcam Domini cum altari & tabernaculo in monte Nebotb abscondisse dicitur, & quod locus plebi ignotus erit, donec Deo per pœnitentiam Judæi faciant satis: In ejus quidem narratione tria apparent falsa. I. Non potuit Jeremias Arcam ibi apponere, cum tunc temporis esset in carcere detentus. II. Chaldæi ipsum everterant Templum. III. Tametsi populus e captivitate Babylonica solutus esset, Arca tamen non comparuit: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Jeremias Arcam abscondit antequam in vincula conjiceretur: vel etiam tempore quo a vinculis & e carcere, jubente Nabuchodonosor solutus est, concedo: eo temporis spatio quo erat in carcere detentus, nego. Potuit igitur in his temporum durationibus & Arcam, & tabernaulcum abscondere.

*Ad* secundum distinguo: Chaldæi dilapidaverant Templum, salva Arca, concedo: non salva, nego. Namque Jeremiæ 52. ea omnia quæ in terram suam asportaverunt Chaldæi, enumerantur: Sed altum est de Arca & tabernaculo silentium.

*Ad* tertium distinguo: Et Auctor canonicus eo loci loquitur de congregatione populi sub finem sæculorum facienda, concedo: Tunc etiam Judæi teste Hieronymo, agnoscent Christum velut ex Ægypto redeuntem, & tunc, inquit Epiphanius in vita Jeremiæ, Arca & tabernaculum ante abscondita in signum & argumentum missionis Cbristi, qui omnes adimplevit veteris Testamenti figuras, & detegentur & apparebunt: Et loquitur auctor de congregatione populi, quæ immediate post captivitatem Babylonicam contigit, nego.

*Cæterum* potuit Jeremias alicubi transferre Arcam & Tabernaculum, vel ante urbis Jerosolymitanæ obsidionem, videlicet tempore Joachim Regis Juda, maxime cum cuncta eventura præsciret, liberrimus foret, & magna, tum apud Sacerdotes, tum apud populum auctoritate polleret, vel etiam in ipsa urbis dilapidatioue, quæ, regnante Sedecia facta est a Nabuzardam exercitus Nabuchodonosor Præfecto, qui quidem ut habetur lib. 4. Regum cap. 25. Domum Domini, domum Regis & cæteras domos urbis igne succendit; namque Jeremias gratiam invenerat apud Nabuchodonosor qui præceperat Nabuzardam nihil mali Prophetæ inferre; quinimmo, ipse Rex eum sic alloquitur Jerem. cap. 40. 4. *Nunc ergo ecce solvi te hodie de catenis, quæ sunt in manibus tuis: si placet tibi ut venias mecum in Babylonem, veni; & ponam oculos meos super te: si autem displicet tibi venire mecum in Babylonem: reside: Ecce omnis terra in conspectu tuo est: quod elegeris, & quo placuerit tibi ut vadas, illuc perge.*

*Urgent*: Cap. 12. Judas Machabæus præcipit orare pro iis qui in bello ceciderant, quorum non pauci idola sub vestibus deferebant: Sed absurdum est orare pro impiis, qui idololatræ obierunt: Igitur liber ille non est sacer, & manifestas implicat contradictiones. Confirmatur: Ibidem cap. 14. celebratur Rasias eo quod manus sibi intulisset violentas: Ergo &c.

*Respon-*

*Respondeo* I. distinguendo: Et auctor facta historice recenset, concedo: & intendit illa ab omnibus purgare nævis, nego. Historici sacri sicut bona, ita & mala referunt hominum facta: quandoquidem etiam nonnulla generose acta juxta hominum placita quamdam virtutis speciem præ se ferunt, hinc auctor celebrat eos qui pro patria in bello ceciderant: Sed nusquam intendit coram Deo hujusmodi justificare facinora: Igitur facta in objectionibus allata, nihil ab auctoritate Scripturæ detrahunt, cum sicut evenerunt, & ut veritati consona referantur.

*Respondeo* II. in particulari ad primum, licere pro defunctis orare: sic propugnat S. Augustinus epist. 6. ad Dulcitium & lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 23. item & lib. de cura pro mortuis cap. 1.

*Rursus* respondeo ad idem factum distinguendo: Judas præcepit orare pro iis qui cum pietate ceciderant, ut expresse ibidem habetur, concedo: pro iis qui in peccato pertinaces fuerant defuncti, nego. Cæterum qui idola sub vestibus obtecta ferebant, potuerunt ante obitum illa deponere, & de peccatis condolere: cum autem Ecclesia non judicet de internis, ab omni ævo voluit universim pro defunctis fundi preces in refrigerium, his solummodo exceptis, qui in peccato pertinaces denuntiati sunt, & publice omni excepta tergiversatione obdurati e præsenti migrarunt vita. Non desunt qui propugnent illos milites non idololatriæ superstitione, sed predæ tantum aviditate donaria illa ex Templo idolorum abstulisse, ac subinde non nisi venialiter peccasse, aut eos ante mortem de peccato suo doluisse: quo fit, ut pro illis preces & sacrificia absque pietatis violata regula offerri potuerint.

*Respondeo* ad factum Raziæ distinguendo: Et ex motu Spiritus sancti pro patriis legibus potuit semetipsum interficere, ne in manus incircumcisorum, ut eo loci scriptum est, prolaberetur, concedo: & in desperationem actus vim sibi ipsi intulit, nego. Primum innuere videtur Scriptura, quæ refert Raziam immediate ante mortem invocasse Dominum. Sic enim habetur lib. 2. Mach. de eo cap. 14. sub finem: *Et cum adhuc spiraret, accensus animo surrexit: & cum sanguis ejus magno fluxu deflueret, & gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit; & stans supra quamdam petram præruptam, & jam exanguis effectus, complexus intestina sua, utrisque manibus projecit super turbas, invocans dominatorem vitæ ac Spiritus, ut hæc illi iterum redderet: atque ita vita defunctus est*. S. Augustinus lib. 1. de civ. Dei, cap. 21. ait quandoque licitum esse mortem sibi inferre, modo hoc fiat Deo movente, inspirante & permittente: qua ratione eo loci excusat & Jephte, qui propriam Domino immolavit filiam, & Samson qui concussis templi Philisthinorum columnis, sub ædificii ruinis conclusus, obiit. Pari igitur & consimili ratione multi auctores Raziam excusant. Ita Tyrinus, & alii non pauci interpretes.

*Persistunt*: Ibidem Judæi dicuntur a Nabuchodonosor translati in Persidem: Atqui tamen constat Babylonem translatos fuisse: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Et auctor attendit ad Persarum Reges, quos Alexander contriverat, quorum regiones suo addiderat Imperio, concedo: & excludit Babylonem, nego. Bella Machabæorum tempore Græcorum contigerunt, hinc in libris Machab. fusus est sermo de Regibus Syriæ qui in Perside regnabant; quocirca nomen regno commune scilicet Persidis commemorat: porro Antiochus cuncta loca, cunctasque regiones trans Euphratem, adeoque & Babylonem pro suo habebat funiculo; hoc ipsum patet ex lib. 1. Machab. cap. 6. ubi dicitur quod nuntius qui venit Babylonem ad Antiochum, venerit in Persidem.

*Solvuntur objectiones ex contradictionibus utriusque libri ad invicem.*

ANTEQUAM ista Calvini argumenta proferamus, unum est solvendum, cum ait utrumque librum neque reperiri in Judæorum Canone, neque a multis Patribus recipi: Ergo &c.

*Respondeo* ut supra ad similes difficultates, Ecclesiam decursu temporum, maturo prævio examine, quosdam de novo in Canonem adscivisse libros: cum autem hoc cito-citius non contigerit, non mirum si quidem Doctores libros Machabæorum prio-

priores, uti sacram Scripturam non habuerint, maxime vero cum solam spectet ad Ecclesiam determinare credenda.

*Objicit* Calvinus, varias esse inter utrumque librum contradictiones & discrepantias: Igitur uti sacri non admittendi sunt. Probatur Antecedens: Lib. 1. cap. 6. v. 16. Antiochus Epiphanes seu illustris anno Græcorum 149. dicitur mortuus; lib. vero 2. cap. 11. vers. 34. Antiochus Eupater patre mortuo Judæis litteras dedit, quas & misit anno 148. quocirca eædem litteræ recensentur diversis annis missæ & ante mortem Antiochi illustris, quod manifestam implicat contradictionem. II. lib. 1. cap. 6. Demetrius Seleuci filius anno 151. discedens e Roma primum regnavit, & lib. 2. cap. 14. v. 4. jam regnabat anno 150. III. Lib. 1. cap. 6. 20. & sequentibus Eupater Judæam cum multis copiis invasit anno 150. & lib. 2. cap. 15. 1. hoc factum dicitur anno 149. Ergo &c.

*Respondeo* negando Antecedens. Ad probationem multiplicem distinguo: Et Scriptor libri primi Machabæorum uno modo, altero vero Scriptor secundi computavit annos, concedo: eodem modo ambo numerarunt, nego. Duplex apud Judæos erat annus, Sacer scilicet & civilis: Primus incipiebat à mense Nisan, hoc est ab æquinoctio verno; posterior a mense Tisry, hoc est, ab Æquinoctio autumnali; sicque sex de priori anno menses habebat, quatenus sese usque ad Pascha extendebat, ut suum duodecimum compleret mensem. Scriptor prioris libri usus est anno sacro, alter vero civili. Ceterum levissima est inter utramque Chronologiam discrepantia, de qua non una est vel inter ipsos auctores opinio.

*Respondet* R. P. Graveson tract. de Scriptura sacra pag. 231. & 232. illas apparentes in Chronologia dissonantias absque negotio conciliari posse: " Nam, *inquit*, „ Historici Græci annos Regni Græcorum computant ab initio Regni Alexandri Magni, qui, ad Arbellam devicto Dario Codomanno ultimo Persarum Rege, tamquam supremus Monarcha per sex annos regnavit. Ast auctor librorum Machabæorum, sicut & Judæi annos Regni Græcorum numerant ab initio Regni Seleuci Nicanoris qui, dumtaxat annis post obitum Alexandri Magni undecim Regnum obtinuit in Syria, cujus pars erat Judæa: hinc citra ullum Chronologiæ errorem oritur illa in annis Regni Græcorum diversitas; nam verum est, Antiochum Epiphanem anno 137. Regni Græcorum regnare cœpisse, juxta Epocham illius Regni Græcorum sumptam a Seleuco Nicanore, qui primus in Syria undecim annis post obitum Alexandri Magni Regnum obtinuit. Et verum itidem est, eumdem Antiochum Epiphanem Regnum suum inivisse anno 153. Regni Græcorum, juxta illius Regni Epocham, quæ suum habet exordium a Regno Alexandri Magni. „

Judæi annum auspicabantur a mense Nisan verno tempore, sed Græci annum incipiebant a mense Septembri: Porro auctor lib. 1. Machabæorum primam sequitur supputationem anni a mense Nisan, auctor vero lib. 2. Machab. posteriorem sectatur supputationem anni a mense Septembri, quo fit ut auctor lib. 1. Machab. dicat Antiochum Epiphanem mortuum esse anno 149. Regni Græcorum, auctor vero lib. 2. scribat, filium Antiochi Epiphanis regnare cœpisse anno 148. Regni Græcorum: hæc igitur in consignandis temporibus diversitas non officit auctoritati librorum Machabæorum, sed eam potius commendat, & eorum antiquitatem demostrat.

*Urget:* Pax oblata est Judæis ab Eupatore lib. 2. cap. 4. 31. anno 148. mensis Xanti die 15. qui vel fuit Nisan, vel non procul ab eo: pax vero facta est mortuo Epiphane, seu Antiocho illustri, qui quidem obiit lib. 1. cap. 6. 16. anno 149. qui quidem ante Nisan Mensem non incepit: Igitur annum quem primus scriptor ann. 148. numeravit, secundus vero 149. qui in eodem Nisan mense, vel paucis elapsis mensibus a morte Antiochi incidebat, non potuit esse: & hoc propter multa. I. Quia plurima, mortuo Epiphane, ab Eupatore & Juda Machabæo facta enarrantur, quæ certe intra tam angustum tempus fieri non potuerunt: namque cap. 10. varia oppugnavit oppida Judas, qui & tres exercitus Gordias contrivit. II. lib. 1. cap. 6. pax facta dicitur anno sabbatico qui non fuit alius quam 150. atta-

attamen lib. 2. dicitur facta ann. 148. qui in neutro contingere potuit, sive anni exordium sumas a mense Nisan, sive a mense Tisri: Igitur hujusce pacis Chronologia non consociatur.

*Respondeo* distinguendo: Et fuit pax multiplex eaque diversa, concedo: & una fuit, nego: alternata vice ab Eupatore & Lysia cum Judæis inita pax est. Primo quidem anno 148. deinde 150. primus scriptor loquitur de secunda per Antiochum facta, hortante Lysia, ut in fine capitis texti legitur; alter vero cap. primam quam Antiochus absens postea fecerat, commemorat: absentem autem Antiochum tota series capitis indicat, maxime vero quod legitur lib. 2. cap. 12. *His factis pactionibus, Lysias pergebat ad Regem*.

*Instat*: Lib. 1. cap. 1. Antiochus Epiphanes regnare cœpit anno 137. apud Eusebium vero 156. II. lib. 1. cap. 9. Judas occubuit anno 152. & lib. 2. cap. 1. 10. litteras dedit Aristobulo anno 188. Ergo &c.

*Respondeo* adhærendum esse potius Scriptori canonico quam Eusebio, qui regnum Epiphanis computat ab occiso Dario, quod contigit ann. ab urbe Roma condita 424. septem annis ante Alexandri mortem. Scriptor vero sacer & alii Regnum Epiphanis numerant ab Æra Seleucidarum; quæ incipit ann. 12. post mortem Alexandri. Iam de annis 156. detrahe 19. restant 137.

*Respondeo* ad secundum distinguendo: Et ibi mentio fit de duplici Juda, quorum unus non erat Machabæus, concedo: de uno & eodem, nego. Qui eumdem esse contendunt, referunt ad superiorem epistolam. R. P. Graveson Tract. de Scriptura sacra pag. 233. & 234. sic respondet ad difficultatem propositam.

*Huic* objectioni triplex potest adhiberi „ responsio: In primis dici potest contra „ hæreticos, incuria librariorum incidisse „ mendam in notas numerales & scriptum fuisse annum 188. loco anni 148. „ quo anno scripta omnino videtur hæc „ epistola: tum quia hoc anno 148. Regni Græcorum in vivis erat Judas Machabæus, quippequi vita solum functus „ est anno expleto regni Grçcorum 152. „ juxta Æram Seleucidarum, vel mortuus est anno 169. Regni Grçcorum „ juxta Æram Lagidarum; tum quia „ etiam in hac epistola duo narrantur „ recens facta, quæ revera anno 148. „ Regni Græcorum juxta Æram Seleucidarum contigerunt, nempe, expoliatio templi Naneæ facta ab Antiocho Epiphane, ejusque in hoc templo clades, & „ Templi Jerosolymitani a Gentilibus profanati purificatio propediem facienda: „ Quocirca hæc epistola scripta videtur anno 148. Regni Græcorum, & missa a Juda Machabæo & a populo Jerosolymitano ad Aristobulum magistrum Ptolemæi „ Regis, & ad Judæos Hellenistas in Ægypto commorantes, quos ea in Epistola monent & certiores faciunt de Antiochi clade; eosque adhortantur ad celebrandam diem Scenopegiæ. Secundo, „ responderi potest, hæc verba anno 188. „ non esse principium epistolæ sequentis, „ quam Judas Machabæus scripsit, sed esse finem præcedentis epistolę, quam totus Judæorum populus, duce Joanne „ Hyrcano, scripsit, & quæ eodem capite 1. l. 2. Machab. præcedit ordine „ Epistolam Judę Machabęi, sed ea tempore posterio est, utpote scripta anno „ Regni Grçcorum 188. Unde vero quam „ simillimum videtur, posteriorem hanc „ epistolam, quę in codicibus Grçcis teste „ Bellarmino, non incipit ab istis verbis: „ *Anno centesimo octogesimo octavo*, sed ab „ isto: *Populus qui est in Judæa & Jerosolymis*, scriptam quidem fuisse a Juda Machabęo, eam tamen non nisi post ejus „ obitum, & tempore Joannis Hyrcani, „ quo Judęi alta pace potiebantur, directam fuisse ad Judęos in Ægypto „ commorantes, cui Iudęi Jerosolymitani brevem illam epistolam priorem adjunxerunt, & annum, quo scribebant, „ nimirum 188. præfixerunt. Denique, „ responderi potest, hanc posteriorem epistolam, facta hypothesi, quod incipiat „ ab ipsis verbis: *Anno centesimo octogesimo octavo*, non fuisse scriptam a Juda Machabæo, sed ab altero Juda, qui an „ fuerit Judas Essenus, qui tum temporis, teste Iosepho, ob prophetiæ donum „ magna apud Judæos pollebat auctoritate, vel alius nobis incognitus? plane „ incertum est, sicut incertum est quis „ fuerit ille Aristobulus, qui Magister „ Ptolemæi hac in epistola appellatur,

„ an Aristobulus Peripateticus ? an ali-
„ quis alius ejusdem ætatis? „

*Insistit*: Lib. 1. cap. 4. 52. Judas Templum purgavit anno 148. antequam obiret Epiphanes, & tamen lib. 2. cap. 10. purgavit biennio postquam obierat, hoc est anno 151. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Et purgatio Templi, & historia purgationis non referuntur in eodem loco, concedo: & referuntur, nego. Purgatio Templi facta est anno 148. ante Epiphanis obitum, sicut primus enarrat scriptor: at vero alter primum omnia quæ de Antiocho erant, scribit, deinde ad res Machab. pergit, ne esset confusio. Quod vero de sacrificiis post biennium oblatis dicit, intelligendum est a violatione & pollutione Templi; id enim constat ex cap. 2. lib. 1. & cap. 3. v. 21. namque ex Josepho Templum anno 145. violatum est, purgatum vero biennio exacto & completo, sive tertio, adeoque anno circiter 148.

*Reponit*: Lib. 1. cap. 6. Epiphanes cum Templum Elimaidis expoliare vellet, repulsus fugit Babylonem, auditaque suorum, Lysiæ scilicet clade, tristitia & languore confectus, obiit; lib. vero 2. cap. 9. habetur quod cum templum Persepolis dilapidare tentaret, victus fugerit versus Ecbatanam, tum certior factus de Nicanoris & Timothei Clade, dum furens in Judæam abire conatur, dolore viscerum exagitatus fit, tum ac demum e curru deturbatus iterato vulnere percussus fit, ex quo fœtor intolerabilis & insilientes vermes ipsum corrodentes, tandem morte miserrima defunctus fit: quæ quidem res diverso prorsus modo narratur in eodem libro Cap. 1. 13. in Epistola Jerosolymitanorum: Igitur inter utrumque librum perpetua exurgit contradictio.

*Respondeo* distinguendo consequens: Et contradictio est mere materialis & penes terminos, concedo: & est formalis, nego. Tres illæ narrationes seu descriptiones nullo modo ad invicem pugnant: in prima quidem Templum Elimaidis, in secunda Templum Persepolis, in tertia Templum Naneæ vocatur. Elimaidis nomen est regionis, Persepolis nomen urbis, Naneæ nomen deæ matris, quam alii Dianam Persicam, alii Venerem Elimeam, alii terram fuisse volunt: cum igitur in prima dicitur Epiphanes fugere, in pugna dicitur, tum 14. fugisse Babylonem: in secunda Ecbatanam; in tertia cecidisse in templo Naneæ, ubi postea cum suis comitibus a Sacerdotibus percussus, ab iisdem & membratim discerptus est, locorum & personarum, seu etiam nominum facta distinctione, cuncta absque negotio conciliantur.

Quid plura referam? Scriptores diversi diversas scripserunt circumstantias. Jerosolymitani Epiphanem in Templum introductum enarrant, ubi, & lapidibus obrutus, una cum suo comitatu, aiunt, periit: quum dicunt illum in Templo Naneæ cecidisse, id est, victum fuisse: sic Gen. cap. 14. Rex Sodomorum cecidit in prælio, cui tamen Abraham postea occurrit, id est victus fuit, pari & consimili modo cecidit Antiochus, hoc est ita victus, & superatus ut vix pre fuge turpitudine sue proprie consuleret vite. Porro secundi Macheb. Scriptor locum in quo mortuus est Antiochus notat: alter vero locum ad quem pergere tentabat. Similiter cladem Lysie prior refert, posterior vero Cladem Nicanoris & Timothei, quas quidem Clades, ut pote proximas revera eas omnes audivit Epiphanes. Denique, primus scriptor causam morbi Regis enarrat, secundus vero morbum ipsum quo obiit; audita enim suorum Clade, incidit in tristitiam magnam, deinde & in egritudinem, ex qua natus viscerum dolor acutissimus, mortuus & sepultus est in inferno, & hoc propter varia scelera, quippequi sanguinem Sanctorum non semel effuderat. Hinc de illo scribitur, Mach. 2. 9. *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.*

*Mitto* alias objectiones, que ex Chronologia petuntur; tametsi enim discrepent auctores in determinando rerum gestarum tempore, manet tamen facta esse verissima, quod quidem sufficit ad authenticitatem librorum.

SYN-

SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Libri duo priores Machabæorum sunt sacri.*

PRIMO: Sic docet Patrum Traditio; eos quippe recipiunt, Clemens Alex. lib. 1. strom. Origenes lib. 2. Periar. cap. 1. Ambrosius lib. 2. de Jacob & vita beata cap. 10. Augustinus lib. 18. de civ. cap. 36. Innocentius I. Epist. ad Exuper.

*Secundo*: Concinunt Concilia: Carthaginense III. Can. 47. inprimis Tridentinum sess. 4.

*Tertio*: Usus sic obtinuit; Ecclesia Romana quippe, & lectiones pro suo Breviario, & epistolam pro missa quotidiana de defunctis ex libris Mach. excerpsit.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Antylogiæ apparent quidem si cuncta juxta litteram & in sensu obvio sumantur, secus vero si omnes circumstantiç adamussim ponderentur. Sic v. g. Alexander Magnus dicitur primus regnasse in Grçcia, sed dubio-procul hoc sic intelligitur, primus fuit Grçcorum Imperator, quippequi inter Græcorum Reges extiterit solus, qui Orientem totum suo subjecerit Imperio.

*Secundo*: Facile quoque Chronologiæ diversæ conciliantur, cum scriptor unius libri Chronologia civili utatur, alter vero Ecclesiastica, non nihil a priore diversa, & excrescenti, propter menses lunares breviores, quam Synagoga pro rebus Religionis sequi çquum ducebat.

*Tertio*: Tametsi oppositio quçdam affulgeat juxta historiam mortis Antiochi, quem defunctum unus scriptor dicit Elemaide, alter in templo Naneç, vel Persepolis, absque negotio solvitur, cum hec in eumdem reincidant locum: Namque Elemaides nomen est regionis; Persepolis, nomen urbis; Nanea, nomen Templi quod Dianç veluti matri erexerant Pagani.



# DISSERTATIO TERTIA.

# DE LIBRIS

## NOVI TESTAMENTI.



Ovum Testamentum in quatuor dividitur partes, videlicet in quatuor Evangelia, Acta Apostolorum, Epistolas, & Apocalypsim. Revera tamen unicum est Evangelium præclara Christi facta referens; sed quatuor numerantur Evangelistæ, nimirum Matthæus, Marcus, Lucas & Joannes. Primo, apponitur hominis figura, eo quod a generatione Christi secundum carnem suum incipiat Evangelium: Marcus habet pro signo Leonem, quippequi vitam Christi & historiam a prædicatione S. Joannis Baptistæ in deserto incipiat delineare: nam & rugitus leonis vocem in deserto pro pœnitentia facienda clamantem optime indigitat: ponitur ad latus S. Lucæ bos, ea potissimum ratione quod Evangelii sumat exordium a Sacerdotio Zachariæ, cui mactare victimas conveniebat: Joannes vero habet pro signo aquilam, eo quod primumquidem a divinitate Verbi sic intonet: *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum &c.* Sicut enim aquila altissima transcendit, sic & præ cæteris Evangelistis fusius, & profundius de divinitate Christi locutus est. Cæterum Evangelista idem est ac prædicator, juxta illud Angeli ad Pastores cap. 2. 10. *Evangelizo vobis gaudium magnum*; & Actuum 21. in eodem prorsus sensu Philippus dicitur Evangelista: Tum S. Paulus 2. ad Tim. 4. 5. Discipulum sic alloquitur: *Opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple*. Quodlibet Evangelii volumen sui auctoris præ se fert nomen; dicitur enim de primo Evangelium secundum Matthæum &c.

*Acta* Apostolorum, nemine contradicente, scripta sunt a sancto Luca: Apostolorum, sed maxime S. Pauli referunt gesta. In primo capite egregius fit sermo de Ascensione Domini in cœlos, & de descensu Spiritus S. in Apostolos.

*Epistolæ* multa de mysteriis, præsertim vero Incarnationis & gratiæ mediatoris referunt argumenta, exhibentque recte vivendi normam. Quædam fuerunt ad particulares alicujus urbis cives conscriptæ, quædam vero ad universalem directę sunt Ecclesiam, & ideo vocantur Catholicæ, hoc est universales. Prioris generis sunt epistolę beati Pauli 14. numero; una scilicet ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Galatas; una ad Ephesios, una ad Philippenses, una ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, una ad Hebræos. Posterioris vero generis 7. numerantur: videlicet una Jacobi, duæ Petri, tres Joannis, & una Judę.

*Apocalypsis*, id est, visio seu Prophetia, Auctorem habet Joannem, qui futura mala futurasque & nascentis & finientis Ecclesię calamitates prenuntiat.

*S. Matthæus* scripsit 8. Christi anno. Ita Eusebius lib. 3. cap. 24. & lib. 5. cap. 10. S. Bartholomæus ad Indiam pergens fidem Christi prædicaturus, tulit secum B. Matthæi Evangelium, seu Evangelium secundum Matthæum, qui scripsit hebraice seu Syro-chaldaice, quæ quidem lingua tunc erat in usu; sic censet Irenæus lib. 3. sic quoque Hieronymus Præf. ad Evangelia. Ex isto volumine claret S. Matthæum alias nomine Levi insignitum, telonio relicto secutum fuisse Christum Dominum. Papias, Irenæus, & Origenes Codicem Evangelii juxta Matthęum gręce conscriptum viderunt, quocirca Cajetanus & alii nonnulli posuerunt S. Matthęum scripsisse gręce, sed & in hoc sunt allucinati. Nec mirum, cum lingua Gręca 1. 2. & sequentibus sęcu-

sæculis plurimum floreret, textus Originales hebraici ad faciliorem usum græcæ redditi sunt linguæ. S. Marcus duplex distinguitur, alter comes Barnabæ, alter vero beati Petri similiter Comes, qui & Evangelista; primus vocatur & Joannes, ut habetur Act. 15. sed nusquam Evangelista; alter vero sicut acceperat a Petro, sic & græce scripsit Evangelium. Sic propugnat Clemens Alexand. apud Eusebium lib. 6. cap. 4. Multi Codices Græci a 500. circiter annis conscripti sub finem cujuslibet Evangelii referunt annum quo quilibet scripsit Evangelista; Matthæus scilicet anno Christi 8. Marcus anno ejusdem Christi 10. Lucas anno 15. Joannes anno 30.

*S. Lucas* individuus fuit beati Pauli Comes, ut patet 2. Corinth. 2. v. 10. Quia vero plura præ aliis duobus prioribus acceperat, plura quoque conscripsit. Joannes Zebedæi piscatoris filius cum fratre suo Jacobo, a Christo vocatus ad piscationem hominum, annumeratus est inter Apostolos. Hieronymus l. 1. contra Jovinianum ait fuisse Apostolum, Evangelistam, & Prophetam: Apostolum quidem, eo quod ad Ecclesias ut Magister scripserit; Evangelistam, eo quod Christi facta ejusque divinitatem & historice & theologice retulerit; Prophetam vero, quia multa prænuntiavit mysteria. Idem fundavit Asiæ Ecclesias. Hieronymus illum mortuum existimat; alii vero e contra, cum Elia & Enoch ad debellandum Antichristum autumant in fine sæculorum venturum.

*Acta* in uno fere versantur Paulo, cujus Actus & peregrinationes fuso calamo usque ad ejus adventum Romæ describuntur, id est, usque ad quartum Neronis annum, Christi vero 58. ex quo infert Hieronymus librum Actuum ibi fuisse compositum. Cur reliqua quæ contigerunt, non scripserit, ignoratur. Chrysostomus homil. 1. in Acta, testatur S. Lucam ea solum scripsisse quæ erant necessaria, Jam sit

ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum quatuor Evangelia & Acta Apostolorum sint Libri sacri?*

CONCLUSIO.

*Quatuor Evangelistarum volumina, sicut & Actuum Liber sunt canonica.*

PROBATUR I. ex Concilio Tridentino, quod ea omnia sess. 4. de fide declaravit & sacra & divina. II. Ex traditione; utriusque enim Ecclesiæ Græcæ scilicet & Latinæ Patres unanimi consensu illa receperunt. Clemens Romanus, Barnabas, Polycarpus & Ignatius non semel faciunt de Evangelio a Matthæo scripto mentionem. Subscribit lib. 5. hist. Eccl. cap. 10. de volumine B. Marci Papias, Clemens Alexandr. Eusebius, & alii sæpius loquuntur. Inprimis Hieronymus epist. 123. ad Damasum, & S. Augustinus lib. 1. de consensu Evang. cap. 1. Tertullianus lib. 4. contra Marcion., Hieronymus & alii celebrant Evangelium secundum Lucam. Hieronymus & Chrysostomus multa de Actibus disserunt tamquam de volumine genuino a sancto Luca conscripto. Irenæus lib. 3. cap. 1. Hieronymus Præf. in Matthæum de Evangelio B. Joannis disserunt. Addit Hieronymus illud adversus Ebionistas Christi divinitatem abnegantes Apostolum conscripsisse: Non abs re erit hic texere verba Irenæi, qui eo loci quatuor Evangelistis suum addit calculum, his verbis: Matthæus in Hebræis „ ipsorum lingua scripturam edidit Evan- „ gelii cum Petrus & Paulus Romæ evan- „ gelizarent ..... Post vero eorum dis- „ cessum, Marcus .... quæ a Petro an- „ nuntiata erant, per scripta nobis tra- „ didit. Et Lucas autem sectator Pau- „ li, quod ab illo prædicabatur Evange- „ lium, in libro condidit. Postea & „ Joannes ... Ipse edidit Evangelium E- „ phesi Asiæ, commorans. „

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

*I. De Evangelio secundum Matthæum.*

OBJICIES: I. Multæ sententiæ ex aliis

Libris canonicis veluti deprompta laudantur, quæ tamen in illis voluminibus non reperiuntur: Igitur Evangelium Matth. non est authenticum. Probatur Antecedens: Cap. 2. v. 23. ista refertur sententia: *Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth*; id est Christus: *Ut impleretur quod dictum est per Prophetas; quoniam Nazaræus vocabitur*. Porro Christus Nazareth non natus est. Confirmatur: Cap. 27. Jeremiam pro Zacharia laudat, his verbis: *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam: & acceperunt triginta argenteos &c.* Quæ quidem verba apud Zachariam cap. 4. v. 12. eadem ferme leguntur: Ergo &c.

*Respondeo* I. Multas urbes tempore Christi alia accepisse nomina, quocirca mirum videri non debet, si quandoque occurrat diversitas.

*Respondeo* II. Negando consequentiam. Ad primam probationem distinguo: Christus Nazaræus vocatus est, hoc est, sanctus & Deo mancipatus, concedo: & sic reddunt Septuaginta: in isto sensu Samson Judicum 13. v. 5. Nazaræus dictus est a Scriptore Can. præcise a civitate Nazareth in qua habitavit, illo donatus est nomine, nego. Potuit etiam isto ulteriori titulo Nazaræi ex habitatione scilicet & commoratione in illa civitate celebrari.

*Ad* confirmationem dico. I. Ignorantia Librariorum nomen Jeremiæ loco Zachariæ potuisse in exemplaria irrepere. II. Syriacam interpretationem & Persicam, immo & nonnullos codices nomen tum Jeremiæ, tum Zachariæ omittere. Sic refert S. Augustinus lib. de consensu Evangelistarum cap. 5.

*Respondeo* in forma distinguendo: Et ex traditione sciebat Matthæus hoc a Jeremia dictum fuisse, concedo: & ignorabat, nego. Non semel evenit Prophetas minores, majores ut pote ipsis priores quandoque in testimonium adducere. Hironymus testatur se apud Nazaræos librum Hebraicum vidisse sub Jeremia nomine, in quo locus a Matthæo citatus invenitur: sic Zacharias multa ex Jeremia deprompsit, quocirca ab antiquis Spiritus Jeremiæ dictus & vocatus est.

*Instabis*: Matth. 2. v. 15. habetur de Joseph: *Qui consurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum, & erat ibi usque ad obitum Herodis; ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem*, EX ÆGYPTO VOCAVI FILIUM MEUM: Sed LXX. legunt, *ex Ægypto vocavi filium meum Israel*, hoc est, filios seu Jacob, igitur incassum Matthæus istam sententiam, *vocavi filium meum*, de Christo interpretatur.

*Respondet* S. Hieronymus sententiam apprime a sancto Matthæo applicari Christo, quandoquidem ita de filio Dei vaticinatus fuerat Oseas cap. 11. 1. sic loquitur Hieronymus lib. 1. comment. in cap. 2. Matth. his verbis: „ Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem; *ex Ægypto vocavi filium meum*. Respondeant, qui hebræorum voluminum denegant veritatem, ubi hoc in septuaginta legatur Interpretibus? quod cum non invenerint, nos eis dicemus in Osee Propheta scriptum, sicut & exemplaria probare possunt, quæ nuper edidimus. „ Quibus verbis solvit S. Doctor difficultatem ex septuaginta Seniorum auctoritate propositam; namque in dubiis semper recursus fit ad textum originalem primigenium, videlicet hebraicum, in quo quidem habetur, *vocavi filium meum*, & non filios. Hanc Hieronymi interpretationem sequitur Glossa ordinaria. Quidam gravissimi Auctores autumant septuaginta Seniores œconomiæ causa vocabulum filios posuisse, ne si scripsissent filium, Ptolemeus Philadelphus alias idololatra, cui sacras interpretabantur Scripturas, non unum Deum visibilium & invisibilium Creatorem, sed plures esse Deos, videlicet Creatorem, & Jesum Christum uti ab isto substantialiter distinctum esse, credidisset; quocirca ad filios Israel ex Ægypto eductos Prophetæ sententiam absque negotio retulerunt; maxime vero cum lex vetus Christum præfiguraret, illumque in suis repræsentaret filiis.

*Non* desunt qui autument septuaginta Interpretes sententiam vidisse in textu hebræo, sed legisse in codice quem præ manibus habebant, *Benau*, quod interpretati sunt *filios ejus*: unde sic vertisse: *ex Ægypto vocavi filios ejus*: sanctum vero Evangelistam litteram *Vau* rejiculam esse censuit, legisseque *Beni*, id est, *filium meum*: quo-

quocirca habemus in Vulgata: *Ex Ægypto vocavi filium meum.*

*Ad* istam vocem vocavi filium meum Israel; seu *Jacob*, distinguo: Et eo loci Propheta Christum in figura, scilicet in Jacob, qui ejus Typus fuit per excellentiam, expressit, concedo: & Christum ipsum excludit, nego. Cum autem veniente veritate, cesset figura, & umbræ procul fugentur, ideo Matthæus juxta rei veritatem, hanc, *ex Ægypto vocavi filium meum*, sententiam, sicut de Christo prænuntiatam; ita & illi applicat, & de eo interpretatur.

*Urgebis*: Ibidem Matth. cap. 23. Zachariam vocat filium Barachiæ, qui tamen fuit Jojadæ: Igitur eo loci est manifesta contradictio.

*Respondeo* distinguendo: Et Hebræi sæpius nomina mutabant, concedo: & ea nusquam mutabant, nego. Hieronymus testatur in Nazaræorum codice pro filio Barachiæ, legi filium Jojadæ. Sic in eadem Scriptura sacra Eliacim quandoque vocatur Joachin, & Ozias quandoque Amasias, quod contigit cum diversa nomina idem significant.

*Non* abs re erit observare, aliquando Scriptores Canonicos quasdam laudare sententias veluti divinas, quæ tamen non extant in sacris voluminibus, sed absque veritatis dispendio; namque ex libris in ipsa Scriptura laudatis, sed amissis deprompserunt: sic sæpius laudatur liber dierum & sermonum Regum, sicut & quoddam Canticum versibus comprehensum circa Moysis tempora, quæ tamen volumina propter acerbitatem temporum exciderunt; quoniam vero laudantur in ipsa Scriptura sacra, eorum est authentica auctoritas.

*Oppones* II. Matthæus cap. 1. non recte Christi Genealogiam contexuit: Igitur ejus volumen non est authenticum & sacrum. Probatur antecedens. Ibi tres omittit Reges, videlicet Ochoziam, Joam, & Amasiam; Joram enim genuit Ochoziam; Ochozias, Joam; Joas, Amasiam; Amasias, Oziam: ut habetur 4. Reg. 8. 24. & 1. Paralip. 3. 11. Matthæus vero Joram primum ponit: his verbis *Joram autem genuit Oziam*.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem, distinguo: Matthæus laudatos omittit Reges œconomiæ causa, & quia etiam hoc ad propositum inutile erat, concedo: omittit aliquid a veritate detrahendo, nego. Primoquidem, non opus erat tres illos commemorare Reges, cum Matthæus illos solum recensere debuit, ut generationem Christi a David texeret; hinc potuit successionem legitimam a David usque ad Christum determinare, illustriores nominando & Reges & Duces. II. Tacuit tres prædictos principes utpote impios; cum igitur Joram ex filia impii Achab susceperat Ochoziam, & Joas atque Amasias essent posteri Achab, illos omnes omittere æquum duxit.

*Dices*: Cur ob eamdem maledictionem reliqui ab Achab mediate progeniti, scilicet Ozias & alii admittuntur? Resp. quia Exod. 20. maledictio non extenditur ultra quartam generationem, hinc Ozias & alii potuerunt nominari.

*Instabis*: Matthæus etiam tacuit Joachim, sed sine eo non potest intelligi Genealogia Christi, quandoquidem terminat secundam Tessarecadem ad captivitatem usque Babylonicam, ut scribit Epiphanius lib. 1. hæresi 8. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Et illa omissio culpa Librariorum contigit, concedo: secus, nego. Non semel evenit ex ignorantia Librariorum imperitorum quasdam in textum sacrum irrepsisse mendas, sed leviores; Matthæus igitur scripserat: *Josias genuit Jeconiam & fratres ejus in transmigratione Babylonis, & post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel*; Scriba imperitus vitiosam putavit repetitionem, hinc totum primum coma omisit. Epiphanius lib. 1. hæres. 8. contendit Joachim non potuisse omitti, ea ductus ratione, quod secundam Tessarecadem impleat. Jam vero cum Patres illud momentum agnoscant, tamquam Scripturam sacram, eamque ut a Matthæo dictatam, sequitur nullum esse ex parte Evangelistæ errorem.

*Replicabis*: Non desunt in eodem Libro alia facta historica in Genealogia Christi commemorata, quę veritati Scripturarum cohęrere non possunt: Ergo &c. Probatur antecedens multis momentis. 1. Matth. 1. Salathiel genitus dicitur post transmigrationem captivitatis, cum tamen lib.

1. paralip. cap. 3. 16. de hoc non fiat mentio, sed potius insinuetur ante transmigrationem natum fuisse; sic enim scriptum est: *De Joachim natus est Jeconias, & Sedecias. Filii Jeconiæ fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia, Sennefer, & Jecemia, Sama, & Nadabia.* II. Matth. 1. legitur: *Salathiel genuit Zorobabel*; & tamen 1. Paralip. 3. 18. 19. Zorobabel non Salathielis, sed Phadajæ dicitur filius. III. rursus Matth. 1. habetur: *Zorobabel autem genuit Abiud*; at 1. Paralip. 3. 19. duo solum recensentur Zorobabelis filii, scilicet, Mosolla & Hanania, una vero filia, scilicet, Salomith. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad primum dico, nullam fieri mentionem lib. 1. Paralip. 3. de tempore quo nati sunt filii Jeconiæ: quidquid sit, transmigratio potest sumi dupliciter. Primoquidem, pro actu transmigrationis. Secundo, pro omni captivitatis duratione. Si posteriori modo sumatur, recte dicitur Salathiel in transmigratione genitus; si priori, dicendus est post transmigrationem natus, & in isto sensu sanctus Matthæus ait, Salathiel post transmigrationem natum: auctor vero Paralipomenon sumendo transmigrationem in posteriori sensu, illum dicit in captivitate Babylonica ortum.

*Ad* alterum historiæ factum: Respondetur cum R. P. Alexand. dissertat. 19. veteris Testamenti pag. 194. col. 2. cum Tostato & Caietano, Zorobabelem, de quo in Paralipomenis, alium esse ab eo qui filius Salathielis a S. Matthæo dicitur. Quippequi ille Phadajæ filius non Salathielis nominatur, hic vero & apud Esdram, Nehemiam & Aggæum numquam Phadajæ, sed semper Salathielis filius, ut habetur in Evangelistis Matthæo & Luca, dicatur.

*Ad* tertium objectionis caput respondeo, Zorobabelem præter filios, de quibus lib. 1. cap. 3. Paralipomenon, alios habuisse, scilicet Abiud. Cur autem generatio Hasubah, aut Ohel prætermissa sit ab auctore Paralipomenon, ea forsan ratio est, quod familia David in ea declinare cœperit: quia vero S. Matthæus ortum Christi a Davidis progenie pro scopo texendum habebat, Abiud tametsi obscuri jam jam patris oriundum commemorare æquum duxit.

*Insistens*: Atqui in Matthæo circa Christi Genealogiam est manifesta contradictio: Ergo &c. Probatur subsumptum. Eam diverso prorsus a Luca modo contexit. Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad probationem, distinguo: Matthæus diverso modo a Luca non impugnante veritatem, delineat Christi Genealogiam, concedo: modo veritatem excludente, nego. S. Lucas Christi Genealogiam a Joseph, usque ad Adam scripsit, hoc est, juxta naturalem propaginem; hinc omnes avos Christi, tam obscuros quam illustriores refert; Matthæus vero eamdem fecit, sed solum attendendo ad jus innatum successorum Abrahæ & Davidis usque ad Christum, quocirca illustriores & nobiliores tantummodo nominavit; hinc Salathiel e Jechonia sterili natum dicit, Lucas vero e contra cap. 3. illum ex Neri oriundum proclamat: Matthæus Salathielem successisse juri Jechoniæ dicit, Lucas vero primogenitum Neri asserit, mediate vero & Zorobabelis, illius scilicet qui principatum post captivitatem Babylonicam adeptus est; non alterius qui 1. Paralip. cap. 3. vers. 19. ex Phadaia natus & dicitur, is enim qui & Narcha fuit, a Nehemia, Josepho, & Aggæo, Salathielis filius & non Phadajæ nominatur.

*Dices*: Matthæus utitur verbo *genuit*, Lucas vero voce *fuit*, sed ista vocabula sunt diversa. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo minorem: Ista varba sunt diversa materialiter, concedo: formaliter, nego: namque idem significant. Observes velim vocem *genuit* apud Matthæum non semper importare generationem, sed tantummodo successionem, quandoquidem dicit Joram genuisse Oziam, quem tamen genitum fuisse ab Amasia constat: sic Salathielem ex Jechonia sterili procreatum asserit: igitur in his duobus jus successionum & non naturalis propagationis ordo attenditur.

*de sancto Marco.*

OPPONES: Duodecimus versus ultimi capitis Marci, & ver... teste Hieronymo, epist. ad Hedibiam, non inveniuntur in pluribus

bus exemplaribus, immo & desiderantur in duobus Missalibus Regiæ Bibliothecæ, tametsi unum sit vetustissimum : Igitur fuerunt ab aliquo additi.

*Respondeo* I. Dato & non concesso, hujusmodi versus non esse Canonicos, non inde sequitur totum Marci volumen non esse sacrum.

*Respondeo* II. Opponendo Missale Cantabrigense & Alexandrinum utrumque antiquissimum, in quibus prædicti versus reperiuntur, sicut & in nostris. Præterea nullus interpres negat eos esse genuinum divi Marci fœtum, quandoquidem non est credibile B. Evangelistam mutilam Christi scripsisse historiam, nihil de Resurrectione Domini dicendo. Et vero Irenæus lib. 3. cap. 1. sic loquitur: " Matthæus in Hebræis ipsorum „ lingua Scripturam edidit Evangelii, „ cum Petrus & Paulus Romæ Evange- „ lizarent & fundarent Ecclesiam. Post „ vero horum discessum, Marcus &c. „ Discipulus & Interpres Petri, & ipse „ quæ a Petro annuntiata erant, per „ scripta nobis tradidit. „ Nullam eo loci facit exceptionem. Idem sentit Tertullianus lib. de Præscript. cap. 13. Idem auctor synopsis. Idem Greg. Nyss. & alii bene multi.

*Instabis*: Atqui alia sunt loca in Evangelio juxta S. Marcum, in quibus occurrunt contradictiones: Ergo &c. Probatur antecedens. Ait Christum surrexisse mane Sabbati, Matthæus e contra scribit vespere Sabbati. II. Marcus dicit Christum hora tertia crucifixum fuisse, Joannes vero testis oculatus asserit hoc factum hora solum sexta contigisse. III. Marcus cap. 1. Isaiam pro Malachia citat, & cap. 2. Abyatar nominat pro Abymelech, sic enim cap. 2. 26. habetur: *Numquid legitis quid fecerit David... quomodo introivit in domum Dei sub Abiathare principe Sacerdotum, & panes propositionis manducavit*. Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad primam probationem, distinguo: Et Marcus attendit ad diem naturalem qui ortum habet a crepusculo, Matthæus vero ad diem legalem qui a vesperis computatur, concedo: & uterque de die in eadem significatione sumpto loquitur, nego. Et sic diversi respectus sacras conciliant Scripturas.

*Ad* secundum similiter, distinguo: Et Marcus scribit juxta horam judicii adversus Christum Dominum lati, Joannes vero juxta horam facti, concedo: & loquuntur Evangelistæ de eadem hora, nego. Christus hora tertia, quæ respondet nostræ nonæ morti per sententiam latam addictus est, solebant quippe Romani hora tertia judicare noxios, juxta illud cujusdam auctoris latini axioma: *Exercet Raucos tertia Causidicos*. Porro ut primum sententia lata est, jam homo judicialiter censetur tali vel tali morte occisus atque defunctus, hinc tres horæ elapsæ sunt usque ad factum & occisionem Christi, quo tempore paraverunt tortores crucem & clavos, & congregaverunt cohortem; hora vero sexta, quæ respondet nostræ duodecimæ, revera & effective Christus Dominus, sicut enarrat Joannes, in ara crucis pro nostra omniumque salute fuit oblatus, & ut victima nostræ salutis omnium pretiosissima mactatus.

*Ad* tertium, dico nomen Isaias in omnibus reperiri exemplaribus, & in Græco: præterea qui prius scripserat, citat Isaiam loquendo de prædicatione S. Joannis Baptistæ, postea vero velut in parenthesi adjecit Malachiam; namque Prophetæ minores ut plurimum majores adducunt in testimonium. Marcus attendit ad Isaiam. Irenæus legit in Marco, *Prophetas*, & sic cuncta concordantur.

*Respondeo*, ad secundum exemplum, distinguendo: Et Marcus œconomiæ causa nominavit potius Abiathar quam Abimelech, concedo: & hoc absque ratione scripsit, nego. Grotius observat Abiathar filium Abimelech maximi Pontificis Vicarium, & postea summum Sacerdotem fuisse, quocirca Marcus filium illustrem potius, quam patrem obscurum nominare voluit. Potest etiam dici Abimelech fuisse binomium, & Abiathar nomine donatum, quod apud Hebræos vulgatum satis & solemne erat.

### *De sancto Luca.*

Objicies I. Evangelium juxta S. Lucam aliquid veritati absonum complectitur: Igitur ille Liber non est Canonicus. Probatur antecedens: Chainam repo-

nit inter Arphaxad, quem ejus constituit patrem, & inter Salem quem ut ejusdem filium habet : sed altum est de hoc momento silentium Genes. 11. quamvis eo loci historia Patriarcharum, postdiluvianorum accurato calamo scribatur. Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem, distinguo minorem : Siluit eo quod sufficeret nominare avum, concedo : eo quod de facto Moyses haberet Chainam, ut hominem commentitum ; nego. S. Moyses quædam inutilia & subtiliora aut intricata omisit, ne mentem populi crassi deprimeret : sufficiebat igitur celebriores Patriarchas nominare, qualis erat Arphaxad. Non desunt critici, qui Chainam manu aliena interpolatice in Evangelium S. Lucæ intrusum asserant, cum in antiquioribus Evangelistæ exemplaribus desit. Desideratur utique in textu Hebræo & Samaritano, non secus ac in versione Chaldaica & Syriaca, quia tamen reperitur in Vulgata a Tridentino approbata, tum a Clemente VIII. & Sixto V. a mendis purgata, standum est solutioni datæ.

*Oppones* II. Adversus Act. Apost. volumen: Liber ille quædam primigeniæ Scripturæ contraria habet: Ergo &c. Probatur antecedens: Cap. 7. scribit Josephum omnem suam cognationem ex animabus septuaginta quinque conflatam in Ægyptum accercivisse, Moyses vero Gen. 46. & Exod. 1. numerat solum septuaginta personas. II. S. Lucas asserit quoque Jacob & alios Patriarchas esse sepultos in Sichem, in sepulchro quod emit Abraham, & Gen. 23. dicitur, illud sepulchrum positum in Hebron. Concinit Joseph qui lib. 20. Antiq. cap. 8. ait fratres Josephi sepultos fuisse in Hebron. III. Ibidem dicit Abraham emisse sepulchrum a filiis Hemor filii Sichem, ubi non unus sed geminatus error apparet. Primoquidem, Abraham non emit sepulchrum a filiis Hemor, sed ab Ephrone Hethæo filio Seor duplicem emit speluncam, ut habetur Gen. 23. 20. Hemor non fuit filius Sichem, sed potius Sichem fuit filius Hemor. Dicitur enim Gen. 33. 19. *Emitque Jacob, partem agri in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem, centum agnis.* Ergo &c.

*Respondeo* I. Solutionem patere ex dictis de libris Legalibus.

*Respondeo* II. negando antecedens. Ad probationem, distinguo: Et S. Lucas secutus est Versionem LXX. quæ inter cognationem Joseph numerat etiam quinque ejus nepotes, seu filios quinque Manasses & Ephraim, scilicet *Machir*, *Galad*, *Sutelaam*, *Toam*, & *Edem*, concedo : & aliquid falsi eruerat, nego. Moyses quidem siluit, tametsi numeret inter animas in Ægyptum ingressas Ephraim & Manassem: sed ne mireris, erant filii Joseph, non opus autem erat, absolute loquendo, nepotes commemorare.

*Ad* secundum, sic respondet R.P. Graveson Tract. de Scriptura sacra parag. 4. pag. 81. " Patriarcham Josephum fuisse „ sepultum in Sichem, sicut legitur cap. „ 24. 32. lib. Josue, Patriarcham vero „ Jacob sepultum fuisse in Hebron, ut „ colligitur ex capite 50. 13. lib. Genesis. De loco autem, in quo fratres Jo„ sephi sepulti sunt, silet omnino Scri„ ptura, eos tamen una cum Patriarcha „ Josepho fuisse sepultos in Sichem testa„ tur sanctus Hieronymus in Epitaphio „ Paulæ. „

*Ad* tertium respondet his verbis Beda, comment. in cap. 7. Act. Ap. " Et positi „ sunt in sepulchro, quod emit Abraham „ pretio argenti a filiis Emor filii Sichem. „ Docet etenim Genesis Abraham ab „ Ephron filio Seor Ethei in Cariatarbe „ locum sepulchri quadringentis argen„ teis siclis emisse, in quo ipse Abra„ ham, Isaac & Jacob, & Adam proto„ plastus sepulti. Itemque Jacob de Me„ sopotamia reversum juxta urbem Si„ chem, partem agri, quo tabernacula „ tenderet, ab Emor patre Sichem datis „ centum agnis accepisse. Non emit er„ go Abraham sepulchum ab Emor Si„ chemita, sed ab Ephron Etheo, in quo „ duodecim Patriarchæ non sunt sepulti, „ sed in Sichen, ut diximus. Verum B. „ Stephanus vulgo loquens, vulgi magis in „ dicendo sequitur opinionem. Duas enim „ pariter narrationes conjungens, non tam „ ordinem circumstantis Historiæ, quam „ causam de qua agebatur, intendit. „ Qui enim insimulabatur adversus lo„ cum sanctum & legem docuisse, pergit „ ostendere, quomodo Jesus Christus ex

lege

„ lege monstretur esse promissus , & „ quod ipsi , nec tunc Moysi , nec Do„ mino nunc servire maluerint . Hæc „ ut potui , dixi , non præjudicans sen„ tentiæ meliori , si adsit . Porro, quod „ dicitur a filiis Emor filii Sichem , in „ Græco exemplari scriptum est , *A* „ *filiis Emor , qui fuit in Sichem* , quod „ Genesis Historiæ magis concordare vi„ detur , tametsi fieri potuerit , ut idem „ Emor & patrem filium Sichem nomi„ ne haberet . „

*De sancto Joanne.*

OPPONES: Evangelium secundum Joannem quasdam in sensu obvio implicat contradictiones : Igitur inter libros Canonicos non debet annumerari. Probatur Antec. Historia mulieris in adulterio deprehensæ, quæ refertur cap. 7. in multis exemplaribus Græcis, in codice Vaticano vetustissimo , & in antiquissimo Bibliothecæ Regiæ desideratur : Ergo &c.

*Respondeo* I. negando antecedens . Ad probationem , dico Librarium in codice regio locum reliquisse vacuum , & hoc quia in quibusdam codicibus extabat, in aliis vero omittebatur . Unde Respondeo II. In multo pluribus inveniri , videlicet in codice Patrum Oratorii Parisiensium non quidem suo loco , sed hoc ne minimum quidem facessit negotium. In vetustissimis codicibus etiam reperitur; nimirum in Cantabrigiensi , in omnibus Missalibus quæ legit Theodorus Beza, si unum excipias. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos cap. 6. dicit quod factum legebatur suo tempore in multis exemplaribus, tum Græcis, tum Latinis. Ammonius auctor tertii sæculi in sua harmonia , historiam veluti sacram commemorat: Ambrosius epist. 25. num. 4. Aug. Tract. 33. in Joannem , versio Syriaca , Arabica , Persica , Ethyopica , & tota Ecclesia Orientalis illam recipiunt historiam , sed maxime Synodus Trid. Igitur major auctoritas minori præponderat .

*Instabis*: Eadem historia reperitur in Evangelio Nazaræorum , sed istud Evangelium non est sacrum: Igitur a pari nec historia laudata veluti Canonica habenda est.

*Respondeo* I. Quædam esse in Evangelio Nazaræorum vera , quæ auctores Canonici, protegente Spiritu sancto, ne in errorem prolaberentur , veluti verissima enarrare potuerunt.

*Respondeo* II. Cum aliis permultis historiam mulieris in adulterio deprehensæ, de qua B. Joannes, diversam esse a muliere de qua mentionem faciunt Nazaræi : ista quippe non semel adulterium commiserat, illa vero semel & unica vice ; quocirca Christus peccati concessit veniam , eo quod illa mulier magis ex fragilitate , quam ex malitia peccaverat.

*Dices* : Conclusio Evangelii secundum Joan. videtur ab alio facta & conscripta: Igitur istud Evangelium , non est quoad omnes partes Canonicum . Probatur antecedens . Cap. ult. vers. 24. auctor, sic loquitur : *Scimus quia verum est testimonium ejus*. Si ipse Joannes scripsisset, debuisset ponere , scio quia verum dico.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem, distinguo : Et Joannes præ humilitate , & personam historici gerens adeoque quasi alienam , sic locutus est, concedo : & se ipsum excludit , nego. Porro, in verbis immediate antecedentibus sufficienter se prodit , his verbis : *Hic est discipulus ille , qui testimonium perhibet de his , & scripsit hæc* .

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Volumina quatuor Evangelistarum , & Apostolorum Acta, sunt Libri sacri.*

PRIMO : Hoc constat ex traditione Patrum.

*Secundo* : Et commentariis SS. Doctorum in Evangelia & Acta .

*Tertio*: Ex usu perpetuo Ecclesiæ , & definitione Concilii Tridentini sess. 4.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Quandoque S. Matthæus quasdam citat Scripturas quæ tunc amplius non extabant, sed ex traditione Canonicas esse prænoverat : quandoque etiam laudat unam sententiam alicuius Prophetæ, quæ alteri tamen tribuitur; sed ne mireris , Prophetæ minures non semel Prophetarum maiorum placitis ad veritatis confirmationem utuntur, unde nullum sequitur inconveniens. Cæterum Matthæus quos-

quosdam in Genealogia Christi texenda omittit Reges impios, quippequi ex aliis capitibus sufficientia haberet ad ostendendum Christum esse ex stirpe David oriundum.

*Secundo:* S. Marcus ait quidem Christum fuisse crucifixum hora tertia, sed intelligendus venit de sententia mortis, quæ pro more illa hora, quæ est apud nos nona matutina, lata est: porro ut primum pronuntiatum est mortis judicium, reus jam civiliter mortuus evadit.

*Tertio:* Historia mulieris in adulterio deprehensæ a S. Joanne commemorata, verissima est; tametsi enim in quibusdam exemplaribus desideretur, in plurimis tamen optimæ notæ invenitur, nimirum in Cantabrigensi, in omnibus Missalibus quæ legit Theodorus Beza. SS. Hieronymus lib. 2. contra Pelag. capit. 6. Ambrosius epist. 23. num. 4. Augustinus Tract. 33. in Joannem & alii illam ut Canonicam habent.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *Num Epistolæ B. Pauli sint Canonicæ?*

SAULUS qui & postea Pauli nomen a Paulo Proconsule traxit, Judæus genere fuit; Tribu, Beniamita; patria, Tarsensis; nobilitate, Romanus; secta, Pharisæus; primum nominis Christiani adapertus hostis, deinde vero vas electionis, & fidei Christianæ defensor acerrimus, Ecclesiæ columna & decus. Insigni miraculo conversus est anno Christi circiter 34. Tum voce, factis & scriptis Christi fidem defendit & propagavit; ac demum ann. 64. Romæ pro Christo passus & decollatus est.

*S. Paulus:* Quatuordecim scripsit Epistolas, ut supra dictum est, sed quo anno, quove tempore, incertum est. Quidam tenent primam ad Thessalonicenses conscriptam fuisse, & datam ann. 49. & paulo post secundam: ad Galatas ann. 53. eodem anno primam ad Corinthios Ephesi scripsit, deinde alteram. Eam, quæ est ad Romanos, scripsit Corinthi anno 54. & postea anno 59. Epistolam ad Ephesios. Romæ vero ut primum a captivitate solutus est, scripsit ad Philippenses, ad Hebræos, ad Philemonem, & ad Colossenses. Anno 63. scripsit ad Titum, & primam ad Timotheum: anno vero 64. secundam ad eumdem: jam sit

### CONCLUSIO.

**Epistolæ B. Pauli sunt sacræ & divinæ.**

*Probatur multipliciter.*

PRIMOQUIDEM ex SS. Patribus, qui universim eas veluti Canonicas habent. His accedit definitio Concilii Tridentini, quod sess. 4. eas omnes in Canonem divinarum Scripturarum adscivit.

*Secundo:* S. Thomas in catena aurea auctoritate Patrum eas explicat, & uti sacras interpretatur.

*Tertio:* Idem specialiter de epistola ad Hebræos probatur. B. Petrus epist. 2. 3. illam, his verbis laudat & celebrat: *Hanc ecce vobis charissimi, secundam scribo epistolam...... Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis*. Sed ad eosdem scribit B. Petrus, ad quos scripserat S. Paulus, adeoque ad Hebræos, namque S. Petri Epistola, utpote catholica, ad universam Ecclesiam directa fuit. Igitur Princeps Apostolorum, his verbis: *Sicut & charissimus frater noster Paulus.... scripsit vobis*. De Epistola B. Pauli ad Hebræos mentionem facit.

*Confirmatur:* Concilium Laodicense epistolam ad Hebræos veluti geminam Can. 59. recipit. Item Carthagin. III. Can. 47. Nicænum primum, teste divo Thoma, comment. in hanc epistolam, Ephesinum, Chalcedonense & Tridentinum sess. 4. suum ipsi addunt calculum. Ergo &c.

*Continuant Patres Græci.* Clemens Alexandr. comment. in epist. ad Corinthios, apud Eusebium lib. 3. capit. 38. Origenes apud Eusebium lib. 3. capit. 18. Gregorius Nazianz. in carmine de Canone Scripturæ sacræ, Athanasius in synopsi. Epiphanius hæres. 76. Damascenus lib. 4. cap. 18. & alii illam ut sacram habent.

*Suffragantur Patres Latini*, maxime Hilarius lib. 12. de Trinit. Ambrosius lib. 2. de Cain capit. 2. Hieronymus epist. ad Dardanum, & alii plurimi. Ergo &c.

Pro-

*Probatur*, denique hoc ratiocinio. Illa epistola juxta variorum auctorum sententiam, vel est S. Pauli, vel S. Lucæ, vel S. Barnabæ, vel Clementis Romani, vel saltem Tertulliani: sed supposito quod esset vel Lucæ, vel Barnabæ, esset semper Canonica: constat autem ex dictis non esse illorum; neque est Tertulliani, quandoquidem Clemens Alexandr. Tertulliano paulo antiquior asserit esse D. Pauli; sic legitur apud Eusebium lib. 6. capit. 4. nec consequenter Clementis Romani, namque illam ut sancti Pauli citat: superest igitur illam Epistolam esse D. Pauli, & consequenter sacram.

*Diluuntur objecta*.

Objicies: Multi Patres etiam antiquissimi, ut Cyprianus, Lactantius, Arnobius, de epistola ad Hebreos videntur dubitare: quinimmo Hieronymus lib. de viris illustribus asserit Caium propugnasse istam epistolam ab Ecclesia Romana veluti divinam non recipi. Ergo &c.

*Confirmatur:* Nomen B. Pauli sicut aliæ non præ se fert: Igitur neque est epistola B. Pauli, neque consequenter & canonica.

*Respondeo* I. Plures Patres, & post ipsos Concilium Tridentinum epistolam ad Hebræos veluti Canonicam recipere, quocirca de ejus authenticitate dubitare nemini licitum est.

*Respondeo* II. Patres in objectione commemoratos, illam epistolam non absolute rejicere. Ad Hieronymi auctoritatem, dico non evacuare epistolæ veritatem; maxime vero cum errore facti S. Doctor detentus, quasi dubitanter de authenticitate epistolæ ad Hebræos locutus sit, quippequi transcripserit verba Eusebii ex cap. 16. lib. 16. deprompta. Quid plura? Ipse Eusebius solummodo dicit epistolam laudatam ab aliquibus Romanis non recipi; sed constat a multo-pluribus approbari, præsertim vero a Clemente Romano, ut ipse refert Eusebius lib. 3. cap. 32. Evaristus quoque epistola 2. & Hygginus epistol. 1. illam recipiunt. Ad confirmationem, Hieronymus pref. in primam B. Joannis epistolam, ait Apostoli nomen præ se non ferre, & tamen esse Canonicam neminem dubitare. Idem prorsus dicendum de epistola ad Hebræos. Quod autem Paulus eo loci suum tacuerit nomen, non una est ratio. Primoquidem, ita se gessit Apostolus eo quod vix ipsius conversionem scirent Judæi. II. Ne eisdem exosus fieret, eo quod cæremonias Judaicas per fidem in Christum cessare contenderet, cum tamen e contra Judæi etiam ad fidem conversi legalia retinere vellent: denique Paulus non Judæorum, sed Gentilium Apostolus erat, quocirca tametsi quandoque etiam ad confirmandum Judæos ad fidem Christi conversos elaboraret, æquum tamen non duxit in suo, ut ita dicam, nomine ad illos conscribere.

*Instabis*: Stylus epistolæ ad Hebræos est omnino a stylo cæterarum Epistolarum diversus. Igitur illa Epistola non est divo Paulo tribuenda, adeoque non est Canonica. Confirmatur: Non eodem modo & Prophetæ & aliæ Scripturæ, in illa sicut in cæteris citantur & laudantur. Ergo &c.

*Respondeo*, styli diversitatem ex multis promanare. Primoquidem, Apostolus innata lingua in qua eloquentissimus erat, illam conscripsit: neque vero in aliis Epistolis eloquentia deest, tametsi enim ad Græcos, qui vanæ eloquentiæ studebant, simpliciori stylo scripserit; non desunt tamen phrases dissertæ, quæ passim sparsæ annotari possunt, quandoquidem S. Paulus erat ex innato genio eloquentissimus. II. Gravissimi auctores contendunt hanc Epistolam Græcæ linguæ redditam fuisse vel a S. Luca, vel a Clemente Alexandr. ut refert Eusebius lib. 3. capit. 38. porro lingua Græca disertissima est. Ad confirmationem patet solutio: Græci quippe LXX. sequuntur Interpretes, qui diversis a lingua Hebraica utuntur phrasibus, unde non mirum si diversis quoque modis & Prophetas, & alias Scripturas in hac Epistola, & referant & vertant, nunquam tamen aliquid de sententiis immutando.

*Urgebis*: Quædam veritati absona in ea affulgent Epistola: Ergo &c. Probatur antecedens. Apostolus capit. 2. inter eos qui ab Apostolis ad fidem conversi sunt se annumerat, cum tamen ab ipso Christo id factum esse in alia Epistola commemo-

memoret. II. Ibidem ait suum cum Barnaba & Tito contulisse Evangelium ; nemo tamen novit Apostolum illum fuisse Evangelistam.

*Respondeo* negando antecedens. Ad primum probationem, distinguo : Se dicit per alios Apostolos ad fidem conversum, hoc est, in fide confirmatum, concedo : namque eo loci ait vidisse Petrum & Jacobum fratrem Domini : dicit se per Apostolos absolute ad fidem conversum, nego. Quidam sic interpretantur Paulum, cum per Apostolos se se ad fidem conversum asserit, hoc est, suæ ætatis homines ; Scriptor enim sæpius in plurali loquitur, & hoc in prima persona, quod majorem sapit elegantiam & historici stylum; sic Isaiæ 64. 6. Propheta, loquitur : *Facti sumus ut immundi omnes*. Hoc est, omnes ferme homines ad terrena deflexerunt; non enim Isaias de se loquitur.

*Ad* confirmationem: D. Paulus, suum contulit cum Tito & Barnaba Evangelium, hoc est, sua scripta, concedo: ita ut fuerit Evangelista, nego. Dictum est supra omne bonum nuntium Evangelium appellari, quocirca qui vitam annuntiant æternam Evangelistarum nomine donantur. In isto sensu Paulus quatenus veritatis prædicator, dicitur Evangelista.

*Insistes* : Auctor epistolæ ad Hebræos probat Christum, esse filium Dei, per illa verba ex cap. 7. lib. 2. Reg. deprompta : *Ego ero illi in patrem*. Sed hoc male; namque illa sententia de Salomone intelligitur.

*Respondeo* negando minorem. Ad probationem, distinguo : Et Salomon erat Christi Typus, concedo : & non erat, nego. Multa de Salomone in sensu obvio leguntur apud Psalmistam, quæ tamen non nisi de Messia intelligi possunt, ut in Psalmo 71. *Deus judicium tuum Regi da*. Quem Tertullianus de Christo per omnia interpretatur, maxime vero de regni æternitate : constat enim regnum Salomonis non fuisse perpetuum & immensum, ait ille Doctor.

*Instabis* : Idem auctor cap. 9. loquens de Testamento proprie dicto, quod morte testatoris confirmatur, allegat verba ista Exod. 24. *Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus*. Sed in Hebræo nulla fit mentio de Testamento, sed de pacto : pactum autem est contractus factus secreto & in particulari, Testamentum vero quid publicum ; Paulus vero qui Hebraicam callebat linguam, hoc ignorare non potuit. Ergo &c.

*Respondeo*, si de nomine agatur, vocem hebræam *Berith*, a Lxx. verti *Diaticous*, id est, Testamentum : Si de ipsa re, est simul pactum & Testamentum ; Testamentum quidem quatenus testatoris significat dispositionem, pactum vero quatenus promittit sub conditione fidei & pœnitentiæ hereditatem æternam : utrumque explicat Paulus veluti per figuram Testamento veteris legis, quod multi faciebant Hebræi, ad quos suam direxerat epistolam. Jam ad aliud, distinguo : Et Moyses Exod. 24. vocat pactum solemne habens dispositionem de danda hereditate post mortem testatoris, propter quod aspergebat populum sanguine vitulæ, qui erat figura sanguinis Christi pro nobis effundendi, concedo: pactum ut sic, nego. De primo loquitur Paulus, & idem est ac Testamentum.

*Persistes* : In eadem epistola multa sunt quæ fidei dogmatibus adversari videntur : Igitur prorsus excidit a veritate, quam liber Canonicus præ se fert. Probatur antecedens multipliciter. Primoquidem : Cap. 6. hæc habentur: *Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque saculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*. Item cap. 10. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia* : Hoc ipsum confirmat cap. 12. exmplo Esau, qui cum vendidisset propter unam escam primitiva sua, postea cupiens habere benedictionem, reprobatus est, nec locum pœnitentiæ invenit. *Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua : Scitote enim quoniam & postea cupiens hareditare benedictionem, reprobatus est. Non enim invenit pœnitentia locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam*. Quæ quidem & similia erroribus & Novatianorum, qui negabant dari remedium

pro

pro peccatis post Baptismum patratis, & Prædestinatianorum, qui propugnabant impios necessitari ad mortem æternam incurrendam, non nihil favere videntur. Rursus cap. 1. Filius Dei dicitur *Splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*, scilicet Patris, qua sententia utebantur Ariani ad probandam suam hæresim; subdit enim infra Apostolus de filio Dei: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit*; quasi non a Deo Patre genitus, sed factus, seu creatus esset solum ut beatis spiritibus superior, ut garriebant iniqui homines.

*Respondeo* negando antecedens: Ad 1. probationem, distinguo: Impossibile est renovari lapsos post pœnitentiam ad innocentiam baptismalem, concedo: quod enim fœdatum est semel, inquit S. Thomas, fieri non potest non fuisse corruptum. Ad pœnitentiam, quę teste Tertulliano est secunda post naufragium tabula, subdistinguo: impossibile, hoc est, difficile, concedo: absolute, nego. Sic locum Apostoli interpretatur S. Thomas comment. in epist. ad Heb. & hoc unum probat exemplum Esau, qui ideo pœnitentiæ locum non invenit, quia aut desperatione actus, aut socordia irretitus veram non habebat de peccatis contritionem; hinc abjectus legitur: ait enim S. Augustinus lib. 1. ad Simpl. q. 2. " „ Deus non odit Esau hominem, sed E- „ sau peccatorem. „

*Observes* velim, Apostolum in eodem sensu loqui ac S. Matthæum, qui cap. 12. 4. ait peccata in Spiritum sanctum non remitti in hac vita, hoc est, summa cum difficultate propter cordis ut plurimum impœnitentis duritiem, & propter malitiam, ut ipse sanctus Paulus Rom. 2. explicat his verbis: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei*. Igitur sicut Evangelium secundum Matthæum propter laudatam de difficultate penitentiæ hominis ex præconcepta malitia sententiam non expungitur e canone Librorum sacrorum, ita nec ab eodem excludi debet propter allata sancti Pauli ad Hebręos epist.

*Ad* confirmationem, nego oracula Apostoli favere Arianis, quin potius eorum validissimis argumentis & prematuris sententiis debellat errorem, probando Verbi divinitatem, ejusque cum Patre & consubstantialitatem, & coæternitatem: Atque supra Angelos omnipotentem dominationem, & infinitam disparitatem his verbis cap. 1. 5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rursum: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*. Apostolum loqui de filiatione naturali, claret, non enim filiationem adoptivam excludit ab Angelis, quippe qui per gratiam sanctificantem veri essent Filii Dei adoptivi. Pergit v. 6. 7. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei... & tu in principio Domine terram fundasti: Et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent*.

*Repones*: Auctor laudatæ epistolæ cap. 9. refert in Arca fuisse urnam, Manna, virgam Aaronis quæ fronduerat, & Testamenti tabulas præcontinentem; attamen lib. 3. Reg. cap. 8. dicitur nihil aliud fuisse in Arca præter duas tabulas lapideas: sed liber Canonicus nullam debet implicare contradictionem: Igitur cum manifestam includat epistola ad Hebręos, e canone divinarum Scripturarum removenda est.

*Respondeo* distinguendo: Et juxta Arcam erat urna habens manna, & virgam, quod sufficit ut in latiori sensu hæc dicantur fuisse in Arca, concedo: & nullo modo erant versus Arcam, nego. Non diffiteor tamen tempore Salomonis manna & virgam non fuisse in Arca, bene vero tempore Moysis, quod Apostolus a traditione rescire potuit.

*Persistes*: Si epistola, de qua controversia movetur, foret canonica, maxime quia S. Paulum haberet auctorem: Atqui eum non habet. Et probatur: Auctor sub finem epistolæ asserit se ad Judæos reversurum; quod dubio-procul in sanctum Paulum non cadit, quippe qui eos tamquam infensissimos Christi hostes fugeret: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem. Ad probationem, distinguo: Scripsit auctor se ad Judæos Asiæ reversurum, concedo: ad Judæos

dæos Jerosolymæ, nego. Cum S. Paulus Romæ commoraretur, potuit scribere, non quidem ad Judæos Jerosolymæ, quorum furorem ut evitaret, appellaverat Cæsarem, sed ad Judæos in Asia dispersos, si voluntas Dei esset ad eos reversurum.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Epistola S. Pauli sunt sacra.*

PRIMO: Eas omnes Patres recipiunt. Et habentur in decreto Concilii Tridentini sess. 4. de Scripturis sacris.

*Secundo:* S. Thomas in Catena aurea variis Patrum auctoritatibus omnes explicat, & ut sacras interpretatur.

*Tertio:* Epistolam ad Hebr. citat S. Petrus epist. 1. c. 1. 23. eam suscipit Concilium Laodicense, eam Carthaginense III. can. 47. eam Clemens Alex. comment. in epist. ad Corinth. apud Eusebium lib. 3. cap. 38. eam Athanasius in synop. &c.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Ultro fatemur aliquos e veteribus Patribus non nihil dubitasse de epistola ad Hebr. sed non absolute abjecisse; tum, inventis manuscriptis, accedente Ecclesiæ definitione, uno consensu suscepta est.

*Secundo*: Neque vero quidquam ab eius detrahitur authenticitate, quod Pauli nomine in quibusdam exemplaribus non donetur, cum Apstolus ab hoc abstinuerit, ne si nomine ejus titularetur, exosus Judæis Romæ degentibus fieret, quippe qui ab ipso nomine Pauli deterrerentur, eo quod scirent, cum legalia, quibus inhærere volebant, prorsus abjicere.

*Tertio*: Absque ratione nonnulli in dubium revocare voluerunt epistolam, propter styli elegantiam, quandoquidem S. Paulus erat disertissimus Orator. Quidam suspicantur a sancto Luca græce fuisse redditam, omnes autem norunt linguam græcam sermonis lepore & venustate clarescere.

## ARTICULUS TERTIUS.

*De Epistolis Catholicis.*

DICTUM est Epistolas Catholicas eas esse quæ ad universalem numero directæ sunt Ecclesiam, quæque numero sunt septem: quoniam vero speciales sunt difficultates pro epistolis B. Joannis, claritatis causa hunc articulum in duas dividimus sessiones. Unde sit

## SECTIO PRIMA.

*Num Epistola beatorum Jacobi, Petri, & Judæ, sint canonica?*

## CONCLUSIO.

*Epistola prædicta sunt Canonica.*

PROBATUR ex Conciliis, I. ex Conciliis Laodic. Carthag. II. Ex Florentino. III. Ex Tridentino sess. 4. quæ illas omnes ut canonicas recipiunt. Item ex Innocentio I. epist. 3. ad Exuperium, ex Gelasio in Concil. Roman. 70. Episcoporum, ex Origene homil. 7. in Josue, ex Athanasio in synopsi; ex Hieronymo in epistola ad Paulinam de studio Scripturarum, & ex August. lib. 2. de doctrina Christiana; qui quidem omnes, nulla excepta veluti canonicas celebrant.

*Confirmatur:* Concilium Millevitanum citat epistolam sancti Jacobi, sicut & Dionysius lib. de divinis nominibus cap. 4. Cyprianus lib. ad Novatianum, Augustinus epist. 29. ad Hieroymum. Prima S. Petri ab omnibus semper fuit recepta: non semel laudatur & citatur ab Apostolorum discipulis apud Eusebium lib. 3. cap. ult. Secunda citatur nomine Petri a S. Hyggino, epistola 2. a S. Gregorio hom. 18. in Ezechielem. De ea quoque in Ecclesia die Transfigurationis in primis lectionibus fit mentio. Epistola S. Judæ citatur a Dionysio lib. de divinis Nominibus cap. 4. & a Tertulliano lib. de habitu muliebri, a Cypriano epist. ad Novatianum, ab Origene lib. 5. in cap. 5. ad Romanos: ab Epiphanio hæres. 76. a sancto Hieronymo in cap. 1. ad Titum. Quibus positis sic argumentamur, Illæ epistolę ullo

ullo absque dubio sunt sacræ, quas tales esse perpetua probat Ecclesiæ traditio: Atqui a Christo nato traditio Patrum illas epistolas tamquam sacras & laudat & accipit: Ergo &c.

*Fit satis objectionibus.*

Objicit Erasmus adversus epistolam S. Jacobi. Si epistola illa foret canonica, maxime eo quod Jacobum Apostolum auctorem haberet, illumque Jerosolymæ Episcopum, qui & frater Domini in Evangelio dicitur: Sed iste non fuit Apostolus. Et probatur: Hieronymus in commentariis capitis primi ad Gal. dicit graviter errare eos qui dicunt illum Jacobum esse unum ex duodecim Apostolis.

*Respondeo* negando minorem, namque ipsum Evangelium testatur illum Jacobum unum ex duodecim Apostolis fuisse, & hoc ipsum asserit Hieronymus in loco pro objectione allato, tum & lib. adversus Elvidium. Cæterum sanctus Doctor, non eos dicit errore teneri qui talem Jacobum asserunt Apostolum, sed qui dicunt fuisse Joannis fratrem, cum potius fuerit non Zebedæi, sed Alphæi filius, quippe qui esset Jacobus minor.

*Opponunt* Magdeburgenses centuria 1. lib. 2. cap. 4. Eusebius lib. 2. cap. 23. epistolam S. Jacobi adulterinam vocat. II. Auctor profert testimonia ex Epistolis Petri & Pauli: Igitur non est Apostolus, sed Apostolorum discipulus.

*Respondeo* ista omnia non probare epistolam sancti Jacobi non esse canonicam: Ad primum dico, Eusebium non bene citari, nam ibidem ait scribens de epistolis SS. Jacobi & Judæ: " Verumtamen has quo„ que cum cæteris in plurimis Ecclesiis „ publice lectitari cognovimus. „ Quibus verbis clarissime indigitat Eusebius epistolas omnes canonicas eodem calculo cum epistolis B. Pauli ab Ecclesia recipi. Ad secundum dico, ne minimum quidem de veritate epistolæ primæ detrahere; dictum est enim minores Prophetas quandoque citare majores, quinimmo ipse B. Petrus laudat D. Pauli sententias, & de ejus scribendi modo pro mysteriis mentionem facit, & approbat; quidni igitur & auctor primæ epistolæ canonicæ in testimonium veritatis aliorum Apostolorum sententias adducere potuerit?

*Instant:* Atqui illa epistola inter canonicas non recensenda est: Et probatur multis momentis. I. Auctor illius epistolæ non se Apostolum vocat, sicut se nominat sanctus Paulus. II. Neque talis epistola præ se fert initio titulum de pace, de gratia, de Christo, & de Deo: quinimmo more laicorum hominum loco gratiæ & pacis, auctor ponit salutem. III. Eusebius lib. Hist. Eccl. cap. 23. de sancto illo Jacobo loquens, ait: " Ei etiam adscri„ bi solet epist. 1. earum quæ catholicæ „ dicuntur, quam quidem nonnulli spu„ riam & suppositititiam existimant, sane „ pauci admodum ex vetustioribus, hu„ jus epistolæ mentionem fecere, &c. „ Suffragatur sanctus Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de Apostolo sermonem instituens, ait: " Unam „ tantum scripsit epistolam, quæ de se„ ptem catholicis est, quæ ipsa ab alio „ quodam sub nomine ejus edita asseri„ tur; licet paulatim tempore proceden„ te obtinuerit auctoritatem. „ Ex quibus liquet & S. Hieronymum, & Eusebium in ea fuisse sententia, epistolam non fuisse genuinum sancti Jacobi fœtum.

*Respondeo* negando subsumptum: Ad primam probationem dico, sanctum Jacobum humilitatis motivo non se nominasse Apostolum, sed Dei & Domini Jesu Christi servum, quod etiam B. Paulo familiare erat, ut cum ad Philippenses scribit: tum quia Judæis ad fidem conversis ut Apostolus Christi sufficienter notus erat: addo nomen Jacobi excidisse sive casu, sive malorum hominum molitione in quibusdam Græcis exemplaribus, sed extare in vetustissimis latinis codicibus, & in compluribus etiam græcis tam editis quam manuscriptis codicibus Biblioth. Reg. & Colbert.

*Ad* secundum respondeo, nullum esse inconveniens, Apostolos quandoque uti modo loquendi apud omnes familiari, maxime cum humanitate & benevolentia, apprime per vocem illam *salutem* expressa. Sic vel ipsi Apostoli in Concilio Hierosolymitano Act. 15. in ea epistola quam scripserunt ad Gentiles factos Christianos, ajunt: *Apostoli & seniores his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ et Ciliciæ fratribus ex gentibus salutem.*

*Ad* tertiam jam data est solutio; constat enim ex ipsis tum Hieronymi, tum Eusebii terminis eos in aliorum loqui sententia, cum expresse uterque dicat B. Jacobi epistolam inter canonicas annumerari. Ceterum, cum S. Hieronymus dicit non nisi decursu temporum uti canonicam habitam fuisse, unum tantummodo vult, scilicet quosdam dubitasse de ejus authenticitate, sed accedentibus postea Ecclesię definitionibus, eam ut divinam suscepisse. Quod autem sit vel ab ipsa vagiente Ecclesia genuina, asserunt Tertullianus, S. Cyprianus, inprimis vero Origenes homil. 7. in lib. Josue, & alii quos supra laudavimus.

*Replicant:* Prędicta epistola contradictoria, & adversus sancti Pauli doctrinam pugnantia continet: Ergo &c. Probatur antecedens: S. Paulus hom. 9. docet hominem non justificari ex operibus, sed solum ex fide: e contra vero S. Jacobus pronuntiat fidem sine operibus mortuam esse: Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens. Ad probationem distinguo: S. Paulus dicit hominem non justificari ex operibus legis, concedo: Et eo loci excludit bona opera ex fide & charitate facta, nego. Judæi volebant hominem justificari Legis Mosaicæ operibus, eos propterea in illo toto capite debellat. Et rursus ad Galat. 5. dicit: *Si circumcidamini Christus nihil vobis proderit:* sed dubio-procul non excludit bona opera in fide facta, cum ea ubique predicet, & de seipso dicat Col. 1. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Simon Magus, ista excludebat opera, hinc S. Jacobus illum perstringit; & sic conciliantur Scripturæ. Utraque interpretatio est sancti Augustini sermone 13. de verbis Apostoli, qui explicat sanctum Paulum, & de Judęis ita loquitur: " De lege gloriabantur, & libero arbitrio suo legem sufficere arbitrabantur, ignorantes Dei justitiam, id est, ex fide justitiam datam a Domino, & suam volentes statuere, quasi suis viribus impletam, non dante fide impetratam, justitię Dei, sicut dicit Apostolus, non subjecti. " Tum lib. de fide & operibus capit. 14. idem sanctus Doctor Simonem & suos ita confutat: " Quoniam ergo hæc opinio fuerat exorsa, alię epistolę Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, fidem sine operibus nihil prodesse, sicut ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt. "

*Objiciunt* multa Heterodoxi contra epistolam Judæ, ut illam a canone divinarum Scripturarum rescindant: Primoquidem, inquiunt, Judas asserit se post Apostolos vixisse: Igitur nec fuit Apostolus, nec Scriptor Canonicus. Secundo non in Græcia, sed in Perside prædicavit: Igitur Lingua Persica & non Græca scribere debuit. Tertio, altercationem B. Michaelis cum diabolo de Moysis corpore commemorat, & tamen de hoc aliæ Scripturæ silent. Quarto, Librum Enoch non ut apocryphum, sed uti sacrum laudat & citat, quæ quidem omnia indigitant epistolam Judæ non esse ab Auctore sacro, adeoque nec ut divinam habendam esse.

*Respondeo* hæc in contrarium argumenta leviora esse, ut epistolæ Judæ authenticitatem subvertant: Et vero ut faciamus satis, dicimus ad primum Judam aliis Apostolis coęvum, potuisse etiam diutius præ cæteris vivere; non enim uno & eodem anno omnes mortui sunt. Ad secundum: Tametsi Judas in Perside scripserit, uti tamen Lingua Gręca debuit, quippe quæ esset apud eos ad quos scribebat familiaris; sic Gallus in America degens, dum ad Gallos scribit, etiam Gallico utitur idiomate, ut ab amicis & fratribus audiatur & intelligatur. Ad tertium: Libri apocryphi, teste Hieronymo, in cap. ad Titum, teste quoque August. lib. 15. de civit. capit. 23. multa vera præcontinent, quæ Auctores sacri in testimonium veritatis fidei potuerunt assumere, cum & ipse Apostolus Actuum 17. utatur auctoritate Poetarum, ad probandam Atheniensibus unius Dei existentiam: Pari & consimili modo Judas acceptam historiam ab auctoribus non canonicis referre potuit; dicam & fortassis illi fuisse immediate revelatam; hinc sicut a Spiritu sancto acceperat, tradidit; eam tamen in libro Henoc accepisse contendit Tertullianus lib. de habitu muliebri, & Beda in epistolam Judæ. Ad quartum patet solutio; nam.

namque graves auctores propugnant librum Henoc tempore Judæ habitum fuisse ut canonicum; hinc sanctus Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccles. de illa epistola sermonem instituens, ait: " Auctoritatem " tamen vetustate jam & usu meruit, & " inter sacras Scripturas computari & " sacro-sanctam auctoritatem habere. "

*De Epistolis B. Petri.*

OPPONES: Quod canonicum est debet universim a Catholicis suscipi: Atqui res non ita se habet de epistola secunda D. Petri: Et probatur: Eusebius lib. 3. Hist. Eccl. cap. 3. ait: " Quod vero attinet " ad Petrum, una ejus epistola, quæ " prior dici solet, tamquam germana ab " omnibus sine controversia admittitur, " cujus testimonio veteres religionis no- " stræ Antistites, utpote extra omnem " dubitationem positæ, in scriptis suis fre- " quentissime usi sunt. Quæ vero secunda " appellatur, eam quidem inter sacros no- " vi Testamenti libros recensitam non es- " se a majoribus accepimus. " Ergo &c.

*Respondeo* I. opponendo præpollentes adversus Eusebii testimonium auctoritates; namque Justinus Martyr, Origenes, Gregorius Naz. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, sanctus Gregorius Papa eam uti canonicam habent, nec semel ab ea ut a germano B. Petri fonte ad fidem astruendam hauriunt testimonia. His adde definitiones Concilii Laodiceni, Carthaginensis, Florentini & Tridentini, quibus declaratur illam epistolam esse authenticam.

*Respondeo* II. negando minorem. Ad probationem distinguo: Et ex auctoritate Eusebii unum tantummodo sequitur, videlicet primævis sæculis illam epistolam non fuisse æqualis cum priore ponderis, concedo: non fuisse D. Petri opus, nego. Non semel subnotavimus in Libris sacris indagandis Ecclesiam prævio & maturo examine processisse, ut falsa a veris, & Scripturas sacras a profanis secerneret: quia igitur cunctis adamussim eliquatis, secundam B. Petri epistolam declaravit authenticam, nemini licitum est hoc in dubium revocare: immo ipse Eusebius in loco pro objectione laudato illam recipit his verbis " ; Sed tamen cum uti- " lis esse videretur quam plurimis, una " cum reliquis sacræ Scripturæ libris studiose lectitata est. "

*Instabis*: Atqui illa epistola non est D. Petri fœtus: Ergo &c. Probatur subsumptum. Prior velut genuina Apostoli doctrina, genuinumque opus habetur: sed non posterior, quippe quæ non ejusdem sit styli: Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad probationem, nego minorem: Ad ulteriorem probationem distinguo: Et illa styli diversitas ex interpretum diversitate promanat; concedo: & arguit opus adulterinum esse, nego. S. Petrus dictabat Hebraice seu Syriace, interpretes vero scribebant Græce; fieri igitur potuit quosdam eloquentius, quosdam minus eloquenter, epistolam græce reddidisse. Solutio est D. Hieron. epist. ad Hedib. q. 11. Quid plura adjiciam? S. Petrus hanc posteriorem Epistolam annis circiter 24. post priorem scripsit, quando scilicet jam in diebus suis processerat: senilem autem ætatem non nihil immutare stylum, quotidiana comprobat experientia; tunc enim mentis acies deficit: Nec mirum: corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit sensum multa cogitantem.

*Dices*: Non desunt qui propugnent cum Hugone Grotio hujus secundæ epistolæ auctorem esse Simeonem vel Simonem, qui, mortuo sancto Jacobo, Hierosolymorum Episcopus inauguratus est. Igitur non est canonica, cum ille Simeon quantumvis sanctus, nullum sacrum librum conscripserit.

*Respondeo* hoc esse merum commentum, maxime propter duo: Primoquidem auctor in primo capite Petrum se nominat his verbis: *Simon Petrus*. Nullibi autem reperies S. Simeonem Hierosolymorum Antistitem nomine Petri donatum esse. Secundo, idem epistolæ Scriptor asserit se testem fuisse transfigurationis; sic enim habetur cap. 1. v. 17. & 18. *Accipiens enim a Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite: & hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.* Porro nullus dixerit sanctum Simeonem assumptum fuisse a Christo Domino ut transfigurationis testem.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Epistolæ BB. Jacobi, Petri & Judæ sunt Canonicæ.*

PRIMO: Illas recipiunt Innocentius I. epist. 3. ad Exuperium, Gelasius Papa in Concilio Romano. Concinunt Concilia, videlicet Laodicense & Carthaginense III. jam sæpius laudata: Florentinum & Trid. sess. 4.

*Secundo*: SS. Patres suum addunt calculum; videlicet Athanasius in synopsi, Hieronymus epist. ad Paulinam, &c.

*Tertio*: His accedit Ecclesiæ usus: Tum quia si quis eas negaret, extra Ecclesiam fieret.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Jacobus non Apostolum, sed servum Dei humilitatis causa se nominat, neque vero adversatur Paulo, cum opera vult fidei conjungi: si enim Gentium Doctor quandoque excludit opera, dubioprocul loquitur de operibus legis, quæ erant abrogata.

*Secundo*: Tametsi Eusebius videatur dubitare de epistola secunda B. Petri, non tamen eam abjicit, sed vult solum non esse ejusdem cum prima ponderis; eam quippe lib. 3. hist. cap. 3. recipit tamquam utilissimam.

*Tertio*: Judas potuit post Apostolos vivere, & Perside commorans scribere græca lingua ad Fideles Asiæ, sicut Gallus qui habitat Constantinopoli, gallico idiomate scribit ad parentes. Incassum igitur aliquis propugnaret epistolam sancti Judæ esse assutam, eo quod scripserit græce ex Perside, & non esse Apostolum, quia citra Apostolorum ætatem vixit.

## SECTIO SECUNDA.

*De epistolis sancti Joannis Apostoli.*

TRIA inpræsentiarum discutienda habemus: unum de epistolis secundum se spectatis: alterum de versiculo septimo, tum & de octavo capitis 5. primæ epistolæ, de quibus speciales ad elucidationem & genuinitatem controversiæ sunt instituendæ. Unde sit

## PUNCTUM PRIMUM.

*Utrum tres epistolæ B. Joannis sint sacræ?*

## CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

*Probatur isto ratiocinio.*

ILLÆ epistolæ sunt sacræ, quas & Patres primorum sæculorum, & ipsa Concilia sacras esse asserunt: Atqui Patres primorum sæculorum, & Concilia tres epistolas B. Joannis uti sacras habent: Ergo &c. Probatur minor: Teste Eusebio lib. 3. Hist. Eccl. cap. 24. & lib. 7. cap. 25. tres illæ epistolæ a SS. Patr. inter canonicas ponuntur, citantur a Papia, Polycarpo, & Justino.

*Quidam*, secundam & tertiam veluti dubiam, sed absque ullo fundamento habuerunt; namque apud Eusebium loco citato, ut canonicæ recensentur, sed de auctore tantum ipse dubitare videtur: aliqui enim duplicem distinguunt Joannem, alterum scilicet Evangelistam & Scriptorem Canonicum, alterum vero discipulum Domini: Sed hoc contra & Theologorum & Historiographorum pene omnium sententiam.

*Secunda* citatur ab Irenæo nomine Joannis Evangelistæ lib. 1. cap. 12. & 3. cap. 18. quem enim vocat discipulum Domini, non alius fuit quam Evangelista, ut ex eodem loco intelligitur. Clemens Alexandr. teste Eusebio, lib. 6. cap. 14. omnes 7. epistolas canonicas agnoscit. Tertullianus lib. de præscript. cap. 3. Secundam tribuit Joanni, sicut & Aurelius Carthag. in Concilio sub sancto Cypriano habito. In canone Apostolorum tres numerantur, sicut in canone Laodiceno, & in aliis omnibus sequentibus. Auctor synopsis & epistolæ Festivæ illas omnes recipit, & in hac re utraque consentit Ecclesia, Græca scilicet & Latina.

*Denique*, stylus auctorem prodit; multæ sententiæ sibi adinvicem affines in prima & secunda occurrunt; hinc & Hieronymus qui aliquando de eis dubitavit, postea

postea veluti genuinas suscepit, & uti tales defendit epist. ad Evagrium, tum & in alia ad Paulinum. His omnibus adjicimus definitionem Concilii Trid. sess. 4. ubi authenticæ & sacræ declarantur.

*Solvuntur objectiones.*

OBJICIES adversus secundam & tertiam epistolam sancti Joannis: Utraque non Apostolo, sed cuidam Presbytero tribuuntur a sancto Hieronymo, qui lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis sic loquitur de hoc momento: " Scripsit Joannes unam epi-„ stolam, reliquæ duæ Joannis Presbyte-„ ri asseruntur. „ Confirmatur: Auctor in istis duabus epistolis non Apostolum, sed seniorem seu Presbyterum se appellat, ait enim epist. 2. *Senior electæ*, tum 3. *Senior Cajo*: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Et sanctus Hieronymus loquitur in aliorum sententia, concedo: & loquitur in propria, nego. Sed dato & non concesso sanctum Doctorem obscurius eo loci locutum fuisse de secunda & tertia B. Joannis epistola, seipsum clarius epist. 83. ad Evagrium explicat his verbis: " Clangit tuba filii to-„ nitrui, quem Jesus amavit plurimum, „ qui de pectore Salvatoris doctrinarum „ fluenta potavit: Presbyter electæ Do-„ minæ, & filiis ejus quos diligo in ve-„ ritate. „ Revera quidem sanctum esse duarum epistolarum auctorem indicat stylus, indicat & sententiarum cum prima consensus.

*Ad* confirmationem distinguo: Et vox *senior* eo loci maturam significat ætatem, concedo: importat ordinis gradum, nego. Nonagenarius erat sanctus Evangelista, cum secundam & tertiam scripsit epistolam; hinc ex ejus sermone nihil absurdi sequitur.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Tres Epistolæ S. Joannis sunt canonicæ.*

PRIMO: In canone Apostolorum tres numerantur: Sic & in Canone Laodiceno; tum in Tridentino sess. 4.

*Secundo*: Hoc ipsum Traditione habetur: Tertullianus lib. de præscr. cap. 3. secundam epistolam tribuit S. Joanni; tum & Aurelius Carthaginensis; Auctor Synopsis & Epistolæ Festivæ, omnes recipit. Concinit utraque Ecclesia, Græca nimirum & Latina.

*Tertio*: Stylus auctoris arguit tres esse Apostoli fœtum, sic & Sententiarum cohærentia & affinitas: hinc Hieronymus, qui non nihil primum de eis dubitabat, ad hæc attendens, cito-citius illas recepit. Nec aliquod facessit negotium quod humilitatis causa S. Joannes sileat Apostoli nomen, & se Presbyterum seu seniorem nominare satis habeat, cum vox *senior* significet Sacerdotem ætate maturum, immo & sæpius magnum, adeoque Episcopum.

## PUNCTUM SECUNDUM.

Num versiculus ille: TRES *sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt*: sit genuinus? 1. Joan. 5. 7.

RICHARDUS SIMONIUS Congregationis Oratorii quondam Presbyter, historia critica novi Testamenti 1. parte capit. 18. propugnat versiculum illum esse assutum. Contra quem sit

## CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

*Probatur rationibus Theologicis.*

PRIMA sic exponitur: Ille versiculus est genuinus S. Joannis fœtus, quo prætermisso, non cohærent capitis quinti sententiæ, non habetur Scriptoris scopus; immo & quid absurdi, quod absit dicere, inde sequitur: Atqui res ita se habet si versiculus ille sit assutus: Ergo &c. Probatur minor referendo textum: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt: Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de filio suo.... Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus.*

*Observes* velim, primo, particulam *&*, septi-

septimum versiculum cum octavo connectere: Igitur versiculus octavus: *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, & aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt*: supponit absolute septimum. Secundo, scopus B. Joannis est eo loci Christi divinitatem adversus Ebionitas probare; hinc attendit ad illa sui Evangelii verba capit. 10. *Ego & Pater unum sumus*. Ex quo manifeste sequitur textus cohærentiam exigere versiculum illum; alias nihil probaret sanctus Evangelista, cum spiritus, & sanguis, & aqua, de quibus in versu sequenti mentionem facit, non sint inter se unum, sed tria essentialiter diversa; idcirco non nisi symbolice ea dicit unum, & relative ad septimum versiculum, quem exemplo & parabola spiritus, sanguinis, & aquæ explicat. Quid plura? Aliquid absonum diceret Apostolus de Christi divinitate, si versiculum octavum, secluso septimo, scripsisset: quandoquidem inde sequeretur Spiritum sanctum esse primam sanctissimæ Trinitatis personam: namque in versiculo octavo primus nominatur his verbis: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, & aqua, & sanguis*. Sequeretur etiam eumdem Spiritum esse solum symbolice consubstantialem cum aliis duabus personis, quæ vocabulis sanguinis, & aquę designantur: Ergo &c.

*Secunda*: Quod de fide definitum est, absque erroris nævo abnegari non potest: Atqui sacra Synodus Tridentina sess. 4. decreto de Canonicis Scripturis pronuntiat omnes Vulgatæ Libros cum suis omnibus vicissim partibus esse canonicos, & negantes anathemate percellit: Sic enim recensitis prioribus tum veteris, tum novi Testamenti Libris, ait de Epistolis Catholicis: *Petri Apostoli duæ; Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli una; Judæ Apostoli una; & Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgata, latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit; & Traditiones prædictas sciens & prudens contempserit; anathema sit*.

*Rursus* ibidem decreto de editione & usu sacrorum Librorum, sic definivit: *Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus quæ circumferuntur, sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & Vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat*. Ex his definitionibus quisque sub interminatione anathematis tenetur omnes Libros sacros cum suis partibus, ne una quidem dempta, suscipere: Item Vulgatam non esse authenticam, & ipsi refragari nefandum est crimen. Neque vero minus certum est & compertum Vulgatam retinere versiculum septimum, de quo hic movetur controversia. Ergo &c.

*Tertia* isto proponitur syllogismo: Ipsa Traditio Patrum suscipit versiculum & docet; illa vero est fidei regula: Igitur & ea qua par est reverentia eumdem suscipere debemus versiculum. Probatur Antecedens.

*Primus* occurrit Tertullianus, qui III. florebat seculo. Lib. contra Praxeam cap. 25. sic loquitur: " Ita connexus Patris „ in filio, & filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero qui „ tres unum sint, non unus, quomodo „ dictum est: *Ego & pater unum sumus*: „ ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem. „ Mabilonius asserit Tertullianum eo loci ad versiculum S. Joannis respicere; & hoc ipsum indigitat hujusce doctoris sententia, quæ certe in sententiam Evangelistæ mirum in modum collimat.

*S. Cyprianus* epistol. ad Jubajanum utitur versiculo illo ad probandam suam de reiterando Baptismo ab hæreticis collatis opinionem; & sic ait: " Si Baptizari quis apud Hæreticos potuit, utique & remissam peccatorum consequi „ potuit: si peccatorum remissam consequutus est, & sanctificatus est, & „ Templum Dei factus est: Quæro cujus „ Dei? Si Creatoris, non potuit qui in „ eum non credidit: Si Christi, nec hujus fieri potest Templum, qui negat Deum „ Christum: Si Spiritus sancti cum tres „ unum sint, quomodo Spiritus sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris, aut „ filii inimicus est?

Injas-

*Incassum* respondet Simonius Cyprianum loqui in sensu metaphorico; namque non probaret S. Doctor personarum sanctissimæ Trinitatis consubstantialitatem: deinde vero, si parabolice loquutus fuisset, suam mentem aliis verbis, & quidem fusioribus explicare debuisset: Sed contrarium affulget, cum ubique Cyprianus sibi constet, & sententiæ versiculi adhæreat; namque lib. de unitate Ecclesiæ cap. 4. clariori sese explicat modo, his verbis: " Dicit Dominus, *ego & Pa-* „ *ter unum sumus*, & iterum de Patre & „ filio & Spiritu sancto scriptum est, *&* „ *hi tres unum sunt*. „ Quem quidem locum nullibi reperies quam in epistola prima S. Joannis cap. 5. v. 7. Sed observes velim benevole Lector, Cyprianum eo loci Ecclesiæ unitatem ostendere ex illo Joannis oraculo: *De Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est, & hi tres unum sunt.* Quocirca nihil prorsus probaret, si versiculus foret assutus.

*S. Hieronymus* versiculum illum retinet in Prologo: Immo perstringit eos qui illum abnegant: " Illo, *inquit*, præcipue „ loco, ubi de unitate Trinitatis in pri- „ ma Joannis epistola positum legimus, „ in qua etiam ab infidelibus translatori- „ bus multum erratum esse a fidei verita- „ te comperimus: trium tantum vocabu- „ la, hoc est, aquæ, sanguinis, & spiri- „ tus in sua editione ponentes, & Patris, „ Verbique, ac Spiritus testimonium omit- „ tentes: in quo maxime & fides catholi- „ ca roboratur; & Patris, & Filii, & „ Spiritus sancti una divinitatis substantia „ comprobatur. „ Non diffitemur aliquos negare Prologum esse Hieronymi fœtum: omnes tamen conveniunt promanasse ab auctore antiquissimo, qui septimo saltem scripsit sæculo, ex quo sequitur auctoritatem esse magni ponderis.

*Idem* versiculus citatur ab auctore disputationis cum Ario apud Athanasium, qui tertio vivebat sæculo: laudatur quoque & affertur in testimonium consubstantialitatis Personarum divinarum, ab auctore Libri de unitate deitatis apud eumdem, quiquidem est Vigilius Tapsensis; namque lib. 1. contra Varimundum cap. 5. ad astruendam Christi divinitatem, sic loquitur: " Et Joannes Evangelista ait, in „ principio erat Verbum, & Verbum „ erat apud Deum, & Deus erat Ver- „ bum. Item ipse ad Parthos: *Tres sunt*, „ inquit, *qui testimonium perhibent in terra, aqua, sanguis, & caro, & tres in nobis sunt; & tres sunt qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus, & ii tres unum sunt*. Quidam autumant hunc librum esse Idaci Hispani Episcopi fœtum, sed hoc dato, testimonium erit auctoris quarti, & non quinti sæculi, quod magis ponderat.

*S. Fulgentius* qui sexto florebat sæculo, eo versiculo variis in operibus utitur ad perstringendos Arianos; maxime lib. de Trinitate cap. 4. his verbis: " Ego, *in-* „ *quit*, & Pater unum sumus: Unum „ ad naturam referre nos decet: sumus, „ ad personas. Similiter & illud: *Tres* „ *sunt*, inquit, *qui testimonium dicunt in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum sunt.*

*Rursus*: Responsione ad objectionem decimam Arianorum, ait: " In Patre er- „ go, & Filio, & Spiritu sancto unita- „ tem substantiæ accipimus, personas „ confundere non audemus; beatus enim „ Joannes Apostolus testatur dicens, *Tres* „ *sunt qui testimonium perhibent in cælo: Pa-* „ *ter, Verbum, & Spiritus, & hi tres u-* „ *num sunt*; quod etiam beatissimus Cy- „ prianus Martyr in epistola de unitate „ Ecclesiæ confitetur, dicens de Patre & „ Filio &c. „ Ex his S. Fulgentii verbis duo habemus, & versiculum esse genuinum, & a sancto Cypriano laudari atque suscipi. Rursus idem Fulgentius in opere contra quemdam Episcopum Arianum, Pintam dictum, titulis distincto, quorum unus inscribitur, testimonia de Trinitate, ait: In epistola Joannis: *Tres sunt qui testimonium dicunt, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum sunt*. Inter omnia testimonia pro versiculo affulget contessio fidei totius Ecclesiæ Africanæ a 400. circiter Episcopis subsignata, quorum Primas erat Eugenius Episcopus Carthaginensis, quæque anno 484. oblata fuit Hunerico Vvandalorum Regi Ariano, & a Victore Uticensi lib. 3. de persecutione Vvandalica refertur: in ea autem hæc leguntur: " Et ut adhuc luce clarius unius „ divinitatis esse cum Patre & Filio, & Spiritu sancto doceamus, ait namque: *Tres sunt qui testimonium perhibent in cælo: Pater,*

*Pater*, *Verbum*, *& Spiritus sanctus*, *& hi tres unum sunt*. Observes velim istam confessionem ab Arianis Episcopis adamussim fuisse & discussam & ponderatam; nusquam tamen testimonium Joannis impugnatum. Notat illustr. Dominus Bossuet Episcopus quondam Meldensium in censura novi Testamenti gallice a Simonio conscripti, manuscripta non esse tantæ auctoritatis, quam scripta sanctorum Patrum, quandoquidem ista magis cohærent principiis; hinc propter principiorum connexionem inconcussa manent: Igitur tametsi quidam codices non referant versiculum, standum est Patrum auctoritati.

*Quarta* ratio, quæque fucatum Simonii systema funditus evertit, hæc est. Juxta severioris critices regulas argumentum negativum nihil probat, cum contrarium auctoritate, & Patrum & aliorum auctorum affulget: Atqui argumentum Simonii ad rejiciendum versiculum est tantummodo negativum, hoc quippe rimatus est, ex eo quod versiculus in aliquibus deesset codicibus manuscriptis; illum vero retinent Patres primorum seculorum, eumdem referunt innumeri prope alii codices: & hæc est nova ratio.

*Quinta*: Versiculus qui reperitur in vetustis optimæ notæ codicibus non est assutus: Atqui versiculus ille habetur in codicibus omni exceptione majoribus: & probatur.

*Testimonium vetustiorum codicum.*

PRIMOQUIDEM extat versiculus in quodam manuscripro codice Corbeiensi, qui asservatur in Bibliotheca Abbatiæ sancti Germani a pratis.

*Secundo*: In codicibus quibus usi sunt auctores editionis Polyglottæ Complutensis anno 1510. qui tamen, teste Eminentissimo Cardinali Ximenes in præfatione, omnem impenderunt curam in conquirendis antiquissimis & emendatissimis exemplaribus.

*Tertio*: In codicibus prope innumeris quos evolverunt Theologi Lovanienses, qui testantur quinque dumtaxat reperisse in quibus desideraretur.

*Quarto*: In multis aliis quos referunt PP. Benedictini in suis annotationibus editionis novæ ad Prologum sancti Hieronymi in epistolas canonicas, & hoc in fine primi tomi operum S. Hieronymi.

*Quinto*: Eum retinet codex manuscriptus anno 1185. conscriptus, qui asservatur in Bibliotheca Minimorum Parisiensium.

*Sexto*: Eumdem habet unus ex sexdecim exemplaribus quos Robertus Stephanus ex Italia, Hispania & Gallia recepit. Estius propugnat versiculum deesse solum in quinque exemplaribus Lovaniensibus. Marcianus testatur in multis quidem vetustissimis desiderari, sed in multopluribus æque antiquis ad marginem reperiri; in recentioribus vero semper extare, sublato licet paululum ordine. Namque in Vulgata est septimus, in quibusdam octavus vel vicissim, quod sane parum interest ad veritatem. Equidem multi veteres illum omiserunt, vel quia codices mutilos haberent; vel quia videndo locum dubium, hunc omittere maluerunt.

*Septimo*: Eum retinet codex Britannicus antiquissimus, quem Erasmus citat; & licet nunc non inveniatur, creditur tamen Cambrigensis, qui quidem tantæ auctoritatis Erasmo visus est, ut omisso versiculo, in prima sua editione Græca novi Testamenti, illum in secunda, facta Basileæ anno 1522. restituerit.

*Octavo*: Fragmentum novi Testamenti Græcum citatum in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, versiculum illum complectitur; item in Florentino laudatus est, nec Græci illum rejecere. Erasmus meminit adhuc codicis quem acceperat ex publica Bibliotheca Scholæ Basileensis, in quo legitur. Refertur etiam in exemplari Constantiensi quod Erasmus laudat. Eumdem & retinet Calvinus in suis commentariis.

*Nono*: Codex manuscriptus sancti Andreæ a Luca Brugensi citatus eum retinet: Item & antiquus Bibliorum Codex. Eum quoque retinent quatuor manu-scripta in folio majori, quasi ex Scriptura Gothica, Bibliothecæ Dominicanorum Parisiensium viæ S. Jacobi: Habet & vetus correctorium in Bibliotheca Sorbonica asservatum, cujus auctor videtur esse decimi sæculi.

*Decimo*: Lucas Brugensis peritissimus in Scripturis sacris indagandis, qui, decreto Du-

Doctorum Lovaniensium Vulgatam contulit cum optimis & antiquissimis manuscriptis triginta tribus ex Italia, Germania, & Gallia collectis, observat versiculum solummodo in quinque codicibus deesse.

*Undecimo*: In multis antiquis codicibus sancti Hieronymi, & in exemplaribus Latinis Regiæ & Colbertinæ Bibliothecæ ad marginem versiculus refertur: Parum autem interest num in margine, vel alibi referatur. Cæterum omnes recentiores codices sententiam illam habent.

*Duodecimo*: Tempore Urbani octavi facta est conquisitio codicum Græcorum Bibliothecæ, tum Vaticanæ, tum Barberinæ, inter quos, octo versiculum illum complectuntur. In codice regio numero 35. & 84. legitur: *Tres sunt qui testimonium dant*. Additur scriptura coeva ad marginem; *in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Tres sunt qui testimonium dant in terra, & hi tres unum sunt*. Observes istam in ordine sententiarum variationem, versiculi, de quo est controversia, indigitare veritatem.

*Decimo-tertio*: Jacobus Lopez natione Hispanus ab Erasmo interpellatus de versiculi momento, respondit sanctum Hieronymum in Præfatione ad Epistolas canonicas, eum ut genuinum habere; Marcianus vero propugnat saltem esse ab auctore antiquissimo, probatque inveniri in codicibus noni sæculi. Quidquid sit, Hieronymus multos habebat codices; cum igitur sententiam in prologo admittat, manifestum est ex traditione constare versiculum esse sacrum.

*De manu-scripto Cassiodori.*

REVERENDUS Pater Franciscus Soucier Bituricus Theologiæ professor Parisiis Societatis Jesu emeritus, in re litteraria non ignoti nominis vir, & in lingua Hebraica versatissimus, ut liber in quarto de stemmatibus Hebraicis, juris publici nuperrimis diebus factus subindigitat, propter veterem quæ intercedit inter nos amicitiam, celeberrimum, evolvendo Maffæi opera, Cassiodori testimonium pro astruenda versiculi auctoritate adinventum mihi communicavit. Quæ quidem auctoritas non est levioris ponderis, ut ex observationibus Maffæi mox constabit; maxime cum Cassiodorus citra dubium præ oculis haberet primorum sæculorum manuscriptos de scriptura codices.

Textus epistolæ primæ B. Joannis a primo versiculo, usque ad octavum inclusive juxta Cassiodori codicem qui sexto florebat sæculo.

QUI *Deum Jesum credit, ex Deo Patre natus est, iste sine dubitatione fidelis est; et qui diligit genitorem, amat et eum, qui ex eo natus est, Christus. Sic autem diligimus eum, cum mandata ejus facimus, quæ justis mentibus gravia non videntur: Sed potius vincunt sæculum, quando in illum credunt qui condidit mundum, cui rei testificantur in terra tria mysteria; aqua, sanguis, et spiritus: quæ in passione Domini leguntur impleta: in cælo autem Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; et hi tres unus est Deus.* Cassiod. complex. §. x.

*Maffæi observationes.*

REPERITUR in Cassiodori complexionibus. Unde in præfatione sic habet Maffeius: „ Numquam vero frustra laborare qui sacris veterum lucubrationibus eruendis operam navat, vel unus harum complexionum de Trinitate locus satis testatur: nondum enim ad hodiernos expugnandos Unitarios, vel profligandos tam invictum, tamque ineluctabile testimonium emerserat. Clamant isti, scripturæ versiculum, quo sanctissima Trias perspicue docetur, S. Joannis epist. I. cap. 3. in priscis codicibus ut plurimum non reperiri, & ab antiquis Patribus lectum non esse, Africanis quibusdam exceptis. At docet nos Cassiodori interpretatio lectum ab ipso fuisse; quo constat & in Romanis exemplaribus extitisse: quibusnam autem? nimirum selectissimis, & qui jam tum haberentur antiqui: Is enim priscos, & emendatos codices ad sac. Script. lectionem maxima cura deligendos in divinis lectionibus admonebat: quid putabimus ab ipso præstitum quum non legendos tantum, sed & interpretandos susciperet? Vix autem puto Cassiodori ætate vetustatis laude celebrari codicem potuisse, qui ad Apostolica fere tempora sive

„ ab

„ ab iis haud ita longo intervallo dissita „ non pertingeret. Quam emendatis etiam uteretur, intelligi potest ex præfatione divinarum institutionum, qua „ libros cæteros Librariis emendandos tradidisse discimus, sacra vero manu sua „ emendasse. Quin de orthographia fuse „ disserere, non alia de causa profitetur „ aggressum esse se, quam ut sacra Biblia „ inculpatim exscriberetur: *Massæjus Præf. in Cassiodori complexiones p.* XXXXII. *& sequentibus*. „

" *Fergit* Massæius, decantatissimum illum S. Joannis de Trinitate locum, „ de quo contentione maxima certatum „ est ad hanc diem volumen conficerem, „ excolligens quæ in hanc quæstionem „ ab eruditis viris plurimis congesta sunt. „ Cælestia, ut loquuntur testimonia propugnantibus validissimum sane subsidium „ ex Cassiodoriano hoc opere accedit; „ quo demum constat, non in Africanæ „ tantum, quod patet ex Eugenio, Fulgentio, Vigilio, Victore, Facundo, „ Cypriano quoque, ut videtur, sed & „ in antiquissimis ac emendatioribus Ecclesiæ Romanæ codicibus versiculum „ illum scriptum fuisse: cum enim tanto studio Monachis suis in dir. lect. id „ præceperit ut præstantissimis, & Græci etiam textus collatione repurgatis codicibus uterentur, utque in ambiguis „ locis *duorum, vel trium Priscorum, emendatorumque codicum auctoritas inquireretur*, „ ipsum inprimis idem præstitisse, quis „ ambigat? Qui vero Vulgatæ, seu Hieronymianæ versioni eam παρενθήκην olim „ intrusam putant, deditionem randem „ faciant, atque arma submittant, necesse est; evidenter enim patet ex „ quam pluribus harum complexionum „ locis, Cassiodorum alia versione a Hieronymiana usum esse, & nihilominus „ eam περικοπὴν legit. Solemus communiter, cum Scripturæ locus a Vulgata „ deflectens occurrit, ex Italica decisum „ asserere, nimis audenter ut plurimum: „ nam quam multæ antiquitus translationes circumferrentur. D. Augustinus „ præcipue docet de doctr. Christ. lib. II. *Qui scripturas ex hebræa lingua in græcam verterunt, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo: ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex græcus, & aliquantulum facultatis sibi utriusque lingua habere videbatur, ausus est interpretari.* In veteri sic & in novo Testamento idem præstitum fuisse nemo in „ dubium revocaverit. Verumtamen quæ „ in hac explanatione, vel affert Cassiodorus hemistichia, vel designata Vulgata antiqua, sive ab Italica vere deprompta esse, id apud me ferme evincit; „ quod illa versio probatissima inter cæteras a doctissimis veterum haberetur: „ qua propter adhibitam procul-dubio arbitror ab erudito Scriptore, sacrorumque librorum scrutatore nimio; eoque „ magis, quo vetustiores Scripturæ codices perquirere solitus erat, & collatos „ cum græco textu, quem cælestia testimonia præ se tulisse cum Scriptorum „ auctoritas, tum optimi qui supersint „ MM.SS. Libri testantur. Cur autem in „ multis ex vetustioribus hodie Latinis „ codicibus ea perioche minime appareat, „ cur illam plures ex Patribus in exemplaribus suis non habuerint, nec legerit „ Augustinus ipse, quamvis legisse affirmet Cornelius a lapide, in promptu ratio est: Non illa tantummodo quæ ex „ D. Hieronymo erui potest, Præf. in „ Josue, fuisse iis temporibus *apud Latinos tot exemplaria, quot codices*, sed ulterior: Ostendam scilicet ubi de vetustis „ agam lapidibus, eorum exscriptores solidum versum, duos etiam non infrequenter prætcriisse, cum eædem dictiones exiguo forte intervallo iterantur: „ facillime enim accidit, ut prioribus exscriptis, cum oculos ad lapidem referunt, incidant in posteriores, & quæ „ consequuntur eripiant. Idem prorsus „ antiquo cuipiam Librario contigit, S. „ Joannis epistolam transcribenri: cum „ enim ea verba, *& hi tres unum sunt*, „ bis ibidem haberentur, interjecta oculo „ aberrante transiliit: exemplar autem „ unum innumera pretereat, & unius error infinite diffunditur. Quorum verborum, *& hi tres unum sunt*, observanda etiam est Paraphrasis ab interprete „ nostro exhibita, nimirum: *& hi tres unus est Deus*: qua suspicio omnis evertitur „ autumantium contra communem sententiam, ea verba Arianis favere; perinde „ ac si unitatem non in essentia statuerent, sed in ratione testificandi, qua
„ unum

„ unum pariter dicuntur aqua, sanguis, & „ spiritus. Cæterum in Cassiodori textu ter- „ restrium testimonium versus præcede- „ bat, quod & in quibusdam M. SS. vi- „ ri docti animadverterunt. „ *Maffejus ad not. 19. Cassiod. complex. pag. 251. & sequentibus.*

*His* omnibus adjiciam censores Romanos, qui sub Urbano VIII. in emendandis sacris Bibliis insudarunt, versiculum retinere, tametsi omissum in multis exemplaribus conspicerent. Ergo &c.

*Solvuntur objectiones Simonii.*

OBJICIT Lib. hist. crit. part. 1. cap. 18. Iste versiculus: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*; est apocryphus, & e margine irrepsit in textum: Ergo &c. Probatur Antecedens. In omnibus fere Missalibus Græcis non invenitur ille versus: desideratur in sex Regiis codicibus, & in quinque Colbertinis, quorum aliqui recentiores videntur. Item in codice Vaticano, in Lectionario quo Ecclesia Gallicana ante annos mille utebatur. Item in codicibus ante annos 400. aut 600. & in aliis ante 800. exaratis: Item in versione Syriaca, Arabica & Æthiopica. Ergo &c.

*Rursus*: In uno solum reperitur exemplari ex sexdecim quibus usus est Robertus Stephanus in editione Græca novi Testamenti anno 1530. namque sexdecim tantummodo habebat exemplaria, quorum octo dumtaxat erant pro epistolis, unum autem ex his, ut Complutense, refert versiculum. Deest quoque in codice Alexandrino, qui paulo post Concilium Nicænum primum conscriptus apparet, quemque Cyrillus Lucaris ad Regem Angliæ misit. Deest etiam in antiquo Bibliorum correctorio a Luca Brugensi facto. Illum omittit Amelotus, quippe qui non reperiatur in tribus manuscriptis Græcis Anglicanis; neque etiam in Græco primigenio, in præfatione a Joanne Matthæo Cariofilos adornata, quam ad Calcem Catenæ Græcæ in Marcum Petrus Possinus anno 1673. Romæ vulgavit. Desideratur etiam in codice quem Erasmus lib. suppeditatum fuisse testatur e Bibliotheca Minoritarum Antverpiensium: addit ista verba, *de Patre, Filio & Spiritu sancto testibus*, ad marginem fuisse scipta: Ergo &c.

*Respondeo* primo fidem non esse adhibendam Simonio pro Scriptura sacra, quippe qui nedum versiculum laudatum in suo criticesopere impugnet, sed & ipsum Pentateucum, cujus auctorem negat esse Moysen; quocirca ejus in Scripturam Elucubrationi censuræ notam inussit Dominus de Harlay Archiepiscopus Parisiensis. Eam impugnavit Illustr. D. Bossuet Episcopus Meld. & post ipsum Dupinus in suis ad sacram Scripturam Prolegomenis, in quibus omni argumentorum genere probat Pentateucum esse Moysis fœtum: D. Abbas R naudautius tomo quinto perpetuitatis fidei dissertatione nona, capite nono, suum vehementissime contra eumdem Simonium acuit stylum, & non levioribus argumentis ostendit illum esse in scientia Scripturarum hospitem.

*Respondeo* secundo argumentum præfatum, & quæcumque alia adversus versiculum illum proponuntur, esse tantum negativa; dictum est autem supra, ea parum in controversia præsenti urgere, eo quod auctores antiquissimi, immo & celeberrimi alii codices versiculum illum retineant.

*Respondeo* tertio, negando Antecedens. Ad probationem distinguo: Versiculus ille deest in multis exemplaribus a Judæis, vel etiam ab Arianis, aliisque Hæreticis defloratis, concedo: secus, nego. Solutio patet ex eo, quod multo plures codices versiculum illum habeant. Neminem etiam latet Judæos secundo & tertio sæculo in odium fidei sacras deflorasse Scripturas: de hoc ipso non semel a sanctis Patribus arguuntur hæretici: Sic Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 10. Arianis exprobrat, quod huc locum, *Deus spiritus est*, e sacris Paginis expunxissent. Similis culpæ alios Hereticos insimulat Socrates lib. 7. hist. cap. 32. videlicet quod ex eadem Joannis epistola cap. 4. hæc abstraxissent verba: *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo est.*

*Respondeo* denique, aliter distinguendo: Versiculus ille in multis desideratur codicibus, & versionibus ex ignorantia, seu inadvertentia Librariorum, concedo: In aliis correctioribus, nego. Nec mirum; irrepsit

irrepsit quippe defectus propter similitudinem initii & finis septimi, & octavi versiculi. Et vero uterque sic incipit: *Tres sunt qui testimonium dant*. Uterque etiam sic desinit: *Et hi tres unum sunt*. Quidam igitur ex inadvertentia inchoando scribere septimum versiculum, transacto medio, non, *Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*, sed ista ex sequenti versiculo verba, *Spiritus, & aqua & sanguis*, scripserunt. Nec unum est hujusce erroris in Scripturis sacris exemplum; namque Hieronymus lib. 6. comment. in caput tertium Jeremiæ observat septuaginta Interpretes quædam omisisse cap. 30. v. 14. & 15. quia secundo dicebantur. Sic legitur scriptum: *Plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua, feci hæc tibi*. S. Hieronymus, ait: Quid clamas super contritione tua? Insana„ bilis est dolor tuus propter multitudi„ nem iniquitatis tuæ; in Septuaginta „ non habetur, videlicet quia secundo „ dicitur: & dura peccata tua feci, & „ qui scribebant a principio, additum „ putaverunt. „ Hinc quatuor commata omissa sunt in exemplaribus Græcis LXX. Interpretum.

*Simile* quidquam accidisse in libro Josue observat Marcianæus: Namque totus versus 36. capitis 21. omittitur, quem tamen omnino necessarium esse constat ad conficiendam summam urbium duodecim, quæ versu 48. Merarii filiis concessæ dicuntur.

*Instat*: Ubi agitur de dogmate, id traditione firmari debet: Hinc argumentis negativis ea prorsus tollitur, nisi adsint testimonia omni exceptione majora, quibus argumentum negativum diluatur: Atqui codices laudati pro versiculo illo non ponderant. Et probatur: Codices qui variationem ubique spirant, suspectæ sunt fidei: Atqui hujusmodi codices pro illo versiculo tales sunt, nec inter se consentiunt: Lucas enim Brugensis in codice manuscripto S. Andreæ versiculum septimum, ibi octavum esse asserit; Erasmus refert de utroque exemplari Constantiensi, post testimonium sanguinis, aquæ, & spiritus, hæc haberi verba: *Sicut in cælo tres sunt, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et tres unum sunt*. Nec desunt exemplaria græca, in quibus ad marginem versiculi octavi legitur scholium, interpretans spiritum, aquam & sanguinem de tribus personis. Quod isto ulteriori comprobatur exemplo cujusdam codicis qui extat in Bibliotheca Regia, in qua quidem e regione illius versus, *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis*, legitur ad marginem, *Spiritus sanctus, et Pater, et Filius*: Quod sane non levius est argumentum Scholium manu aliena e margine in textum irrepsisse: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem. Ad probationem distinguo: Et codicum varietas arguit ipsam versiculi veritatem, immo & antiquitatem, concedo: Arguit versiculum non esse genuinum, nego. Solutio non una fulcitur ratione. Primoquidem apud sanctos primorum sæculorum Patres, qui codices ab omni labe puros præ oculis habebant, versiculus adinvenitur. Secundo, ex hac sequitur auctoritate, Notarios aliquos ex inadvertentia variationem induxisse; quod erratum sua perlustrando scripta restaurare cupientes, versiculum, quem ex inadvertentia in textu omiserant, in margine cum scholiis posuerunt; quod sane probabilissimum est, propter similitudinem initii & finis versiculi septimi & octavi; variato autem uno exemplari, posteriores codices, qui super istud exemplar exarati sunt, utique & mendas non absimiles habuere: ex quo factum est quædam exemplaria, vel mutilata, vel deflorata & interpolata fuisse. Sed unum maxime observandum venit, codices aut variantes, aut versiculum omittentes non majorem habere antiquitatem quam 800. annorum; quocirca auctoritas SS. Cypriani & Fulgentii in immensum eorum auctoritatem excedunt. Quinimmo codex Regius in objectione allatus non nisi a 500. annis descriptus est, ut ipse fatetur Simonius. Sed alium codicem manuscriptum sub Lothario secundo factum, qui versum non in margine, sed in textu habet, ut quidem exaratum a 800. annis ipse vidit, ut testatur.

*Urget*: Atqui traditio pro versiculo non satis

satis coheret, nisi accedat unanimus Patrum consensus, qui tamen deest pro versiculo: Ergo &c. Probatur sequela quoad secundam partem: Inter Patres Græcos qui vel ipsam adversus Arianos & Macedonianos Filii & Spiritus sancti cum Patre consubstantialitatem probandam habebant, silent versiculum. Omittunt Irenæus, Clemens Alex. Athanasius, Gregorius Nazian. in primis Basilius lib. de Spiritu sancto. Ex Patribus vero latinis eum tacent Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto, ubi minora adhibet pro divinitate Personarum divinarum testimonia. Silet Augustinus in tribus libris contra Maximinum Arianum: Silet Beda comment. in primam Ioannis, & sic Ecclesia Mediolanensis tempore Ambrosii, Africana tempore Augustini, Anglicana tempore Bedæ versiculum non habebant. Tandem vel ipsi Patres Concilii qui disputarunt, vel calamum strinxerunt adversus Arianos, versiculo illo ad hoc aptissimo non usi sunt. Ergo &c.

*Respondeo* negando sequelam. Ad probationem distinguo: Aliqui Patres versiculum illum omiserunt eo quod codices, aut defloratos, aut variationem præ se ferentes haberent, concedo: ne enim allata auctoritas in dubium veniret, adeoque apud Hæreticos quos debellabant, non ponderaret, potius omittere quam citare æquum duxerunt: siluere quia inanem, & assutum existimarent, nego. Præterea

*Dico* ad Traditionem non requiri absolute unanimem Patrum consensum; sufficit ut major pars consentiat, aut saltem non contradicat: porro pro versiculo 7. habemus primorum sæculorum Patres. Tametsi autem ante Tertullianum, non habeamus ex traditione testimonium expressum, tacitum tamen fuisse Patrum consensum pro versiculi authenticitate, ex manuscriptis Cassiodori liquet, quippe qui ab Apostolorum tempore ortum haberent, quod dubio-procul sufficit. Quid plura? Patres tum Nicæni, tum alii multas alias sententias præ oculis habebant, quibus consubstantialitatem personarum plusquam sufficienter demonstrabant, ut illa Joannis 10. *Ego & Pater unum sumus*. Et ista apud Matthæum cap. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* Cæterum Tertullianus, Cyprianus, & antiquiores præponderant cæteris qui versiculum siluerunt, quia argumentum positivum ait Illust. D. Bossuet, in immensum superat argumentum negativum.

*Insistis*: S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum capite 22. octavo tantum utitur versiculo, & quidem non omissa explicatione; sic enim alloquitur Maximinum: "Ne forte dicas spiritum, aquam, & „ sanguinem diversas esse substantias, & „ tunc dictum esse, tres unum sunt, pro„ pter hoc admonui te ne fallaris; hæc „ enim sacramenta sunt, in quibus non „ quod sint, sed quod ostendant semper, „ attenditur..... ut nomine spiritus san„ ctificatum accipiamus Deum Patrem.... „ Nomine sanguinis, Filium, quia Ver„ bum caro factum est; & nomine aquæ „ Spiritum sanctum. „ Facundus Hermianensis lib. 1. capit. 3. cum eadem explicatione eodem utitur versiculo ad probandam Christi divinitatem: Sed si isti Patres, qui quinto florebant sæculo habuissent septimum versiculum, absque negotio probassent Verbi consubstantialitatem adversus Arianos, quod tamen non fecere: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo, ut supra. Ex eo quod codices defloratos, aut dubios haberent, Augustinus & Facundus non usi sunt versiculo septimo, concedo: ex eo quod assutum autumarent, nego. Ad id vero quod objicitur, multos Patres, in primis S. Augustinum debellando Arianos siluisse versiculum; dicimus non una compulsos ratione illum prætermisisse. Primoquidem ex eo quod præ oculis forte haberent codices, aut dubios, aut defloratos, quocirca maluerunt eo non uti versiculo. Secundo, plura alia habebant testimonia; hinc non necesse duxerunt septimum versiculum in medium adducere, instar omnium sit S. Cyrillus Alexand. qui lib. 12. Thesauri capit. 6. probat divinitatem Christi testimoniis ab epistola ad Philippenses excerptis; & tamen inter omnia omittit celeberrimum: *Qui cum in forma Dei &c.* Tertio, quia Heterodoxi nullam movebant controversiam de septimo versiculo, sed de octavo, quo quidem utebantur ut probarent unitatem inter Patrem & Filium non nisi moralem esse, qua de causa sanctus Augustinus lib. 3. contra Maximinum probat versiculum octavum symbolice

lice importate unionem naturalem inter Patrem & Filium, & Spiritum sanctum: Tametsi enim, ait, spiritus, aqua & sanguis tres sint substantiæ, esse tamen quid unum ratione significationis constat, sic loquitur cap. 22. " Sane falli te nolo in „ epistola Joannis Apostoli, ubi ait, tres „ sunt testes, spiritus, aqua & san„ guis, & tres unum sunt. Propter hoc „ admonui te, ne fallaris; hæc enim „ sacramenta sunt, in quibus non quod „ sint, sed quod ostendant semper atten„ ditur, quoniam signa sunt rerum, aliud „ existentia, aliud significantia. „

*S. Augustinus* ibidem non obscure attendit ad versiculum septimum; ait enim tres in cœlo perhibere testimonium, & tamen unum esse. De octavo versiculo dubio-procul non instituit sermonem; cum teste B. Joanne, spiritus, sanguis, & aqua, testimonium dent in terra; sed ipsa sancti Augustini verba omnem tollunt dubitationem, quippe qui verbis expressis dicat, eo loci, Patrem, Verbum, & Spiritum, testimonium perhibere, & tunc sic concludit, *& hi tres unum sunt*. Igitur ad septimum versiculum dirigit orationem: ecce Verba: " Non absurde oc„ currit ipsa Trinitas quæ unus, solus, „ verus, summus Deus est, Pater, & Fi„ lius, & Spiritus sanctus, de quibus ve„ rissime dici potuit, tres sunt testes, & „ tres unum sunt, ut nomine Spiritus si„ gnificatum accipiamus Deum Patrem, „ de isto quippe adorando loquebatur Do„ minus, Joan. 4. ubi ait; spiritus est „ Deus: nomine autem sanguinis, Filium; „ quia Verbum caro factum est: & nomi„ ne aquæ Spiritum sanctum. Cum enim „ de aqua loqueretur Jesus, quam datu„ rus erat sitientibus, ait Evangelista Joan„ nes 8. hoc autem dixit de spiritu quem „ accepturi erant credentes in eum .... „ hi sunt tres testes, & tres unum sunt, „ quia unius substantiæ sunt. " Ergo &c.

*Observes*: S. Augustinum eo loci manifeste ad septimum versiculum attendere, in quo Pater, Verbum & Spiritus sanctus dicuntur tres testes, & tamen unum; namque ibi ait per Symbola sanguinis, aquæ & Spiritus designari Trinitatem: *Quæ unus solus summus Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*. Tum subjungit, *de quibus verissime dici potuit: tres sunt testes, & tres unum sunt*. Audi S. Doctorem vocare personas divinas testes, & istos testes unum esse, quæ quidem sententia in solo septimo versiculo legitur; non enim dicitur in octavo de sanguine & aqua quod sint testes. Addo ex S. Cyrillo lib. 14. Thesau. cap. 5. Spiritus, sanguis & aqua *unum sunt designatione*, quia unum Christum designant mediatorem: ex Ambrosio lib. 1. de Spiritu sancto, *unum misterio*: ex Augustino mox laudato, *unum significatione*.

*Replicat*: Non constat vel ipsum Cyprianum habuisse versiculum: nam epist. de unitate Ecclesiæ, ait tantum: *Ego & pater unum sumus*. Et postea subdit: *De Patre, & Filio, & de Spiritu sancto scriptum est, & hi tres unum sunt*. Igitur attendebat solum cum hæc protulit ad octavum versiculum. Sic propugnat Facundus ibidem: " Quod testimonium, *in„ quit*, B. Joannis Apostoli, B. Cypria„ nus Carthagiuensis Antistes & Martyr „ in epistola sive libro quem de Trinitate „ scripsit, de Patre, & Filio, & Spiritu „ sancto, dictum intelligit. " Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens: Et dico, fidem non esse adhibendam Facundo, qui aut codices depravatos habebat, aut satis non attendit ad Cypriani verba, quæ omnem tollunt ambiguitatem; namque ait: " De Patre, & Filio, & Spiritu „ sancto scriptum est: *Et hi tres unum sunt*. Quæ quidem sententia in septimo, & non in octavo versiculo continetur. Quid plura adjiciam? Aliud est omittere, aliud improbare: qui omisere septimum versiculum, ne minimum quidem dixere, ad illum rejiciendum. Facundus ait Cyprianum quidem usum fuisse octavo versiculo, sed non negat præ oculis habuisse septimum.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Versiculus septimus 1. Joan. 5. tres sunt qui testimonium &c. non est assutus.*

PRIMO: Cohæret cum octavo cui connectitur per particulam *Et*: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra &c.* Hinc Romanus interpres eum in Vulgata retinet. Concinit Synodus Tridentina.

*Secundo*: Eum traditione firmari constat.

Les-

Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 25. Cyprianus lib. de unitate Eccles. cap. 4. Hieronymus in Prologo. Cassiodorus in suis complexionibus, & alii versiculum laudant.

*Tertio*: Eumdem retinent optimæ notæ manu scripti codices, videlicet antiquissimus qui asservatur in Biblioth. Abbatiæ S. Germ. a pratis Paris. Permulti quibus usi sunt Doctores Lovanienses, codex Britannicus pervetustus, item nonnulli Regii, & Colbertini.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM. ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Esto quod desit versiculus in multis codicibus; sed hoc vel ex defloratione, vel ex Scriptorum inadvertentia contigisse citra dubium est.

*Secundo*: Ne mireminl, si vel ipsi codices illum retinentes varient. Hoc ipsum astruit versiculi genuinitatem: advertens quippe Scriptor versiculum omissum, in margine nonnumquam exaravit.

*Tertio*: Neque etiam desuut Patres qui eumdem sileant, sed qua de causa intelligite, quia præ oculis habebant, aut nutantes, aut defloratos codices; hinc silere maluerunt, quam ansam dubitandi de mysteriis in controversia motis prebere. Ergo ne aliquod facescit negotium, ex eo quod S. Augustinus lib. 3. contra Maximin. cap. 22. illo pretermisso, utatur octavo, absit? Quandoquidem disputatio erat solum de isto, ex quo Arianus concludebat Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse tres substantias, adeoque Verbum esse creaturam.

## PUNCTUM QUARTUM.

*Num octavus versiculus sit Symbolicus, & sanctissimam indigitet Trinitatem?*

## CONCLUSIO.

Versus iste: *ET TRES sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, sanguis & aqua: & hi TRES unum sunt*: designat sanctissimam Trinitatem.

PROBATUR *unico sed efficacissimo argumento*: Ille versiculus subindigitat SS. Trinitatem, qui eo adducitur scopo a Scriptore Canonico, ut illam designet per connexionem cum septimo; quo passim utuntur SS. Patres ad perstringendos, tum Arianos, tum Macedonianos; cujus auctoritate innixus S. Cyrillus Alexandrinus manifeste demonstrat Spiritus sancti Divinitatem; cujus denique sensus & morales, & parabolytici in hoc collimant, ut sanctissimam indicent Trinitatem: Atqui res sic se habet. Igitur versiculus octavus mirum in modum sanctissimæ Trinitatis astruit mysterium. Probatur minor quoad singulas partes.

*Primo quidem*, S. Joannes vestigiis inhærens Christi, qui parabolis & similitudinibus profunda Dei mysteria pandebat discipulis, seipsum modo agnum, modo etiam petram, & vitem nominando, ut suam erga homines mensuetudinem, fortitudinem & gratiæ ubertatem indicaret, spiritus, sanguinis & aquæ utitur Symbolo, ut legentibus ostendat illud non repugnare mysterium, quod vel ipsis naturæ adumbrabatur effectibus: spiritus quippe, sanguis, & aqua unum sunt in homine, hoc est unam hominis constituunt vitam, tametsi inter se substantialiter discrepent: quidni igitur tres hypostatice & personaliter ad invicem distincti unicum Deum constituerent?

*Secundo*: Affulget necessaria connexio inter versiculum septimum & octavum, tum ratione particulæ copulativæ; absoluto enim septimo versiculo, subdit sanctus Joannes: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra &c.* Tum ratione finis, eo quippe loci intendit Scriptor canonicus probare, & explicare mysterium sanctissimæ Trinitatis, maxime Verbi incarnati cum Patre consubstantialitatem. Hæc connexio infra susius ex S. Augustino patebit.

*Tertio*: Sancti Patres vel ipso utuntur versiculo ad perstringendos hæreticos, qui SS. Trinitatis mysterium inficiati sunt. Inprimis Ambrosius, qui libro primo de Spiritu sancto cap. 6. sic loquitur: Sunt „ tamen plerique, qui in eo quod in aqua „ baptizamur & Spiritu, non putant „ aquæ & spiritus distare munera, & „ ideo non putant distare naturam. Nec „ advertunt quia in illo aquarum sepelimur elemento, ut renovati per spiritum

„ tum resurgamus. In aqua enim imago „ mortis, in spiritu pignus est vitæ, ut „ per aquam moriatur corpus peccati, „ quæ quasi quoddam tumulo corpus in- „ cludit, & per virtutem spiritus reno- „ vemur a morte peccati. Et ideo hi tres „ testes unum sunt, sicut Joannes dixit, „ aqua, sanguis, & spiritus. Unum in „ mysterio, non in natura. „ Audis ex divo Ambrosio spiritum, aquam & sanguinem in natura tametsi discrepantes, designare tamen tres in beatissima Trinitate personas inter se realiter distinctas: audis eadem ratione unius regenerationis effectus ejusdem individuæ Trinitatis; in cujus nomine & virtute renovamur, unicam in tribus personis annuntiare naturam: *Unum in Mysterio* sunt, inquit ille Pater.

*Sanctus Augustinus* suum pro eodem momento addit calculum lib. 3. adversus Maximinum Arianum cap. 22. vet. edit. ubi etiam connexionem 7. ver. cum 8. annuntiat & sic loquitur: „ Tria itaque „ novimus de corpore Domini exisse cum „ penderet in ligno. Primo spiritum; „ unde scriptum est, Et inclinato capite „ tradidit spiritum: deinde quando latus „ ejus lancea perforatum est, sanguinem „ & aquam. Quæ tria si per se ipsa in- „ tueamur, diversas habent singula quæ- „ que substantias, ac per hoc non sunt „ unum. Si vero ea, quæ his significata „ sunt velimus inquirere, non absurde „ occurrit ipsa Trinitas, quæ unus, so- „ lus, verus, summus Deus est, Pater, „ & Filius, & Spiritus sanctus; de quibus „ verissime dici potuit, Tres sunt testes, „ & tres unum sunt: ut nomine spiritus „ significatum accipiamus Deum Patrem: „ de ipso quippe adorando loquebatur Do- „ minus, ubi ait, Spiritus est Deus. No- „ mine autem sanguinis, Filium, quia *Ver- „ bum caro factum est*. Et nomine aquæ, Spi- „ ritum sanctum: cum enim de aqua lo- „ queretur Jesus, quam daturus erat siti- „ entibus, ait Evangelista: *Hoc autem di- „ xit de spiritu, quem accepturi erant cre- „ dentes in eum*. Testes vero esse Patrem, „ & Filium, & Spiritum sanctum, quis „ Evangelio credit, & dubitat, dicente „ Filio, *Ego sum qui testimonium perhibeo „ de me, & testimonium perhibet de me qui „ misit me Pater*. Ubi & si non est com- „ memoratus Spiritus sanctus, non tamen „ intelligitur separatus. Sed nec de ipso „ alibi tacuit, eumque testem satis aperte- „ que monstravit. Nam cum illum pro- „ mitteret, ait ipse, testimonium perhibe- „ bit de me. Hi sunt tres testes, & tres „ unum sunt, quia unius substantiæ sunt. „ Quibus ultimis verbis attendit quoque S. Doctor ad septimum versiculum. Subjicit: „ Hi enim tres unum sunt: & hi „ tres unus est Deus. „ Igitur spiritus, sanguis, & aqua tametsi in se diversa, unum tamen sunt significatione, teste S. Augustino, quatenus unam & eamdem sacrosanctam Trinitatem designant: Ergo &c.

*Tertius* in veritatis testimonium accedit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 14. Thesauri, Cap. 5. vet. edit. „ Quis est, *inquit*, qui vincit mundum, nisi qui cre- „ dit quia Jesus est filius Dei? Hic venit „ per aquam, & sanguinem, & spiritum „ Jesus Christus: non in aqua solum, „ sed in spiritu & sanguine: & Spiritus „ est qui testimonium perhibet .... Spi- „ ritus enim veritas est: quia tres sunt „ qui testimonium perhibent, spiritus, & „ aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt. „ Si testimonium hominum accipimus, „ testimonium Dei majus est. Adverte „ rursus diligenter, quia hic etiam veri- „ tatis prædicator Deum verum de Deo „ vero Spiritum sanctum naturaliter esse „ docet. Nam cum dixisset Spiritum esse „ qui testimonium perhibet, post pauca „ statim addidit, quod testimonium Dei „ majus est. „ Ex B. Cyrillo tam aperte versiculus octavus sanctissimæ Trinitatis indicat Mysterium, ut ipsum testimonium Dei cum sancto Joanne illum appellet, & ex eo concludat Spiritum sanctum naturaliter esse Deum.

*Quarto*: Omnes sensus quos sancti Patres & Doctores huic affixerunt versiculo, sacrosanctam Trinitatem subindigitant. Revera quidem aliquid unum ultimate significant, idcirco tria esse unum in Trinitate, nullam implicare contradictionem manifestant.

*Sensus mysticus.*

Mystice spiritus, sanguis, & aqua, peccatoris justificationem annuntiant: Tria quip-

quippe ad hoc concurrunt, videlicet sanguis Christi, cujus meritis reformamur, aqua pœnitentiæ, & lacrymarum pro peccatis patratis effusio, cujus virtute abluimur, Spiritus sanctus, cujus potestate & efficacia absolvimur: Et hi tres unum sunt, hoc est unam operantur in nobis justificationem; unde S. Ambrosius lib. de Spiritu sancto cap. 11. ait: "Spiritu mentem re„novari, aqua nos lavari, sanguinem esse „pretium.

*Sensus symbolicus.*

SYMBOLICUM quoque sensum habent illa verba, spiritus, sanguis, & aqua. His enim tribus tres sanctissimæ Trinitatis in una natura subsistentes personæ designantur; sic loquitur S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 22. "Tres sunt testes, & tres „unum sunt: ut nomine spiritus signifi„catum accipiamus Deum Patrem. De „ipso quippe adorando loquebatur Domi„nus, ubi ait, *Spiritus est Deus*: nomine „autem sanguinis Filium, quia *Verbum ca„ro factum est*: & nomine aquæ, Spiritum „sanctum. Cum enim de aqua loqueretur „Jesus, quam daturus erat sitientibus, „ait Evangelista: *Hoc autem dixit de Spi„ritu, quem accepturi erant credentes in „eum.* „

*Sensus tropologicus.*

SI verba laudata tropologice accipiamus, testimonium sunt justitiæ, scilicet quod aliquis renatus sit per Christum, & sic hi tres unum sunt ratione significationis, cum sacram subnotent regenerationem. D. Bernardus serm. 2. in octava Paschæ hunc subjicit sensum, ait, te: „Sanguine & aqua & spiritu habere te„stimonium justitiæ quod renatus sis per „Christum, es, si continens a peccatis, „si dignos facis pœnitentiæ fructus, si „facis opera vitæ. „ Quæ quidem regeneratio ex aqua abluente, sanguine Christi operante, Spiritu vivificante non obscure subnotat sanctissimæ Trinitatis mysterium.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Ille versus non indigitat sanctissimam Trinitatem, qui designat tantummodo quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt quid unum, sed non: unus Deus: Atqui hoc solum significat. Et probatur. Symbola in eo allata, videlicet spiritus, sanguis, & aqua in substantia differunt, nec unum sunt, nisi ratione effectus designati, ut ex sensu mystico, symbolico, & tropologico claret: nemo quippe cordatus dixerit quod tres in substantia discrepantes, sint unus Deus: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem: Ad probationem distinguo: Symbola in sensu obvio sumpta tres in natura distinctos important, concedo: in sensu symbolico, nego. Similitudo seu parabola duplicem subit sensum, videlicet naturalem unum, & ille est quem littera præ se fert: Symbolicum alterum, & ille est qui fundatur in litterali ad aliud significandum; namque de ratione parabolæ est quod in alterum a sensu naturali transferatur sensum; qui tamen sensus radicem habet a sensu obvio. Quia igitur spiritus, sanguis, & aqua, tametsi entitative diversa, unum tamen & eumdem regenerationis effectum producunt, signa sunt sanctissimæ Trinitatis & figuræ: Ne mireris, quod significatum sit aliud a significante; alias similitudo esset ipsa res quam designat. Cæterum Scriptor canonicus hunc subjecit versiculum ad explicandum septimum, ubi sanctissima Trinitas apertè declaratur.

*S. Augustinus* lib. 2. cap. 22. adversus Maximinum hanc solvit objectionem ab isto Heterodoxo propositam, his verbis: "*Unum „sunt*, inquis, *Pater, & Filius, non ta„men unus*: continuoque subjungis, *unum „ad concordiam pertinet, unus ad numerum „singularitatis.* Sed te a consideratione ver„borum tuorum impetus disputationis aver„tit. Nam & unum & unus utique ad nume„rum pertinet singularem...... de Pa„tre & Filio, & unum sunt dicimus, quia „unius substantiæ duo sunt; & unus est, „dicimus, sed addimus quid unus; id est, „unus Deus, unus Dominus, unus „Omnipotens, & si quid hujusmodi.. „... Sane falli te nolo in epistola Joan„nis Apostoli ubi ait: *Tres sunt testes, spi„ritus, & aqua, & sanguis, & tres unum sunt.* „Ne forte dicas spiritum, & aquam, & „sanguinem diversas esse substantias, & ta-

„ men dictum esse, tres unum sunt. Pro-
„ pter hoc admonui te ne fallaris. Hæc enim
„ sacramenta sunt, in quibus non quid sint,
„ sed quid ostendant semper adtenditur:
„ quoniam signa sunt rerum, aliud existen-
„ tia, & aliud significantia. Si ergo illa
„ quæ his significantur, intelligantur, ipsa
„ inveniuntur unius substantiæ; tamquam
„ si dicamus Petra & aqua unum sunt,
„ volentes per petram significare Chri-
„ stum, per aquam Spiritum sanctum.
„ Quis dubitat petram & aquam diver-
„ sas esse naturas? Sed quia Christus &
„ Spiritus sanctus unius sunt ejusdemque
„ naturæ; ideo cum dicitur, petra &
„ aqua unum sunt, ex ea parte recte ac-
„ cipi potest, qua istæ duæ res, quarum
„ est diversa natura, aliarum quoque si-
„ gna sunt rerum, quarum est una natu-
„ ra.„

*Instabis*: Atqui ille versiculus non nisi unionem moralem inter personas subindigitat: Ergo &c. Probatur subsumptum: Symbola quæ nihil præter unionem moralem adinvicem habent, nihil quoque nisi morale in re, cujus sunt signa, indagant: Sed spiritus, sanguis, & aqua non nisi moraliter inter se connectuntur. Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Symbola inter se solum moraliter unita in sensu obvio nihil nisi morale significant, concedo: in sensu parabolytico, nego. Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, teste Apostolo, intellecta conspiciuntur: quocirca de ratione parabolæ est aliquid excellentius verbis quibus componitur significare, ut ex omnibus a Christo assumptis parabolis liquet. Sic granum sinapis, regnum cœlorum significat; petra, ipsum Christum repræsentat: Quid ni & ista symbola, Spiritus, sanguis, & aqua, quæ sunt quid unum in baptismo ratione regenerationis quam operantur, realem & substantialem inter personas sanctissimæ Trinitatis annuntiarent unionem?

*Urgebis*: Quæ habent sensum obscurum, & indeterminatum, ne quidem symbolice sacrosanctam subnotant Trinitatem: Atqui talia sunt octavi versiculi verba: Et probatur. Tot diversos variosque subeunt sensus, ut vix possit determinari quinam sit genuinus; Ergo &c. Probatur Antecedens. Mystice juxta D. Bernardum serm. 2. de octava Paschæ, designant justos, qui testimonium in cœlis habent a Patre, & Filio, & Spiritu sancto, quibus famulati sunt. Anagogice Christum, qui emisso in cruce spiritu, latus habuit perforatum, ex quo sanguis, & aqua profluxerunt. Allegorice, tria indicant sacramenta; nimirum Baptismа per aquam, Pœnitentiam, per spiritum; Eucharistiam demum per sanguinem, quippequi in ea contineatur; Symbolice juxta Bernardum ibidem: " In aquam Baptismum
„ intellige, in sanguine Martyrium, in
„ spiritu charitatem diffusam in cordibus
„ nostris.„ Tropologice adhuc juxta eumdem serm. 2. de octava Paschæ, justitiam quam veri pœnitentes lacrymis, tum aliis bonis operibus sibi comparant. Denique S. Augustinus lib. 3. adversus Max. cap. 22. ait spiritum, sanguinem, & aquam significare Ecclesiam, quæ est corpus Christi: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem; habent enim verba versiculi octavi sensum determinatum, vel ab ipso Spiritu sancto, cum eo afflante, per symbola spiritus, sanguinis, & aquæ S. Joannes sacrosanctum explicet SS. Trinitatis mysterium. Unde ad probationem distinguo: Tot varios ab hominibus habet sensus, ut vix possit unus determinari, transeat. A Scriptore canonico, nego. Scriptura varios morales subit sensus, sed quum unus determinatur, alii primigenium non inficiantur: supponunt igitur sancti Doctores, sensum a beato Ioanne versiculo affixum fuisse ad sanctissimam designandam Trinitatem: hoc vero supposito alios pro regula & directione morum afferunt.

*Audiendus* est de hoc momento S. Augustinus, qui ibidem lib. 2. adversus Maximinum, Cap. 22. sub finem, propositæ facit satis difficultati: „ Hi sunt tres te-
„ stes, *inquit*, & tres unum sunt, quia
„ unius substantiæ sunt. Quod autem signa
„ quibus significati sunt, de corpore
„ Domini exierunt, figuraverunt Eccle-
„ siam prædicantem Trinitatis unam eam-
„ demque naturam: quoniam hi tres qui
„ trino modo significati sunt, unum sunt:
„ Ecclesia vero eos prædicans, corpus
„ est Christi. Sic ergo tres res quibus si-
„ gnificati sunt, ex corpore Domini exie-

runt

„ runt, sicut ex corpore Domini sonuit, „ ut baptizarentur gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: in „ nomine, non in nominibus. Hi enim „ tres unum sunt, & hi tres unus est „ Deus. Si quo autem alio modo tanti „ Sacramenti ista profunditas, quæ in „ epistola Joannis legitur, exponi, & intelligi potest secundum catholicam fidem, quæ nec confundit, nec separat „ Trinitatem, nec abnuit tres personas „ nec diversas credit esse substantias, „ nulla ratione respuendum est. Quod „ enim ad exercendas mentes fidelium in „ Scripturis sanctis obscure ponitur, gratulandum est, si multis modis, non tamen insipienter exponatur. „

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Optime probatur Mysterium SS. Trinitatis versiculo* 8. 1. Joan. 5.

PRIMO: Quia vel ipse Christus pro more mysteria Dei parabolis explicabat: Quid ni igitur & S. Joannes tres in Deo explicaret personas per similitudinem sanguinis, aquæ, & spiritus, cum teste Augustino lib. 3. contra Max. cap. 22. significatione sint quid unum?

*Secundo*: Illum versiculum non semel ad perstringendos Hæreticos usurparunt Patres, ut Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto. Cyrill. Alex. lib. 14. Thesau. cap. 5.

*Tertio*: Sensus mystici & morales versiculi in hoc collimant, quod SS. Trinitatem ut totius sanctificationis causam designent.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tametsi symbola in versiculo complexa distinguantur realiter substantialiter ad invicem, non tamen ratione significationis. Nec mirum, similitudo, ait S. Chrysostomus, in omnibus cum significato non coincidit; sin minus non significatio, sed res ipsa designata foret.

*Secundo*: Similitudo symboli solam unionem moralem inter personas SS. Trinitatis non importat, cum scopus Evangelistæ sit probare Verbi incarnati cum Patre consubstantialitatem.

*Tertio*: Nec adjicias, symbolum quamdam obscuritatem præ se ferre; figuræ enim non ipsa veritas, sed veritatis umbra, ad nostrum captum proportionata affertur, ut per visibilia invisibilia intelligamus.

## ARTICULUS TERTIUS.

*De Apocalypsi.*

QUIDAM hæretici, inter quos eminet Lutherus, illam rejiciunt. Contra quos sit

### CONCLUSIO.

*Apocalypsis est Liber canonicus*,

Probatur multipliciter.

*Primo, ex Conciliis.*

CONCILIUM Ancyranum ante Nicænum primum adunatum can. ult. Apocalypsim inter Libros sacros annumerat: Cartag. III. can. 47. Romanum sub Gelasio I. Toletanum IV. can. 16. volumen illud, ut canonicum recipiunt, maxime vero Trid. sess. 4. quodquidem hoc tamquam de fide definit: Sed liber a Conciliis in canone Scripturarum positus ut sacer haberi debet. Ergo &c.

*Secundo, ex Patribus Græcis.*

PATRES Græci, qui inter omnes pro sacris indagandis Scripturis eminebant, quandoquidem Scripturæ novi Testamenti, si Evangelium secundum Matthæum excipias, græco idiomate ab Auctoribus canonicis datæ sunt, suum addunt Apocalypsi calculum: Ergo &c. Probatur antecedens. Dionysius Eccles. hier. capit. 3. vocat Apocalypsim visionem dilecti discipuli: Justinus in dialogo cum Triphone ultra medium Apocalypsim dicit Joannis, eamque commentariis illustravit, Irenæus lib. 5. Theophilus Antiochenus, Melito Sardicensis, Dionysius Alex. teste Eusebio. Lib. 4. capit. 24. & 26. Clemens Alexand. lib. 2. Pedag. cap. 12. Ori-

genes homil. 7. in Josue & in Psal. 1. Athanasius in synopsi, Epiphanius hær. 51. n. 6. & 7. Chrysostomus homil. in Psal. & similes ut canonicum suscipiunt. Eusebius lib. 7. Hist. Eccles. cap. 25. de libro Apocalypsis ait: " Arcanam planeque admirabilem singularum rerum intelligentiam latere existimo. Nam etsi ipsa non intelligo, suspicor tamen altiorem quemdam sensum verbis subesse, eaque non meo ipsius judicio metior, atque æstimo, sed plus fidei tribuens, sublimiora esse censeo, quam ut a me percipiantur, nec ea condemno quæ intelligere non potui: verum inde admiror magis, quod capere non possum." His accedit Damascenus lib. 4. cap. 14. qui Apocalypsim, ut Scripturam sacram habet: Ergo &c.

*Tertio, ex PP. Latinis.*

SUFFRAGANTUR Patres Latini, Tertullianus, lib. 4. contra Marcionem, Cyprianus de exhortatione, ad Martyrium cap. 3. Hilarius Præf. in Psal. Hieronymus in lib. de viris illustribus, & epistola ad Paulinum, Ambrosius in Psalmo 40. Augustinus tract. 36. in Joannem, Innocentius I. epist. 3. ad Exuperium, Isidorus, Sulpicius, & alii Apocalypsim, ut canonicam habent: & cum eis tota Ecclesia, quæ ex hoc volumine & epistolas pro Missis, & lectiones pro Breviario inde sumit: Ergo &c.

*Juvat* unum locum S. Hieronymi, alterum vero S. Augustini hic texere. Prior epist. ad Paulinum, sic loquitur: " Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi, pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ." Posterior vero lib. 20. de civ. cap. 8. pag. 1367. ex professo explicat Mysteria Apocalypseos, ut Libri sacri de alligatione & solutione diaboli in consummatione sæculi ad exercendos electos: " Non itaque per totum hoc tempus, quod liber iste complectitur, a primo scilicet adventu Christi usque in sæculi finem, quo erit secundus ejus adventus, ita diabolus alligatur, ut ejus hæc ipsa sit alligatio: per hoc intervallum, quod mille annorum numero appellat, non seducere Ecclesiam, quandoquidem illam nec solutus utique seducturus est." Pergit cap. 9. eadem Apocalypsis momenta de regno cum Agno explanare. Pag. 1371. vet. edit. " Ubi sine hoste regnabitur, & de hac prima resurrectione quæ nunc est, liber iste *Apocalypsis*, sic loquitur. Cum enim dixisset, alligari diabolum mille annis. Et jam multa de eodem libro cap. 7. dixerat, Ergo &c.

*Solvuntur objectiones Heterodoxorum.*

OBJICIT Lutherus: Multi gravissimi auctores non recipiunt Apocalypsim, ut Cajus apud Eusebium lib. 3. cap. 28. Auctor tertii sæculi tribuit illam Cerintho. Item non est in canone Laodiceno. Gregorius Naz. tacet de illa; & Hieronymus epistola 129. ad Dardanum dicit Ecclesias Græcorum illud volumen non recipere. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Et hoc solum probat aliquo tempore Ecclesiam dubitasse de authenticitate Apocalypsis, concedo: quocirca non mirum videri debet, si aliqui Patres illam rejecerint. Et hoc probat non esse nunc Canonicam, nego. Namque & Concilia, & Patres omni exceptione majores, ut ex probationibus liquet, illam veluti sacram suscipiunt.

*Ad* probationem distinguo: Quidam Apocalypsim diversam a B. Joannis Apoc. Cerintho tribuunt, concedo: eamdem, nego. Duplex Apocalypsis apparuit, una quæ sancto Joanni tribuitur, eaque sacra; altera Cerintho & fabulis plena. De ista loquitur Cajus & alii, nusquam vero de priori, quæ certe non est fœtus Cerinthi, quippequi negaverit Christi divinitatem, quæ non in uno loco prædicatur in Apocalypsi S. Joannis.

*Instat*: Stylus discrepat a stylo ceterorum B. Joannis operum, & auctor ubique se nominat, quod certe Christianam & Apostolicam non sapit humilitatem: Igitur a B. Joanne, alias humili & sanctissimo promanare non potuit.

*Respondeo* distinguendo: Stylus discrepat propter materiam quæ eo loci tractatur, concedo: ita ut diversum indigitet auctorem, nego. Stylus pro diversitate rerum diversus evadit, tametsi ab uno

& eo-

& eodem auctore promanet; namque alius est stylus historiæ, alius Epistolarum; alius etiam orationum, ut legenti Ciceronem patebit. Stylus Apocalypsis est propheticus, & varia ac multa indagat mysteria; hinc & diversus a stilo & historico Evangelii Joannis, & Epistolarum familiarium esse debet.

*Ad* confirmationem dico, ea intentione auctorem se nominare, ut se ipsum prodat, & ab hæretici Cerinthi opere secernat suum. Cæterum, Daniel octies se nominat in suo libro, ter vero Joannes tantum in Apocalypsi. Observandum est in codicibus græcis nomen Joannis solitarie non inveniri; Sed Joannis Theologi, & merito, cum Joannes velut aquila & supremus Theologiæ vertex de Christi divinitate locutus sit.

*Urget:* Auctor Apocalypseos cap. 1. 3. sic loquitur: *Beatus, qui legit & audit verba prophetiæ hujus*: Sed nemo in hac vita Beatus est: Igitur ille liber non est sacer, quippequi falsa referat.

*Confirmatur:* Auctor nominat septem Angelos habentes modo phialas ira Dei plenas, modo etiam habentes tubas, quæ quidem omnia puris non conveniunt Spiritibus, sicut & quando ait, quatuor Angelos esse ligatos. II. Vivente Joanne non erat urbs Thyatiræ: Igitur Joannes non potuit scribere Angelo seu Episcopo Thyatiræ: Ergo &c.

*Respondeo* disting. Joannes vocat beatos dispositive eos qui credunt Mysteriis quæ exponit, concedo: beatos formaliter & actu, nego. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*, inquit Paulus, Heb. 11. & iterum *sine fide autem impossibile est placere Deo*. Igitur qui credit Mysteriis, jam hebet beatitudinem in semine, maxime vero cum fides eadem exponat Mysteria, quorum visio beatificat homines: In eo igitur & eodem sensu Joannes vocat beatos illos, qui credunt Mysteriis quæ in Apocalypsi exponit, quo ipse Christus beatum dixit Petrum propter suæ divinitatis confessionem. Sic enim eum allocutus est, postquam dixerat illi cap. 16. 17. *Tu es Christus filius Dei vivi: Beatus est Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.*

*Ad* primam probationem distinguo: Et loquitur symbolice Joannes, cum Angelos dicit habere phialas, & tubas, concedo: namque phialæ denotant vindictam peccatorum, tubæ vero ultimum judicium in quo Christus utetur Angelis ad convocandos mortuos & congregandos, ut judicaturi coram se appareant; ita censet Epiphanius in cap. 15. primæ Corinth. v. 37.

*Idem* Epiphanius respondet ad ulteriorem probationem de quatuor Angelis ligatis, dicens designari per eos multas nationes, videlicet, Assyrios, Babylonios, Medos, & Persas, qui ab Angelo soluti bella cum finitimis nationibus gesserunt. Grossius existimat significari custodes & duces Vespasiani, Titi, Mutii & Tiberii, Alexandri, quorum amplissimi exercitus usque ad captivitatem pertingebant; qui cum statuissent Jerosolymam obsidere, res delata est in aliud tempus, donec, crescente discordia, cives seipsos destruerent, vel etiam expectando rerum Romanarum exitum.

*Respondet* quoque Epiphanius, Joannem loqui de urbe Thyatiræ, sed futura; mos enim apud Prophetas inoleverat futura quasi præsentia annutiare. Cæterum, quæ de Jezabel leguntur in Apocalypsi, refert Joannes ad Maximillam, Priscillam, & Quintillam. Certum est enim Joannem scripsisse Christianis, qui tunc in ea urbe versabantur, vult autem eos monere de hæresi Cataphrigum, quæ oppidum laudatum postea fœdavit, sicut & de falsis Prophetissis & Prophetis, qui in eadem urbe hæresim, adhærentes Moutano, postea disseminarunt. Non desunt qui affirment urbem Thyatiræ tempore S. Joannis jam fuisse saltem ex parte fundatam, quandoquidem Act. 16. de ea, vivente Paulo, fit mentio his verbis: *Mulier quædam nomine Lydia, purpuraria civitatis Thiatirenorum colens Deum, audivit, cujus Dominus aperuit cor intendere iis quæ dicebantur a Paulo.*

*Instat:* Liber qui continet absona, non debet admitti ut canonicus: Atqui liber Apocalypsis multa complectitur absona: Et probatur. Regnum v. g. mille annorum in terris cum Agno deliciis affluens prædicat: Sed istud regnum & fictitium & indecorum est: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem, Ad proba-

tionem distinguo : Et regnum illud est figura Beatitudinis æternę, concedo : numerus enim mille annorum indefinitam importat durationem ; sicut cum dicitur de Deo ad designandam Dei ęternitatem Psal. 89. 2. *A sæculo & usque in sæculum tu es Deus*. Et intelligit de regno deliciis carnalibus affluente, sicut intellexit Cerinthus, nego : Joannes utitur parabolis ut obscondita Dei explicet : binc Gregorius hom. 11. in Evangelia, ait : " Cœlorum regnum idcirco terrenis rebus „ simile dicitur, ut ex his quæ animus „ novit, surgat ad incognita quæ non no- „ vit. „ Cæterum, non desunt Patres & eruditissimi Theologi, qui abstrusa Apocalypsis mysteria explicaverint, alii de persecutionibus nascentis Ecclesiæ, ut Ill. D. Bossuet Meldensium Episcopus ; alii de sævitia in Christianos Antichristi. Hæc quippe Joannes scripsit & ad consolationem fidelium, & ad eos in fide roborandos, quocirca creditur hujusce libri auctor.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Apocalypsis est Liber sacer.*

PRIMO : Hoc ipsum Traditio conclamat. Concilium Ancyranum antiquissimum, Carthaginense III. can. 47. Toletanum IV. can. 16. tum Tridentinum sess. 4. volumen illud ut sacrum habent.

*Secundo* : Suffragantur Patres, ut Dionysius Eccl. hier. cap. 3. Justinus Dial. cum Triph. in primis S. Augustinus lib. 20. de civ. cap. 7. 8. & 9. ubi ex professo Apocalypsim, ut Librum sacrum interpretatur.

*Tertio* : Usus sic obtinuit, quandoquidem Ecclesia Romana ex illo volumine sumpsit Epistolam pro Missa quotidiana defunct. & varias Breviarii sui lectiones.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Ultro fatemur quosdam Patres & viros eruditos non nihil dubitasse de genuinitate Libri, sed hoc unum probat, videlicet non citocitius, sed solum prævio maturo examine volumen in canone fuisse inscriptum.

*Secundo* : Non desunt qui absolutè Apocalypsim abjiciant, sed eam quæ fuit impii Cerinthi, & non Joannis, intelligunt.

*Tertio*, Illud opus multas continet figuras & similitudines, unde mysticè, & non in sensu obvio saltem semper sumi debet ; sin minus, quædam implicare videretur.

---

## ARTICULUS QUARTUS.

*De libris omissis, apocryphis, & suppositiis.*

CERTUM est, ait Duvallius hic q. 1. art. 7. de objecto fidei, editos fuisse a Prophetis, Apostolis, & aliis Scriptoribus sacris, libros, qui tamen injuria temporum, vel negligentia hominum perierunt.

*Dividuntur* in tres classes : Prima continet omissos, qui Scripturam verè sacram habent : Secunda, apocryphos, nihil contra fidem & probos mores continentes : Tertia, suppositios, & ab hæreticis fœdatos.

*Ex veteri Testamento.*

OMISSUS est primoquidem Liber Verborum dierum Salomonis, in quo ejus gesta referuntur, de quo fit sermo lib. 3. Reg. cap. 11. item alia multa omissa sunt quæ scripsit Salomon : refertur enim ibidem cap. 4. 32. quod locutus sit, *tria millia parabolas* ; quod, fuerint carmina ejus quinque & mille : quod de omnibus differuerit erudite : ibidem v. 33. & 34. *Disputavit super lignis, a cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quę egreditur de pariete : & disseruit de jumentis, & volucribus, & piscibus*. Quæ quidem opera perierunt. Omissus est quoque liber, cujus titulus : *Descriptiones Jeremię* ; de quibus fit mentio lib. 2. Machab. cap. 2. de iis etiam videtur meminisse Matth. cap. 27. cum ait : *Ut adimpleretur quod dictum est per Jeremiam Prophetam* ; eo loci loquitur Evangelista de agro figuli empto pro sepultura peregrinorum. Liber dierum citatur etiam in Libris Paralip.

*In* eodem ponuntur ordine alia quædam opera,

opera, videlicet liber Justorum, & carmen de quo in libris Moysis. Tum prima David gesta, quæ Nathan & Gad Propheta scripserunt, & ex eorum libris excerpta leguntur, quæ quidem scripta habemus lib. 2. Reg.

*Apocryphi* seu occulti, sunt tertius & quartus liber Esdræ, tertius & quartus Machab. & oratio Manassis. Tertius Machab. nihil habet nisi nomen commune. In eo describitur Ptolemei, & Philometri ingressus in Judæam, resistentibus Judæis, & divina in Regem animadversio. In quarto, præmissa historia Heliodori, subjicitur historia LXX. Interpretum, referunturque omnia Machabæorum gesta usque ad Herodis tempora. Ad hunc ordinem reducuntur liber Enoch, & liber de duobus piscibus & Leviathan.

*Supposititii* sunt, liber inscriptus, *ascensio Moysis*, Genealogia Adami, quam, teste S. Augustino, ventilabant Manichæi, Apocalypsis Isaiæ, liber confictus Joannis & Mambre, qui fuerunt apud Ægyptios magi, quique teste Apostolo, restiterunt Moysi.

*Ex novo Testamento.*

In prima classe, scilicet omissorum, epistola S. Pauli ad Laodicenses, de qua fit mentio in epistola ad Coloss. 4. Chrysostomus in illud Matth. 2. v. 23. dicit librum excidisse, in quo ista sententia reperitur. *Veniens habitavit in civitate, qua vocatur Nazareth.: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur*. Item liber Pastoris, cujus auctor Hermas discipulus B.Pauli censetur, ut habetur in Bibliotheca Patrum, & citatur ab Irenæo, & Clemente Alex. ut Scriptura sacra; excidit Græcum exemplar: superest Latinum. Item epistola Barnabæ, de qua meminit Clemens Alexandr. & Origenes. Item duæ Clementis Romani, & citantur a Hieronymo: prima ab Eusebio ut quid omnibus numeri absolutum laudatur.

*In* secunda classe, scilicet apocryphorum ponuntur epistola Christi ad Agabarum Regem Edessæ, quam Eusebius ex publicis Edessæ tabulis una cum epistola Agabari ad Christum depromptam dedit lib. 1. cap. 13. Agabarus concludit ex miraculis Christum esse filium Dei, ipsumque rogat, ut veniat ad illum sanandum: Christus in sua scribit, quod post Ascensionem suam mittet unum ex discipulis suis ad illum curandum. Item Evangelium secundum Ægyptios quo utebantur Valentiniani hæretici. Citatur a Clemente Romano in secunda sua epistola. Celebrius est Evangelium Nazaræorum, id est, virorum piorum, & secundum Hebræos citatur ab Ignatio epistola ad Smirnenses. Ex hebræo, græce & latine redditum est. Item Evangelia Jacobi & Nicodemi, sed fabulis referta: tum Apocalypsis Petri, quæ a Clemente Alexandr. teste Eusebio, lib. 6. cap. 14. habebatur aliqualiter ut Scriptura sacra. Item epistola B. Mariæ ad S. Ignatium; altera ad Florentinos, 3. ad Messinenses, de quarum falsitate nemo dubitat; sicut & de octo Epistolis Senecæ ad Paulum, & de sex B. Pauli vicissim ad Senecam. Rursus multæ liturgiæ Apostolorum: omnium antiquor tribuitur Jacobo: Citatur in Concilio Trullano. Suppositítiam esse quidem sic probatur. Primo, multa habet ex epistolis Pauli, quas constat mortuo Jacobo fuisse scriptas. B. Virgo dicitur Theotocos, & Verbum Omousion, quæ voces ignotæ erant ante quartum sæculum. Secundo, fit mentio de Monachis, monialibus, & cæremoniis, quæ tamen non extabant tempore Apostolorum; est tamen multum veneranda ista liturgia, & apud Patres magni ponderis. Alia est Petri, quæ videtur recentior. In ea fit mentio Sixti Papæ Martyris, Cornelii, & Cypriani. Rursus mentio fit de Patriarchis, quæ vox exeunte quarto tantum sæculo usurpata fuit. Sunt quoque liturgiæ SS. Basilii & Chrysostomi, in eis multa deprompta sunt ex Sacramentario divi Gregorii. In Ethiopica liturgia quæ a Matthæo scripta falso dicitur, fit mentio Athanasii, Gregorii & Basilii. His ratiociniis non intendimus probare istas liturgias non esse magna ex parte Apostolorum discipulis coævas, sed concludimus non esse Scripturas sacras.

*In* tertia classe, numerantur opera ab hæreticis fœdata, ut Evangelium Matthæi ab Ebionitis corruptum, cujus initium refert Epiphanius. Idem meminit etiam Evangelii Encraticarum, Evangelii

Petri et Pauli, Thomæ, Philippi, quo utebantur Gnostici, sicut et Evangelii Judæ, quod a Cajanis usurpabatur: circumferebantur olim actus Petri, Andreæ, Joannis, Pauli et aliorum, quos omnes libros, inquit Eusebius lib. 8. hist. Eccl. cap. 25. Ecclesia semper rejecit.

*Denique* numerantur etiam constitutiones seu canones Apostolorum. Omnes non esse ab Apostolis emanatos luce clarius affulget, quandoquidem non pauci quædam referunt, multis post Apostolos sæculis facta. Et vero primus canon prohibet ne Pascha juxta Judæorum ritum et diem celebretur 45. 46. et 67. Baptisma ab hæreticis collatum rejiciunt: quocirca Apostolorum fœtum esse non possunt; namque si hoc esset, non tanta fuisset commota controversia; sola enim Apostolorum definitio in testimonium adducta, prorsus sedasset animos. Idem dicimus de controversia circa Baptismum ab hæreticis collatum suscipiendum, vel rejiciendum: et de facto Cyprianus, et Firmilianus nusquam canones Apostolorum pro sua opinione defendenda laudaverunt, ex quo patet hujusmodi canones ex variis Conciliis, tum ante Nicænum primum, tum post fuisse collectos.

*Joannes* Antiochenus sæculo 5. canones in sua collatione posuit. Justinianus in sua Novella illos laudat: Trullana Synodus illos recepit: A Gelasio citantur ut apocryphi. 50. Priores referuntur in causa Prætextati, teste Gregorio Turonensi, postea rejectis cæteris, isti 50. in jus canonicum asciti, vim legis habuerunt. Licet igitur non sint Scriptura sacra, multum tamen ponderant.

*His* præmissis quæritur inpræsentiarum quid credendum sit de illis omnibus libris. Sola difficultas est de omissis, ceteri quippe utpote vel apocryphi, vel supposititii, vel etiam fabulis referti inter regulas fidei annumerari non possunt. Sit igitur

## CONCLUSIO.

*Libri omissi, de quibus Scriptura sacra mentionem facit, sunt canonici.*

PROBATUR hoc ratiocinio. Illi libri sunt sacri adeoque et canonici, quos Auctores canonici & inspirati laudant, quorum sententias ad veritatem confirmandam adducunt, quorum etiam Auctores fuerunt Prophetæ & homines, qui divina illustrati revelatione locuti sunt: atqui libri omissi tales sunt, & ista omnia habent testimonia, ut ex dictis patet: Igitur sunt sacri.

### *Solvuntur objectiones.*

OBJICIES: Illi libri non sunt canonici, qui non sunt de fide: Atqui libri omissi non sunt de fide: Ergo &c. Probatur minor. Fides, teste Apostolo, ex auditu & visu est: Sed neque legimus, neque vidimus hujusmodi libros, & ignoramus quid precontineant: Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Libri omissi non sunt de fide credendi quoad sententias quæ in ipsa sacra Scriptura referuntur, nego. Quoad se, subdistinguo: non sunt de fide credendi quoad alias sententias nobis ignotas, concedo: quoad se, seu quoad sui existentiam, nego. Duo sunt secernenda in libris omissis, unum circa sententias, alterum vero circa hujusmodi librorum existentiam: quoad primum profecto debemus explicite credere sententias quę in ipsa sacra Scriptura leguntur; ceteras vero implicite, ita ut fidelis paratus sit istis credere, si Ecclesia easdem inveniret & credendas proponeret. Debemus quoque credere explicite tales fuisse libros, cum Scriptores canonici hoc ipsum dicant & asserant.

*Instabis*: Si isti libri forent sacri, providentia Dei eos excidisse non permisisset, & hoc propter Ecclesiæ utilitatem, maxime vero ad fidelium consolationem, quandoquidem Scriptura sacra est instrumentum fœderis inter Deum & homines initi: Ergo &c.

*Confirmatur*: Opera Dei in æternum permanent: Igitur non est probabile aliquos Libros sacros excidisse.

*Respondeo* distinguendo: Si libri de quibus est caput controversiæ essent Religioni essentiales, Deus non permisisset illos acerbitate temporum perusse, concedo: sic Deo ipso duce, Esdras post captivitatem Babylonicam recuperavit & restauravit Libros sacros: si non sint Religioni essentiales, nego; Duo igitur in Libris sacris

sacris distinguntur, quædam ipsi Religioni essentialia, qualia sunt ea quæ in Pentateuco, in Prophetis & in Evangelio leguntur; quædam vero non sunt absolute necessaria, ut temporum historiæ, cum præclara gestorum exempla sufficientia habeamus in libris Reg. Judith, Job. & Machab. Igitur absque Religionis dispendio Verba dierum, & Salomonis de rebus naturalibus dissertationes, pastoris visiones ad explicanda mysteria, omitti potuerunt; maxime vero cum æquivalentia in aliis libris, & in visionibus, tum Prophetarum, tum beati Joannis habeamus. Ulterior confirmatio probat tantum libros Religioni essentiales permanere in æternum.

## SYNOPSIS ARTICULI.

LIBRI omissi qui in veteri & novo Testamento citantur, sunt sacri, cum sint de corpore Scripturæ sacræ: hoc est sententiæ ex eis excerptæ & in Libris canonicis allatæ sunt explicite de fide, cæteræ vero solum implicite. Igitur credere debemus illos libros laudatos quondam extitisse, sententias ex eis desumptas, & in utroque Testamento laudatas esse a Deo inspiratas: quibus sic distinctis absque negotio solvuntur argumenta in contrarium.



DIS-

# DISSERTATIO UNICA,

## DE TRADITIONE DIVINA,

## SECUNDA FIDEI REGULA,

## QUA ECCLESIA ROBORATUR.



OBSERVANDUM est I. Traditionem significare doctrinam ab alio acceptam, sive per voces, sive per scripta; abstrahit enim ab hoc quod sit scripta vel non; nomen tamen Traditionis vulgo accipitur a Theologis ad significandam doctrinam non scriptam; quæ ab uno ad alium, & ab isto ad alterum sine fine traditur: sic illam sumit Irenæus, Tertullianus lib. de corona Milit. Porro vocatur doctrina non scripta, non quod nusquam scripta sit; sed quia non fuit scripta ab Auctore canonico: sic Traditione habemus illibatam B. Mariæ virginitatem, descensum Christi ad inferos, transubstantiationem, & Baptismum verbis Evangelicis collatum ab hæreticis ut bonum.

*Observandum* II. Traditionem esse in triplici differentia; unam scilicet divinam, quæ est immediate a Deo vel Christo: alteram Apostolicam, quæ descendit ab Apostolis, ut Jejunium quadragesimale, & continentia Sacerdotum; tertiam mere Ecclesiasticam, quæ constitutione Procerum Ecclesiæ, vel etiam consuetudine confirmatur, qualis est Canonizatio B. Rochi, quæ, consuetudines decursu temporum habent vim legis, ex eo quod nulli contradicant. Traditio adhuc duplex est: alia universalis, quæ viget in tota Ecclesia, ut jejunium quadragesimale: alia particularis, quæ solum in aliqua Diœcesi: Porro ut Traditio sit regula fidei, debet esse & divina, & universalis.

*Observandum* III. Triplicem esse regulam ad discernendas Traditiones Divinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas: prima est quando Traditionis initium non invenitur, nisi fiat regressus ad ipsum Christum, & tunc sunt divinæ; vel ad Apostolos, & tunc sunt Apostolicæ: sic docet S. August. in omnibus ferme libris contra Donatistas, quos Traditione urget & confutat. Secunda est, si primorum sæculorum Patres in aliquo asserendo conspirent, & oppositum tamquam hereticum damnent. Tertia, quando Episcopi in Spiritu sancto congregati in aliquo Concilio aliquid unanimiter tamquam ab Apostolis derivatum recipiunt: argumentum enim & signum est Traditionem esse a Christo, vel ab Apostolis. Hic autem non agimus de Traditionibus scriptis falsis Judæorum, quas ipse Christus & damnat, & rejicit; sed de genuinis.

*Valentiniani*, Donatistæ, & post ipsos, Protestantes rejiciunt Traditionem pro regula fidei; sed contra quod dicit Apostolus 1. Cor. 11. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis.*

*Hoc fidei dogma quatuor momentis probatur.*

PRIMO: Quia Traditiones fuerunt semper in usu, tum in veteri, tum etiam in novo Testamento.

*Secundo*: Quia Traditio divina in Scriptura, in Conciliis, & Patribus fundatur, & ipsa Theologica ratione firmatur.

*Tertio*: Quia quisque debet credere quod proponit Ecclesia tamquam de fide tenendum.

Quar-

*Quarto*: Quia vel ipsæ Traditiones Ecclesiasticæ obligant in conscientia. Unde sit

---

### *ARTICULUS PRIMUS.*

Utrum dentur Traditiones?

*CONCLUSIO AFFIRMATIVA.*

Probatur multis momentis.

*Primo, ex veteri Testamento.*

ILLUD datur ut Traditio, quod homines pro regula, tum vitæ, tum morum, tum etiam Religionis semper habuerunt: Atqui res ita se habet ex veteri Testamento: Ergo &c. Probatur minor. Primoquidem, constat Adam suos docuisse filios, & regulis eorum instituisse vitam, ipse quippe a Deo edoctus, juxta illud Ecclesiast. 17. de primis Parentibus: *Disciplina intellectus replevit illos: creavit illis scientiam spiritus*; formare debuit ad pie & sancte vivendum nepotes; nec legitur in Scriptura Cainum, Abel, Enoch, Noe cæterosque Patriarchas, alio modo quam Traditione accepisse ritus colendi Deum, & ipsi sacrificandi. De hominibus post legem a Moyse datam, constat eos habuisse pro regula & fidei & morum Traditiones ut habetur, Exod. 12. & 13. tum Eccli. 8. ubi habetur: *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a Patribus suis*. David in Psalmis non semel laudat Patrum traditionem, ad quam iterum atque iterum remittit Psalm. 77. *Quanta audivimus, & cognovimus ea: & patres nostri narraverunt nobis.... Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis*: Ergo &c.

*Secundo, ex novo Testamento.*

APOSTOLUS 1. Cor. 11. ait: *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: accipite & manducate, hoc est corpus meum &c.* Rursus 2. Thess. 2. *Itaque fratres, state & tenete Traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Rursus ibidem cap. 3. *Denuntiamus autem vobis..... ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate; & non secundum Traditionem quam acceperunt a nobis.* Quibus sententiis Apostolus Traditionem ut irrefragabilem fidei regulam habet, cum mirabile de realitate corporis in Eucharistia dogma Traditione probet.

*Tertio, ex sanctis Patribus.*

S. IRENÆUS lib. 3. adversus hæreses cap. 2. ait: " Cum enim ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, & quia varie sint dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant Traditionem. Non enim per litteras traditam illam, sed per vivam vocem: ob quam causam, & Paulum dixisse, sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam autem non mundi hujus. "

*Suffragantur*, Clemens Alexand. in libris strom. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 6. & toto libro de Præscrip. aliique omnium sæculorum Patres in articulo sequenti citandi. Ergo &c. His accedunt Conciliorum definitiones; namque Concilium quintum generale anathemate percutit contemnentes Traditiones: Item & Septimum generale: Tum & Trid. sess. 4. Ergo &c.

*Quarto, rationibus Theologicis.*

PRIMA: Synagogæ Doctores non nisi Traditione seu *Cabala* Scripturarum sensum aperiebant, eadem quoque utitur Ecclesia ad denotandos scripturæ novi Testamenti sensus obscuros: eadem etiam tenemus jejunium, tum quadragesimale, tum quatuor temporum, aliaque permulta quæ ad fidei conservationem, & ad mores componendos inserviunt: Igitur Traditiones sunt necessariæ.

*Secunda*: Quandiu Christus vixit, nihil scripsit; ipso vero mortuo, non nisi octo ab ejus morte elapsis annis B. Matthæus primus scripsit Evangelium. Igitur quamdiu Christus vixit, & ipso mortuo usque ad Matthæum, opus erat Traditione ad fidei

fidei & legis Evangelicæ, tum observationem, tum etiam conservationem.

*Tertia*: Multa sunt quæ fidem & mores spectant atque disciplinam, quæ non nisi Traditione tenere possumus: Igitur Traditio est absolute necessaria. Probatur Antecedens: Virginitas illibata & perpetua Augustissimæ Mariæ est de fide, sic & necessitas Baptismi, quam ratam adversus Anabaptistas propugnamus, cui dogmati astipulantur Lutherani: item festum Paschatis die Dominica immediate æquinoctium vernum celebrandum esse affirmamus; suscipimus Baptisma etiam ab hæreticis, verbis Evangelicis collatum. Sed hæc omnia momenta Traditione innixi & defendimus & servamus: Ergo &c.

*Quarta*: Ecclesia distinxit Libros sacros a cæteris non sacris, & de eorum authenticitate certum tulit de fide tenendum judicium. Sed Traditione potissimum suffulta sic definivit: Ergo &c.

*Dices*: Scriptura sacra sufficit; quippe quæ cuncta & pro Mysteriis credendis, & pro moribus recte instituendis complectatur: Igitur Traditio est inutilis.

*Respondeo* distinguendo Antecedens: Scriptura exposita & explicata sufficit ad salutem, concedo; secundum se & nude sumpta, nego. Et vero multos, variosque subiit sensus, quos etiam homines perversi in suas pravas detorquent opiniones; quocirca per Traditionem exquirendum est, quænam sit genuina mens Spiritus sancti cum sacras dictavit, aut inspiravit Scripturas: Quid plura? Nonnulla sunt nedum disciplinam & mores, sed & fidem spectantia, ut B. Mariæ illibata & perpetua virginitas, & validitas Baptismi ab hæreticis verbis Evangelicis collati, quæ non sunt in Scripturis saltem explicite, sed ex eis per Traditionem concluduntur. Ergo &c.

*Dices* II. Traditio in ore hominum fundatur: Sed unusquisque cogitat, sapit & judicat prout vult, immo & quisque, inquiunt Calvinistæ, Scripturæ sacræ investigare sensus & Mysteria potest, juxta illud Apostoli 1. Cor. 2. 15. *Spiritualis autem judicat omnia*. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Traditio fundatur in ore hominum habentium in Ecclesia potestatem, concedo: in ore omnium hominum indiscriminatim, nego. Scriptum est, quoniam omnis potestas est a Deo; qui igitur supremam in Ecclesia eam habent, possunt Traditione suffulti & adjuvante Spiritu sancto, sacras explicare Scripturas, & fidei dogmata, tum proponere, tum etiam definire; quod quidem solis summis Pontificibus, & Conciliis Oecumenicis competit. Cæterum Apostolus scribens ad Corinthios eo loci non loquitur de hominum judicio respective ad Scripturam sacram, sed de cuiuslibet conscientia; unde sensus est, qui devotus & spiritualis est ad præsentiam Dei attendens, intelligit quid ab eo expostulet Deus, quidve facere debeat, ut ipsi faciat satis, tum in exequendis mandatis, & expiandis peccatis, tum etiam in adimplendis votis & promissionibus.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

### *Dantur Traditiones*.

PRIMO: Sic habetur Psalm. 77. *Quanta audivimus, & cognovimus ea: & patres nostri annuntiaverunt nobis*. Tum 1. Cor. 11. *Ego enim accepi a Domino*, ait Apostolus, *quod & tradidi vobis*. Eo loci Apostolus docet Fideles realitatem corporis Christi in Eucharistia. Rursus 2. Thess. 2. *State & tenete Traditiones quas didicistis*.

*Secundo*: Hoc ipsum uno veluti calamo docent Patres, Irenæus lib. 3. adversus hær. capit. 2. Augustinus in libris septem de Baptismo. His accedunt Concilia, quæ hæreticos a judicio comparativo Traditione suffulto perstrinxerunt.

*Tertio*: Omnia quæ fecit & dixit Christus, scripta non potuerunt capere, ait S. Joannes cap. ult. & tamen erant divina & sacra: Igitur memoriæ per Traditionem mandata sunt.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Scriptura ex se quidem sufficit ad salutem, sed Traditione explicanda est.

*Secundo*: Traditio fundatur etiam in hominum judicio, sed per Ecclesiam quæ est infallibilis, probato; hinc Traditioni divinæ non subest falsum.

*Tertio*: Spiritualis, esto, judicet omnia pro

pro conscientia, sed non fert legem pro aliis: ad solam quippe Ecclesiam spectat proponere credenda.

---

*ARTICULUS SECUNDUS.*

Utrum Traditio divina sit ita in Scripturis & Patribus fundata, ut etiam fidei regula infallibilis evadat?

CONCLUSIO.

Traditio divina est regula infallibilis fidei.

*Probatio prima, ex Scriptura sacra.*

QUOD ipsa Scriptura pro fidei regula præscribit, illud ipsum est regula infallibilis, in his quæ fidem spectant: Atqui ipsa Scriptura sacra præscribit Traditionem divinam pro regula fidei infallibili: Igitur Traditio divina debet haberi tamquam fidei regula, eaque infallibilis: dico infallibilis, namque eo ipso quo Spiritus sanctus qui est veritas essentialis, & lumen indeficiens pro regula fidei statuit Traditionem, eo ipso Traditio est regula infallibilis in his quæ spectant fidem, & Religionem. Probatur minor multipliciter.

*Primo, ex veteri Testamento.*

EXOD. 14. habetur: *Narrabis filio tuo in ille die dicens, hoc est, quod fecit Dominus &c.* Deut. 32. *Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi, majores tuos & dicent tibi.* Job. 8. *Interroga generationem pristinam & diligenter investiga Patrum memoriam.* Judicum 6. *Ubi sunt mirabilia quæ narraverunt nobis patres nostri?* Psal. 43. *Deus, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis, opus quod operatus es &c.* Psal. 77. *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera: Filii qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filiis suis.* In his & similibus locis Prophetæ Traditionem perfecte delineant & stabiliunt; videlicet pro his quæ populus Judaicus, tum de unitate Dei, tum de ejus mirabilibus & lege credere debebat, ut isti adhærens regulæ, & ab idololatria deterreretur, & ad mores in sanctitate componendos edoceretur: Igitur Traditio est regula fidei infallibilis, utpote a Deo ipso proposita & præscripta in his quæ spectant revelata credenda.

*Secundo, ex novo Testamento.*

CHRISTUS Joan. 16. ait discipulis suis: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Hinc Joannes cap. ult. sic concludit suum Evangelii volumen: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Apostolus 2. Thessal. cap. 2. dicit: *Itaque fratres, state & tenete Traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Quibus positis sic argumentari fas est: Christus ipse multa ad instructionem Apostolorum, & eorum in Sacerdotio atque Episcopatu successorum memoriæ mandavit, adeoque & Traditione tenenda: vel ipse Joannes asserit omnia a Christo & dicta & facta non potuisse scribi, & consequenter sola Traditione observanda: Iam cum Apostolo concludamus: *Itaque fratres state, & tenete Traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Igitur absque fidei discrimine Traditiones non possunt abjici.

*Probatio secunda, ex omnium sæculorum Patribus.*

TRADITIO ex ipsa Scriptura laudata a Patribus nostris fide, virtute, & scientia præpollentibus repeti opus est; hinc qui hoc negat, ipsas abjicit Scripturas, quas in utroque Testamento esse divinas ex ipsa Traditione habemus, & certe juxta inconcussam & Tertulliani & divi Augustini regulam, nullus nisi Heterodoxus non dicam absque fidei, sed etiam rationis ipsius dispendio negare potest, quod ab omnibus perpetua successione veluti divinum & inspiratum habetur: Revera quidem si in iis non credimus Doctoribus omni exceptione majoribus, a fortiori

tiori nec ipsis Heterodoxis fides adhibenda est: Et sic nihil certi habetur pro Religione, dicam & pro componendis moribus: Atqui ex Patribus omnium sæculorum Traditio divina est regula infallibilis fidei: & probatur per singula discurrendo sæcula.

*Ex* primo sæculo occurrit S. Ignatius, qui teste Eusebio lib. 3. Hist. Eccles. cap. 36. ait: " Cum per Asiam sub acutissima „ satellitum custodia ductaretur, singula„ rum nihilominus civitatum quas ingre„ deretur, Ecclesias sermonibus & co„ hortationibus suis confirmans, mone„ bat in primis, ut sibi a pravis hæreti„ corum opinionibus caverent, quæ tunc „ primum in lucem emergere cum cœ„ pissent, copiosius pullulabant, hortatus„ que est ut Apostolorum Traditionibus „ tenaciter inhærerent, &c. „

*Tum* Dionysius lib. de Eccles. Hierarch. cap. 1. ubi sic loquitur: " Necessario pri„ mi illi nostri Sacerdotalis muneris du„ ces, *Apostoli*, cum ex summa supersub„ stantialique deitate ipsi sancti muneris „ plenitudinem percepissent, & idipsum „ deinceps proferre & propagare a divi„ na bonitate missi essent, ipsique poste„ ros ad divina provehere affatim cupe„ rent, visibilibus signis cælestia sacramen„ ta texuerunt, atque in iis quæ nobis „ sunt familiaria, summa illa & supersub„ stantialia, partim scriptis, partim non „ scriptis institutionibus suis, juxta quod „ sacræ definiunt leges nobis tradide„ runt. „

*Papias* B. Joannis auditor suffragatur, qui lib. 4. sui operis, ait: " Non pige„ bit ea quæ quondam a senioribus didi„ ci, ac memoriæ mandavi, cum inter„ pretationibus nostris adscribere, ut ve„ ritas eorum nostra quoque assertione fir„ metur. „ Ecce quomodo Patres Mysteria, tum divinitatis, tum gratiæ Traditione teneri docent.

*Ex* secundo sæculo, instar omnium hujus sæculi Patrum sit Irenæus, qui lib. 3. adversus hæreses cap. 3. recensita duodecim Romanorum Pontificum successione a sancto Petro scilicet ad Eleutherium usque, sic effatur: " Hac ordinatione & succes„ sione, ea quæ est ab Apostolis in Ec„ clesia traditio & veritatis præconizatio „ pervenit usque ad nos, & est plenissima „ hæc ostensio, unam & eamdem vivifi„ catricem fidem esse, quæ in Ecclesia „ ab Apostolis usque nunc sit conservata „ & tradita in veritate. „ Rursus lib. 4. „ cap. 43. eamdem prorsus de Traditione „ propugnat doctrinam: Ergo &c.

*Ex* tertio sæculo, pro eadem veritate nubes testium se prodit. In primis Clemens Alexand. qui in octo hypotyposeon libris qui perierunt, Pantænum suum magistrum nominatim appellavit: " Que„ cumque ille a majoribus accepisset, & „ Traditiones quas posteris reliquisset, „ exponens. „ Apud Eusebium lib. 6. cap. 13. Rursus lib. primo stromatum ait, quædam scripta haberi, quædam vero non scripta, & hæc Traditione: " Arcana, „ *ait*, sicut Deus, verbo credi, non scri„ pto; sed enim traduntur mystice My„ steria, ut sit etiam in ore loquentis id „ quod loquitur, potius autem non in „ voce, sed in intelligentia. „

*Origenes*, suum addit calculum Lib. 5. in epist. ad Romanos: " Ecclesia, *inquit*, „ ab Apostolis Traditionem suscepit, et„ iam parvulis Baptismum dare. „ Rursus præf. in lib. 1. Periarchon. Tum tract. 29. in Matth.

*Ejusdem* est sententiæ Seraphim in libro de Evangelio Petri apud Eusebium, Lib. 6. hist. Eccles. cap. 12. Subscribit S. Cyprianus epist. 63.

*Tertullianus* inter omnes Traditionis est tentacissimus, eamque in multis operibus ex professo defendit, lib. de corona Militis.... Cap. 3. & 4. l. 4. contra Marcionem: cap. 6. in primis vero in toto libro de præscript. cap. 19. ad dignoscendam ex Scripturis veritatem pro regula proponit adversus hæreticos Traditionem, his verbis: " Ergo non ad Scripturas pro„ vocandum est. Nec in his constituen„ dum certamen in quibus aut nulla aut „ incerta victoria est, aut par incertæ. „ Nam & si non ita evaderet collatio „ Scripturarum, ut utramque partem pa„ rem sisterit, ordo rerum desiderabat il„ lud prius proponi quod nunc solum dis„ putandum est: quibus competat fides „ ipsa? Cujus sint Scripturæ? A quo est, „ per quos & quando, quibus sit tradita „ disciplina qua fiunt Christiani? Ubi enim „ apparuerit esse veritatem, & discipli„ næ, & fidei Christianæ, illic erit veritas

Scri-

„ Scripturarum, & expositionum, & omnium Traditionum Christianorum. „ Videas velim, benevole Lector, quomodo Patres pro veritate & Scripturarum, & Mysteriorum, & Religionis astruenda ad Traditionem recurrunt. Ergo &c.

*Ex* quarto sæculo in testimonium venit S. Athanasius, tum & Eusebius Cæsariensis. Prior sic loquitur epistol. ad Afros: " Episcopi, *inquit*, non sibimetipsis „ adinvenientes verba, sed habentes ea a „ Patribus, testimonia conscripserunt. „ Rursus lib. de Synodi Nycænæ decretis idem docet, tum & epistol. de Synodis Arimini & Seleuciæ.

*Posterior* lib. 1. demonst. Evang. cap. 8. sic fatur: " Ejus vero discipuli, *Christi scilicet*, ad Magistri sui nutum, auribus „ multorum doctrinam suam accommo„ dantes, quæcumque quidem veluti ul„ tra habitum progressis, a perfecto i„ psorum magistro præcepta fuerant, ea „ iis qui capere poterant, tradiderunt. „ Idem propugnat lib. 1. contra Marcellum cap. 1.

*Ex* quinto sæculo, quot Patres tot Traditionis Præcones. Agmen ducet S. Basilius, qui lib. de Spiritu sancto capit. 27. Traditionem divinam sic propugnat: " „ Dogmata & instituta, *ait*, quæ in Ec„ clesia prædicantur, quædam habemus e „ Doctrina scripto prodita, quædam rur„ sus ex Apostolorum Traditione &c. „ Eo loci probat & Scriptura & Traditione Spiritus sancti divinitatem. Idem docet cap. 29. & hom. 27. contra Sabellianos, Arium & Anomæos; ac demum epist. 61. ad Occidentales Episcopos. Illi accedit Epiphanius hæres. 75. num. 8.

*Atque* vero S. Hieronymus dialog. adversus Luciferianos capit. 4. ait: " Etiam „ si Scripturæ auctoritas non subesset, „ totius orbis in hanc partem consensus, „ instar præcepti obtineret. Nam & alia „ multa, quæ per Traditionem in Eccle„ siis observantur, auctoritatem sibi scri„ ptæ legis usurpaverunt.

*S. Augustinus* in libris de Baptismo per omnia Traditione debellat Donatistas: hac quippe regula eis ostendit neque veram Ecclesiam esse apud eos, neque veram de Religione fidem. Lib. 2. capit. 7. sic loquitur: " Quam consuetudinem cre„ do ex Apostolica Traditione venientem, „ sicut multa quæ non inveniuntur in „ litteris eorum, neque in Conciliis po„ steriorum: tamen quia per universam „ custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab i„ psis credita & commodata creduntur. „ Rursus lib. 5. capit. 23. " Apostoli autem „ nihil quidem exinde præceperunt, sed „ consuetudo illa quæ opponebatur Cy„ priano, ab eorum Traditione exordium „ sumpsisse credenda est. „

*Concinit* S. Cyrillus Alex. in Apologetico pro 2. capitulis contra Nestorium Anath. 8. " Omnes enim, *inquit*, quibus „ integrum cor est, illorum sententias „ sequi contendunt: quia & impleverint, „ & ex sacris Scripturis sermonem fidei „ recte & citra reprehensionem tractassent, „ mundi fuere luminaria, sermonem vi„ tæ continentes, prout scriptum est. „ Idem propugnat Vincentius Lirinensis in comment. capit. 3. sic de Patribus subsequentium sæculorum.

### *Probatio tertia, ex Conciliis.*

ILLUD pro regula infallibili fidei recipi debet, quo definitiones infallibiles Conciliorum Oecumenicorum innituntur: Sed definitiones hujusmodi Conciliorum ipsa Traditione innituntur: Igitur ipsa Traditio est regula fidei infallibilis; sin minus evacuarentur Conciliorum de fide decreta, ædificium quippe, sublato fundamento, ruit, nec usquam stare potest. Jam probatur minor multis momentis: Primoquidem, ex Concilio Chalcedonensi, ubi fides Petri S. Leoni tradita prædicatur, his verbis Act. 2. *Hæc Patrum fides, Omnes ita credimus: anathema qui ita non credit; Petrus per Leonem locutus est: Apostoli ita docuerunt:* Nec mirum, S. Leo epist. 68. ad Paschasium suum in Concilio Legatum capit. 3. monet eum traditionem Patrum pro definiendo contra Eutychetem duas in Christo naturas tenere. Eam docet Traditionis doctrinam epist. 62. ad Marcianum Augustum.

*Concilium V.* generale anathemate ferit eum qui, *Ex duabus naturis deitatis & humanitatis confitens unitatem factam esse, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam, dicens, non sic ea excipit sicut Patres docuerunt;* Hoc est, tradiderunt. Tum can. 9. anathemate percellit eum, *qui non una ado-*

*adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat*, sicut ab initio Dei *Ecclesiæ traditum est*. Concilium VI. Oecum. action. 10. suum addit calculum in definitione fidei: Item & VII. Generale, his verbis in defin. fid. *Fatemur autem unanimiter nos Ecclesiasticas Traditiones, sive scripto, sive consuetudine valentes & decretas, retinere velle, quarum de numero est imaginum effiguratio*. Non omittendum octavum Oecum. act. 10. can. 1. Demum Tridentinum suo perstringit stylo censorio pessundantes Traditionem, his verbis: *Si quis Traditiones prædictas sciens & prudens contempserit; anathema sit*.

*Quid* plura adjiciam? Concilium Ephes. judicavit a judicio comparativo, hoc est Traditione, doctrinam Nestorii; Chalcedonense, doctrinam Eutychetis; sextum generale, doctrinam Monothelitarum; septimum Oecumenicum, errores Iconomachorum, & illos omnes Ecclesia Traditione innixa declaravit hæreticos; e contra vero de fide definit unionem Verbi cum humanitate esse substantialem, illam absque confusione naturarum factam fuisse, duas esse in Christo operationes, & cultu religioso venerandas esse sanctas imagines. Ergo &c.

*Probatio quarta, ex placitis Ecclesiæ Orientalis eruitur.*

Quod Ecclesia Orientalis ad nostra usque tempora pro regula fidei cum Ecclesia Occidentali habuit; hoc ipsum absque temeritate & errore rejici non potest: Atqui res sic se habet: Ergo &c. Hanc esse Ecclesiæ Occidentalis fidem & sententiam ex Patribus Latinis supra laudatis & perpetuo usu liquet: de Ecclesia Orientali antiqua, non est relictus ambigendi locus, ut supra ostensum est ex Patrum Græcorum cujuscumque sæculi testimonio. Superest igitur probandam esse minorem pro Ecclesia Orientali moderna. Ejus sensus absque negotio agnoscitur ex his omnibus quæ dixit & fecit adversus Cyrillum Lucarem Patriarcham CP. qui anno circiter 1636. confessionem Genevensem non sine magno Apostasiæ scandalo adoptavit, & inter Catholica dogmata etiam Traditionem divinam verbis tametsi subobscuris exsufilavit.

*Simeon Thessalonicensis* tract. adversus hæreses pagin. 37. agnoscit summi Pontificis dignitatem cæteris supereminere. Subdit vero Græcos ab ejus communione ideo divulsos esse, eo quod prædecessorum suorum Traditionem abnegasset. Igitur ille græcus tametsi schismaticus & summi Pontificis calumniator, Traditionem divinam veluti inconcussam fidei regulam habet.

*Jeremias* resp. 1. contra Theologos Vvitembergenses pagin. 132. exquisitis Scripturarum locis demonstrat Traditionem divinam esse tenendam, hæreticos vero non nisi traditiones falsas & Judaicas habere.

*Prima* Synodus adunata sub Cyrillo Beroensi hanc proscribit propositionem pag. 611. *Ecclesiam in hac vita errare posse, & mendacium pro veritate habere .... quia ex iis sequeretur unumquemque de Evangelio quod præ manibus habemus, posse dubitare num a Spiritu sancto promanavit, sicut Ecclesia illud nobis tradidit*. Quibus verbis Traditione innixa de authenticitate Evangelii suum profert Synodus de Evangelio judicium.

*Secunda* Synodus adversus Cyrillum Lucarem congregata sub Paternio Seniore. 2. p. 118. Secundum Cyrilli articulum Traditioni adversantem profligat: *In quo*, inquiunt PP. *Cyrillus suscipiens sanctam Scripturam Patrum Ecclesiæ explicationibus denudatam, flocci facit, quod in Conciliis Oecumenicis, inspirante Deo, conclamatum est, & abjicit Traditiones ab omni antiquitate successione perpetua, in toto universo recepta, sine quibus, inquit Basilius, omnis nostra prædicatio in meris sisteret verbis*.

*Confessio* Orthodoxa contra eumdem Cyrillum facta, hanc Symboli sententiam: *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, auctoritatem Ecclesiæ, sic prædicat & explicat: *Hic articulus nos docet quemlibet Orthodoxum teneri obedire Ecclesiæ, & illi subditum esse juxta Christi doctrinam, qui dixit, si quis Ecclesiam non audit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Ortho. qu. 86. p. 140.

*Meletius* Syrugus ad art. 2. Conf. Cyrilli editione Græca Vulgatæ fol. 4. & sequentibus suo calamo omni argumentorum genere probat adversus illum Apostatam, & necessitatem Traditionis divinæ, & ejus infallibilitatem. Perstringit ibidem Calvinistas eo quod dicant quemlibet suf-

ficienter per Scripturas edoceri a Spiritu sancto: *Patriarchæ*, inquit, *qui ante Scripturam vixerunt, probaverunt a nobis conservandas esse Traditiones non scriptas, ab omni Ævo Ecclesiæ receptas; eo prope modo ac ea quæ in Scriptura edocentur, quia a se invicem Traditione rerum Dei cultum susceperunt, quocirca scriptum est: Interroga Patres & dicent tibi, & alio in loco: quanta audivimus & Patres narraverunt nobis:* Ergo &c.

*His* omnibus accedit definitio Synodi Jerosolymitanę Dositęi pag. 30. damnantis omnes hęreticos, ea potissimum ratione, quod non stent Traditioni pro genuinis Scripturarum investigandis sensibus, sed unusquisque secundum phantasiam Scripturas divinas interpretetur: eo loci maxime perstringit Calvinistas, asseritque ad solam spectare Ecclesiam Traditionibus divinis irrefragabiliter divinos explanare textus.

*Ista* genuina recentiorum Grecorum de Traditione placita ..to calamo exponit Renaudotius tom. 5. Perpetuitatis fidei lib. 7. cap. 2.

*Ex* his sequitur Protestantes esse ab omni & sensu, & ratione, immo & religione alienos, dum divinam explodunt Traditionem, quam vel ipsi Græci, tamet& schismate, & hęresi ab Ecclesia Romana divulsi, tamquam irrefragabilem fidei regulam habent: Ergo &c.

*Quinta probatio, ex rationibus Theologicis.*

PRIMA, sic exponitur. Scriptura sacra, etiam non diffitentibus hæreticis, est regula infallibilis fidei: Igitur & Traditio divina. Probatur consequentia multis momentis. Primo quidem, ideo Scriptura est regula infallibilis fidei, quia est Verbum Dei: Sed pari & consimili ratione Traditio est Verbum Dei, quippe quæ ab ore Christi promanaverit, juxta illud Apostoli, 1. Cor. 11. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis &c.* Secundo, in tantum Scripturę sunt regula fidei, in quantum ex Traditione, tum veteris, tum novi Testamenti declaratę sunt sacrę & genuinę; hinc Traditio divina est ejusdem cum Scriptura auctoritatis. Et vero Apostolis Christus non dictavit Evangelium, sed aliquibus elapsis annis, ut supra notavimus, Apostoli illud, sicut audierant, & Traditione tenebant, sic & scripserunt. Tertio, quod Verbum Dei sit scriptum vel non, est semper Verbum Dei: Sed sicut scriptis, sic & Traditione habemus Verbum Dei: Igitur Traditio eadem auctoritate cum Scriptura potitur, modo sit divina, & uti talis ab Ecclesia declarata; Hoc est definitione data & scripta: namque Traditio, quandoque scriptis, quandoque etiam vivo vocis oraculo per successionem tenetur: Ergo &c. Tertio ipsam traditionem Christus a Deo Patre, Apostoli a Christo, Ecclesię particulares ab Apostolis acceperunt: quocirca ex interrupta successione habemus Traditionem nobis propalare veritates a Deo Patre, & Christo ejus filio revelatas: Ergo &c.

*Tertullianus* lib. de præscript. hoc ex variis rationibus complexum argumentum tradit. pag. 236. edit. Paris. ubi perstringit Hetherodoxos & insectatur, dicendo fidem & veritatem non esse apud eos, cum sint extranei, & nondum veritatem possidere, quippe qui illam quęrant. Pap. 237. ait non esse cum eis contendendum via & medio Scripturarum, quippe cui eas deflorent, & in varios perversosque sensus detorqueant, sed Scripturas explicandas esse per Traditionem, qua manu ducimur, usque ad veritatis originem, nempe Deum: " Omne
" genus, *ait*, ad origenem suam censea-
" tur, necesse est. Itaque tot ac tantę
" Ecclesię, una est illa ab Apostolis pri-
" ma, ex qua omnes. Sic omnes primę,
" & omnes Apostolicę, dum una omnes
" probant unitatem: dum est illis com-
" municatio pacis, & appellatio frater-
" nitatis, & contestatio hospitalitatis,
" quæ jura non alia ratio regit, quam
" ejusdem sacramenti una Traditio. Hinc
" igitur dirigimus præscriptionem: Si
" Dominus Jesus Christus Apostolos misit
" ad prædicandum, alios non esse recipien-
" dos prædicatores, quam quos Christus
" instituit; quia nec alius patrem novit nisi
" filius, & cui filius revelavit, nec aliis vi-
" detur revelasse filius, quam Apostolis quos
" misit ad prædicandum, utique quod illis
" revelavit: Quid autem prædicarint, id
" est, quid illis Christus revelaverit, hi præ-

„ scribam non aliter probari debere, nisi „ per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, „ tam viva, quod ajunt, voce, quam per „ epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ „ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; id sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, „ Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorum, & Christi, & Dei. „

*Secunda:* Quod successione irrefragabili firmatur, illud profecto est regula infallibilis fidei, hac quippe successione unitas veritatis a Christi ore emanata servatur: Atqui Traditio de qua est caput controversiæ, tali firmatur successione: & prob. Petrus & cæteri Apostoli veritatem religionis a Christo loquente didicerunt: Clemens a Petro accepit: Victor a Clemente: Stephanus, a Victore; Melchiades a Stephano; & sic per singula discurrendo sæcula.

*Hæc* ratio est Tertulliani ibidem pagin. 243. his verbis: " Cæterum si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, „ ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origenes Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem „ Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen „ cum Apostolis perseveraverit, habuerit „ & auctorem & antecessorem. Hoc „ enim modo Ecclesię Apostolicę sensus „ suos referunt: sicut Smyrneorum Ecclesia habens Polycarpum ab Joanne collocatum refert; sicut Romanorum, „ Clementem a Petro ordinatum edit. „ Perinde utique & ceterę exhibent, „ quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid heretici. „

*Tertia:* Non sine Dei speciali assistentia unitas & fidei & veritatis in Ecclesiis particularibus servari potest; quocirca vinculum talis unitatis est a Deo inspirante & gubernante Ecclesiam: Sed tale vinculum est Traditio divina; si enim quæratur veritas apud Ephesios, Corinthios, Thessalonicenses, Collosenses, Galatas, Titum, Timotheum, Philemonem, & Hebræos, immo & Romanos, a Paulo per Christum, & etiam Paulus per Petrum, quem adiit, ut in fide firmaretur, promanavit; Traditio est regula inconcussa fidei, namque Ecclesias particulares in unitate dogmatum convenientes erasse, neque probabile, neque ipsi rationi consentaneum est.

*Quarta:* Præscriptio habet vim tituli, ut habetur in corpore juris, & ita censuit ipse Justinianus: Sed quod majus est, sic censet Tertullianus in toto præscriptionis libro: sic Sanctus Thomas, sic Alensis, sic S. Bonavent. sic Concil. Lateranens. IV. Sed Traditio divina præscribit, teste Tertull. adversus hæreticos, & probatur. Sicut nova excogitant Heterodoxi, ita & nova docent; Ecclesia vero soli inhæret veritati traditæ a Christo, tum & ab Apostolis, qui in omnem terram missi sunt, ut docerent Gentes, & particulares Ecclesias: porro teste iterum Tertull. veritas est mendacio antiquior, & omne novum falsitatem sapit: Ergo &c.

*Quinta:* Ista regula est infallibilis, qua omnes fidei controversiæ solutæ sunt, & adversus quam Ecclesiæ hostes infensissimi recrudescere non ausi sunt: Atqui Traditione divina omnes fidei controversiæ ad metam pervenerunt, & rebellantes ut plurimum contradicere erubuerunt: Ergo &c. Probatur minor quoad utramque partem. Primoquidem, controversia de festo Paschatis die Dominica post equinoctium vernum celebrando, de Baptismo verbis Evangelicis ab hæreticis collato suscipiendo, sicut & sequentium sęculorum controversiæ Traditione divina finitæ sunt; namque Stephanus I. nihil aliud adversus tria Concilia Cypriani, & duo Firmiliani, quibus Baptisma ab hæreticis collatum abjiciebant, opposuit, preter istam sententiam: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*. Quam quidem definitionem, Ecclesiæ omnes particulares, & totus orbis, veluti a Spiritu sancto dictatam susceperunt. Secunda pars probatur. Nec ipse Arius, & sui in variis proscripti Conciliis,

liis, nec Nestoriani damnati in Ephesino, nec Eutichiani, Monothelitæ & Iconomachi, nec ipse Photius, tametsi Romanæ Ecclesiæ hostis adapertus, quidquam adversus Traditionem obmurmurare ausi sunt; sed ad unum confugerunt, Ecclesiam Latinam divinæ non adhærere Traditioni, quod certe falsissimum erat, debacchati sunt. Quid plura, vel ipsi Græci schismatici, ut refert Renaudotius supra laudatus, dum inter se dividuntur opinionibus, unus alterum propellere conatur, asserendo adversarium non stare Traditioni: Ergo &c.

*Sexta*: Ultro conveniunt Protestantes vinum fuisse in Calice, quem Christus potandum dedit discipulis sacram instituendo Eucharistiam: Atqui tamen hoc solum Traditione tenetur, cum non sit in Scriptura nisi illative vinum fuisse in Calice: Ergo &c.

*Ista* ratio colligitur ex Concilio Tridentino sess. 4. ibi enim explicans Traditionem dicit: *Omnem veritatem fidei & morum disciplina, contineri in Libris scriptis, & sine scripto, Traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt; seque Orthodoxorum Patrum exempla secutum, omnes libros tam veteris, quam novi Testamenti cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu ac reverentia suscipere ac venerari*. Audis Concilium Traditionem cum Scriptura conjungere, & illius auctoritatem ab ista indivulsam asserere.

*Solvuntur objectiones Heterodoxorum, ex Scriptura deprompta.*

Obiiciunt: Scriptum est Matth. 7. 7. *Quærite & invenietis*: Igitur non standum est Traditioni, sed unusquisque quid credendum, quidve agendum in Scripturis investigare debet; hinc Christus aicbat Judæis. Joan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas*.

*Respondeo* distinguendo: Et hoc dictum est pro Judæis & Catechumenis, concedo: pro iis qui fidem receperant, nego. Omnia, teste Apostolo, in figuris contingebant in veteri Testamento; quocirca quid lex & Prophetæ de Christo dicerent, quærere debebant, cum nondum Christus ut Messias agnitus esset: Idem dicendum de Catechumenis & infidelibus qui nihil de Christo audierant: addo eos per Scripturas Traditione explicatas debere Christum quærere.

*Solutio* est Tertulliani lib. de præscriptione cap. 8. pag. 233. ubi sic respondet ad argumentum: " Nobis curiositate opus „ non est post Christum Jesum, nec in„ quisitione post Evangelium. Cum credi„ mus, nihil desideramus ultra credere. „ Eo loci pro fidelibus loquitur: deinde pergit ut respondeat pro Judæis & infidelibus: " Venio itaque ad illum articulum „ quem & nostri prætendunt ad ineun„ dam curiositatem, & hæretici inculcant „ ad importandam scrupulositatem. Scri„ ptum est, inquiunt: Quærite & inve„ nietis. Quando hanc vocem Dominus „ emisit, recordemur. Puto in primitiis „ ipsis doctrinæ suæ cum adhuc dubita„ retur apud omnes, an Christus esset. „ Et cum adhuc nec Petrus illum Dei „ filium pronuntiasset: cum etiam Joan„ nes de illo certus esse desisset. Merito „ ergo tunc dictum est: Quærite & in„ venietis, quando quærendus adhuc erat, „ qui adhuc agnitus non erat: & hoc „ quantum ad Judæos. Ad illos enim per„ tinet totus sermo suggillationis istius, „ qui habebant ubi quærerent Christum. „ Habent, inquit, Moysen & Eliam, id „ est legem & Prophetas Christum præ„ dicantes: Secundum quod & alibi aper„ te: Scrutamini, inquit, Scripturas, in „ quibus salutem speratis. Illæ enim de „ me loquuntur; hoc erit, quærite & in„ venietis. Nam & sequentia in Judæos „ competere manifestum est, Pulsate & „ aperietur vobis.... „

*Instans*: Traditio ab Apostolis deducitur: Sed ista non est infallibilis: Et probatur. Cuncta non cognoscebant, utpote puri homines: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem. Ad probationem distinguo: Ante adventum Spiritus sancti Apostoli cuncta non cognoscebant, vel si cognoscerent ex parte oblivi-

scebantur, vel etiam non capiebant, propter quod non semel eos in Evangelio increpat Christus, concedo: post adventum Spiritus sancti, nego. Eos quippe omnem docuit veritatem: hinc non a se ipsis; sed pro ut & a Christo, & Spiritu sancto acceperant, loquebantur.

*Sic* respondet Tertullianus ibidem pag. 232. cap. 6. " Nobis vero nihil ex nostro „ arbitrio inducere licet, sed nec eligere „ quod aliquis de arbitrio suo induxe- „ rit. Apostolos Domini habemus aucto- „ res, qui nec ipsi quicquam & suo ar- „ bitrio, quod inducerent, elegerunt; „ sed acceptam a Christo disciplinam fi- „ deliter Nationibus adsignaverunt. „ Tum cap. 21. pag. 238. " Multa habeo „ adhuc vobis loqui, *inquiebat Christus* „ *Apostolis*, sed non potestis modo ea sus- „ tinere, tamen adjiciens; cum venerit „ ille Spiritus veritatis, ipse vos deducet „ in omnem veritatem: ostendit illos „ nihil ignorasse; quos omnem veritatem „ consecuturos per Spiritum veritatis re- „ promiserat; & utique implevit repro- „ missum, probantibus Actis Apostolo- „ rum descensum Spiritus sancti. „

*Urgent*: Atqui Apostoli etiam post descensum Spiritus sancti multa ignorabant: Ergo &c. Probatur subsumptum. Petrus reprehensus est a Paulo: Ergo &c.

*Respondeo* I. negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Petrus reprehensus est a Paulo eo quod quædam igoorarct Mysteria, nego. Reprehensus est œconomiæ causa, & propter aliquod disciplinæ punctum, subdistinguo: per modum repræsentationis, quatenus cum Gentilibus ad fidem conversis edebat, tum ab eis se propter Judæos legis adhuc æmulatores, separari simulabat, concedo: auctoritative, nego.

*Sic* solvit Tertullianus argumentum Heterodoxorum pag. 239. his verbis: " Cæ- „ terum si reprehensus est Petrus, quod „ cum convixisset Ethnicis, postea se a „ convictu eorum separabat personarum „ respectu: utique conversationis fuit vi- „ tium, non prædicationis: Non enim „ ex hoc alius Deus, quam Creator, & „ alius Christus, quam ex Maria, & „ alia spes, quam resurrectio annuntiaba- „ tur. Non mihi tam bene est, immo non „ mihi tam male est, ut Apostolos commit- „ tam. Sed quooiam perversissimi isti il- „ lam reprehensionem ad hoc obtendunt, „ ut suspectam faciant doctrinam superio- „ rem, respondebo quasi pro Petro: i- „ psum Paulum dixisse, factum se esse om- „ nibus omnia, Judæis Judæum, non Ju- „ dæis non Judæum, ut omnes lucriface- „ ret; Adeo pro temporibus & personis „ & causis quędam reprehendebant, in „ quę & ipsi æque pro temporibus & „ personis, & causis committebant. quem- „ admodum si & Petrus reprehenderet „ Paulum, quod prohibens circumci- „ sionem, circumciderit ipse Timo- theum. „

*Respondeo* II. argumentum nihil probare, quandoquidem, non Petrus, sed Cephas unus ex 70. discipulis a Paulo reprehensus est.

*Persistunt*: Esto quod Apostoli cuncta noverint post Spiritus sancti super eos descensum, non tamen cuncta manifestaverunt, juxta illud Apostoli 1. Tim. 6. 20. *O Timothee, depositum custodi*. Et rursum: *Bonum depositum serva*: Ergo &c.

*Respondeo* negando Antecedens: ideo enim, ut habetur in Evangelio, a Christo edocti sunt Apostoli ut omnes docerent populos, juxta illud Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes*. Ad probationem distinguo: Et eo loci unum tantummodo inculcat Apostolus Timotheo, ut nullam aliam prꝑter Evangelii doctrinam doceat, concedo: & prohibet mysteria ad fidem necessaria revelari & manifestari, nego. Hanc hæreticorum objectionem sibi proponit Tertullianus ibidem cap. 25. pag. 240. & solvit his verbis: " Porro con- „ sequens erat, ut cui demandabat E- „ vangelii administrationem, non pas- „ sim nec inconsiderate administran- „ dam adjiceret, secundum dominicam „ vocem, ne margaritam porcis, & san- „ ctum canibus jactaret. Dominus palam „ edixit, sine ulla significatione alicujus „ taciti Sacramenti. Ipse præceperat si „ quid in tenebris & in absconditο au- „ dissent, in luce & in tectis prædica- „ rent. „ Igitur ex Tertulliano Apostoli omnia docuere quæ ad fidem & salutem spectant.

*Obstrepunt*: Christus & Apostoli sæpius rejiciunt Traditionem: Ergo &c. Probatur Antecedens. Matth. 15. habetur:

*Irri-*

*Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram*. Item ad Galatas primo: *Æmulator existens paternarum mearum traditionum*. Quibus verbis Apostolus se accusat quod zelo abreptus per fas & nefas Traditionem tenuisset: Tum Colos. 2. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundum Traditionem hominum*. Denique 1. Petri 1. 18. *Redempti estis de vana vestra conversatione paternæ Traditionis vestræ*. Igitur Scriptura sufficit, & de facto Patres permittunt cuilibet, saltem docto, illam explicare & applicare.

*Respondeo* distinguendo: Et in his omnibus reprehenduntur solum falsæ Judæorum Traditiones Scripturæ contrariæ, quæque initium habuerunt a Rabbinis, & Sammæi Chillel, Achiba & quibusdam aliis, qui paulo ante Christi nativitatem, legem non tam exposuere, quam corrupere, concedo: Ita censet Hieronymus in cap. 8. Isaiæ, & in capit. 3. Epistolæ ad Titum. Reprehenduntur Traditiones divinæ, nego. Immo ita erant necessariæ, ut sine eis germanus Scripturarum sensus vix posset haberi. Ad confirmationem distinguo: Patres permittunt doctoribus pie explicare Scripturas, ut faciunt Theologi interpretes, concedo: auctoritative, nego. Hoc solum pertinet ad Ecclesiam & SS. Patres. Cæterum cum legitur Deut. 4. *Non addetis ad Verbum quod vobis loquor*; significatur solum nihil substantiale addendum esse verbo Dei: Porro Traditio nihil ipsi addit, sed potius prodit & explicat.

### *Diluuntur objecta, ex SS. Patribus excerpta.*

OPPONUNT I. Cyprianum, qui Epistol. ad Pompejum dicit credendum esse soli Scripturæ: Sed ibi loquitur de dogmate fidei, scilicet de Baptismo ab hæreticis verbis Evangelicis collato, quem rejiciebat: Ergo &c. Confirmatur. Eo loci loquitur per oppositum sensum Stephano qui sola innixus Traditione Baptismum illum recipiebat, ut habetur in suo rescripto ad Cyprianum, his verbis: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*. Sed hanc Traditionem divinam rejecit Cyprianus cum tribus Conciliis suis Carthagine habitis, sicut & ante Agrippinus in duobus ibidem celebratis, etiam in duobus aliis Iconii & Lystris a Firmiliano Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, & Cypriano coævo adunatis. Ergo &c.

*Respondeo* I. Cyprianum hæc scripsisse errore in hoc deceptum, sicut & Firmilianum, unde omnes cum suis Conciliis Provincialibus rejecit Stephanus solis his verbis: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*. Et prævaluit oraculum summi Pontificis, quod ab universali Ecclesia susceptum est, cui etiam suum addidit calculum Synodus prima Nicæna. Cæterum tempore Cypriani & Firmiliani quæstio erat solum de disciplina: cum enim Ecclesia circa hoc nihil adhuc definivisset, quælibet Ecclesia particularis suo utens jure, vel recipiebat baptizatos ab hæreticis verbis Evangelicis, vel rejiciebat; sed ut primum Cyprianus & Firmilianus ita rejicerent, ut crederent Baptismum ab hæreticis collatum esse nullum, tum S. Stephanus ex Traditione Baptismum illum esse bonum declaravit, & ab hac definitione quæstio non meræ disciplinæ, sed fidei dogma evasit.

*Respondeo* II. S. Augustinum prædictam Lib. 5. contra Donatistas cap. 23. Epistolam Cypriani ex professo, tamquam in hoc abjiciendam refellere.

*Respondeo* III. distinguendo: Et ibi S. Cyprianus rejicit solum Traditionem quam putabat mere Ecclesiasticam, concedo: quam divinam esse autumabat, nego. Sic enim se explicat Epist. 74. ad Pompejum, ubi loquens de Traditione a Stephano citata, ait: " Unde est illa Traditio? " ea „ facienda esse quæ scripta sunt. „ Tum subdit: " Si ad divinæ Traditionis caput „ & originem revertamur, cessat error „ humanus. „

*Instant*: Irenæus lib. 3. adversus hæreses cap. 1. ait: " Non enim per alios dispo- „ sitionem salutis nostræ cognovimus, „ quam per quos Evangelium pervenit ad „ nos. „ Tum cap. 3. reprehendit hæreticos quod ad Traditionem semper provocarent: Igitur ad Traditionem non est recurrendum.

*Respondeo* distinguendo consequens: Ad Traditionem falsam, non recurrendum est, concedo: ad divinam, subdistinguo:

pro iis clare in Scriptura explicatis, concedo: pro aliis non satis explicatis, nego. Quando igitur SS. Patres dicunt Scripturam sufficere, vel nomine Scripturæ intelligunt Verbum Dei scriptum, & non scriptum; vel ea intelligunt & quæ sunt in Scriptura, & quæ præcipit tenenda, ut Traditiones; vel etiam dicendum quod tunc agant contra Traditiones inanes, sicut Irenæus agens contra hæreticos qui nova condebant Evangelia,& falsas inducebant Traditiones; vel denique quia fortassis agunt contra hæreticos, ad quos refellendos sæpissime sufficit Scriptura.

*Jam* ullo absque negotio solvuntur argumenta quæ Heterodoxi ex Patrum auctoritate adversus Traditionem congerunt: cum enim sancti Doctores Traditioni adversari videntur, eam solum explodunt, quæ est mere humana, & ut plurimum ad falsitatem inducens, vel etiam quæ est de facto falsa, aut inutilis.

*Quando* igitur Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 22. dicit timendum esse quum aliquid non est scriptum, hoc unum intendit contra adversarium, videlicet sufficienter patere ex illa Geneseos sententia: *In principio creavit Deus cælum & terram;* materiam non esse æternam, ut contendebat Hermogenes, & pro isto momento non esse hominum Traditionibus adhærendum, sed potius Scripturæ. In eodem prorsus sensu loquitur lib. de carne Christi adversus Marcionem dicens: " Non recipio quod extra Scri„ pturam de tuo infers. „

*Non* absimili modo solvuntur objecta deducta ex auctoritate Origenis dicentis, Scripturam sufficere; loquitur enim de his quæ ita sunt clara, ut nullus relinquatur ambigendi locus.

*Cum* igitur S. Athanasius libr. contra gentes sive contra idola ad Macarium probat, idola non esse deos, & dicit soli Scripturæ esse adhærendum pro ista veritate probanda, vult tantum vana hominum commenta abjicere; namque ipsa idola juri naturæ adversantur, & Scripturæ sacræ rationes plusquam sufficiunt ad inanem idolorum cultum perstringendum. Nonnumquam etiam S. Doctor eamdem Scripturam sufficere ostendit ad probandam Verbi divinitatem, quippe quæ clarissime in divinis exprimatur Scripturis: hinc ista objectio ejusdem Patris solvitur cum epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ, ubi pag. 673. de Arianis, sic loquitur: " Frustra igitur circumcursitan„ tes, prætexunt ob fidem Synodos sese „ postulare, cum sit divina Scriptura om„ nibus potentior. „ Synodis Provincialibus ubi prævalebant Ariani contra quos scribit, potentior sane, non per exclusionem Traditionis, sed potius Traditione explicata.

*Eadem* methodo, eademque ratione respondemus ad loca S. Basilii in quibus asserit Scripturam divinam sufficere, ita ut magnum sit infidelitatis argumentum ad alia capita provocare: sic enim loquitur in asceticis capit. 2. de vera & pia fide: " Manifestissimum hoc infidelitatis argu„ mentum fuerit, & signum superbiæ „ certissimum, si quis eorum quæ scripta „ sunt aliquid velit rejicere, aut eorum „ quæ non scripta introducere. „ Eo loci traditiones falsas rejicit. Cæterum opus de asceticis est dubii auctoris, nec satis constat esse Basilii.

*Chrysostomus* hom. 13. in 2. ad Corinthios dicit Scripturam esse exactam rerum omnium lancem ac normam. Rursus homil. 49. in Matth. ait: " Neque refugium po„ test esse Christianorum aliud, volen„ tium cognoscere fidei veritatem, nisi „ Scripturæ divinæ. „ Quibus verbis S. ille Doctor videtur innuere, nihil pro Mysteriis absque Scriptura, aut definiendum, aut determinandum, aut etiam credendum, cum res in eadem continentur Scriptura: Sed profecto pro multis aliis non scriptis, ut de formis Sacramentorum, si formas Baptismi & Eucharistiæ excipiamus, ad Traditionem recurrendum est.

*Instant*: Theophilus Alexand. epistol. 2. Paschali, ait: " Diabolici spiritus est, „ aliquid extra Scripturarum auctorita„ tem putare divinum. „ Item Hieronymus in capit. 1. Aggæi sic loquitur: " „ Sed & alia quæ absque auctoritate, & „ testimoniis Scripturarum quasi Traditio„ ne apostolica sponte reperiunt, atque „ confingunt, percutit gladius Dei. „ Ergo &c.

*Respondeo.* ad Theophilum distinguendo: Diabolici spiritus est aliquid apocryphum quærere, concedo: aliquid Traditione

firma-

firmatum, nego. Loquitur in primo sensu Theophilus: ille enim agit contra commenta Origenis: sic enim epistolam suam concludit: " Abjectis itaque Origenis malis & Scripturarum, quæ vocantur apocrypha, id est, abscondita, discipulis prætermissis, iterum atque iterum Dominicæ passionis festa celebremus. "

*Ad* auctoritatem S. Hieronymi distinguo: Et ibi S. Doctor rejicit Traditiones falsas quas hæretici ut apostolicas ventilabant, concedo: Traditiones divinas, nego. Hoc ipsum patet ex verbis Hieronymi.

*Reponunt*: S. Augustinus lib. de Doctrina Christiana cap. 9. ait: " In iis quæ aperte in Scriptura posita sont, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moresque vivendi. " Ibidem de iis quæ obscura sunt, sic loquitur: " Tum vero facta quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum, in ea quæ obscura sunt aperienda, & discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas, de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant. " Rursus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 36. " Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio. " Quibus sententiis sanctus Præsul divinam Scripturam pro sola fidei Regula admittere videtur.

*Respondeo* I. opponendo Augustinum Augustino, cujus testimonia in probationibus allata sunt: unde ad primam auctoritatem sic distinguo: Et loquitur S. Augustinus de iis quæ ita clara sunt in Scriptura, ut vel ipsi termini veritatem explicent & demonstrent, concedo: secus, nego. Non injucundum erit unum ex multis locis S. Doctoris hic texere. Sic loquitur lib. 5. de Bapt. cap. 23. & 24. " Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cum parvuli infantes baptizantur... nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari.

*Ad* secundam distinguo: Quandoque quod obscurum est in uno loco, non est in altero, concedo: secus, nego. Si vero contingat, rem ubique obscuram reperiri, tunc non ad Traditionem humanam, sed divinam ad investigandum Scripturæ verum sensum recurrendum est. Hoc unum intendit S. Præsul, eo quippe loci assignat regulas quibus sacræ Scripturæ ad metam fidei explicentur. Quocirca locus S. Doctoris juxta distributionem accommodam intelligendus est.

*Ad* tertiam etiam distinguo: Cum aliquid non est in Scriptura, non recurrendum est ad Traditiones humanas, concedo: ad divinas, nego. Et hoc ipsum est ad divinam recurrere Scripturam; quæ Traditionem divinam tenere præcipit: Augustinus loquitur solum de aliis Traditionibus.

*Fit satis objectionibus, ex ratione prodeuntibus.*

OPPONUNT: Traditio nihil certi continet: Igitur non est inter fidei regulas reponenda. Probatur Ant. Si de veteri Testamento loquamur, Traditiones admodum incertæ & dubiæ erant, quandoquidem non una erat Doctorum sententia circa ipsam Scripturæ interpretationem: neque vero Judæi ut plurimum suæ stabant Religioni: si de Novo agamus, res prorsus incerta apparet, namque diversa fuerunt pro diversis temporibus, & Patrum, & etiam Conciliorum placita, quod quidem multiplici comprobatur exemplo. I. Victor I. voluit festum Paschatis celebrari Dominica immediate sequente æquinoctium vernum; e contra vero Asiatici Præsules, qui duces habebant S. Polycarpum & Polycratem, luna 14. mensis Martii quacumque die occurreret, Festum celebrari debere contendebant. II. Magna quoque orta est controversia inter S. Stephanum, & SS. Cyprianum & Firmilianum de Baptismo ab hæreticis collato verbis Evangelicis, Stephano illum recipiente, cæteris vero illum ipsum rejicientibus. III. Concilium Ariminense formulæ subscripsit Arianæ, immo quidam PP. primorum sæculorum perillustres in errorem Millenariorum impegerunt. Quid plura? Concilium Antiochen. I. a Verbo consubstantialitatis, sanctus vero Basilius a Verbo divinitatis, saltem ad tempus pro Spiritu sancto abstinuerunt, neque tamen propter hoc PP. Concilii & ipse Basil. reprehensi sunt: Ergo &c.

*Respondeo* I. Traditiones mere humanas, immo & Ecclesiasticas quæ spectant disciplinam; non esse fidei regulas.

*Respondeo* II. Traditionem divinam multiplici inniti fundamento, universali scilicet Ecclesiæ consensu; deinde explicatione data, vel per Prophetas & SS. Doctores; & hoc pro veteri Testamento: in novo vero decretis summorum Pontificum, definitione Conciliorum, & communi Patrum sententia: his signis hisque characteribus vera dignoscitur Traditio. Quibus prælibatis,

*Respondeo* negando Antecedens primi & secundi argumenti. Ad primum exemplum, dico, Traditionem divinam in veteri Testamento habitam fuisse ex consensu Synagogæ, & ex Prophetarum ore, quocirca, si quid aut variationis, aut difficultatis in sacras emerserit Scripturas, leviores fuere in interpretatione immutationes: si vero graviores, tamquam Traditiones humanæ erroribus obnoxiæ propulsæ sunt; hinc ipse Christus non semel Scribas & Pharisæos arguit, quod Traditionibus humanis magis adhærerent, quam ipsis Dei mandatis.

*Ad* alia exempla pro novo Testam. proposita, facilis est responsio: tametsi enim quidam Patres & aliqua Concilia in errorem impegerint, hoc ipsum neque ab Ecclesia, neque a summis Pont. ex Cathedra loquentibus, neque etiam a Conciliis Oecumenicis approbatis usquam receptum est: non enim constabat talia placita divina inniti Traditione.

*Verum* ad singularia descendere juvat. Quæstio de celebrando S. Paschatis festo, sicut & punctum de rebaptizandis baptizatis ab hæreticis, solam spectabant disciplinam, quæ quidem non una erat in diversis Ecclesiis: quia tamen decursu temporum Asiatici, Judaismum restituere conabantur, rebaptizantes vero de necessitate salutis esse baptizatos ab hæreticis rebaptizandos autumarent, Romani Pontificis sententia pro utroque momento prævaluit, & accedente consensu Ecclesiæ, utrumque controversiæ caput de fide eatenus evasit, videlicet non esse judaizandum, & Baptisma verbis Evangelicis datum, ad salutem sufficere.

*Ad* tertium & quartum exemplum, dico, Patres Antiochenos, & S. Basilium, œconomiæ causa sic fuisse locutos, nimirum ut Macedonianos ad meliorem perducerent frugem, sed nusquam Spiritui sancto abnegasse divinitatem, cum potius illam passim asserant. Cæterum Patres Ariminenses incaute subscripserunt formulæ Arianæ; sed Ecclesia eorum non adhæsit errori.

*Replicant*: Traditiones nonnumquam in errorem induxerunt etiam fideles & Christianos: Igitur pro regula fidei nusquam habendæ fuit. Probatur Ant. Non pauci Patres falsa innixi Traditione adhæserunt Papiæ, qui cap. 18. Apocalyps. in pravum deducens sensum, erroris regni mille annorum cum Agno ante introitum in regnum cœlorum, auctor fuit. II. Basilides ad suum confirmandum errorem quo Christum purum hominem proclamabat, dicebat hoc ipsum a Petro didicisse per Glauciam S. Petri interpretem: Valentinus quoque asserebat se fuisse auditorem Theodadi S. Pauli familiaris, a quo multos didicerat errores, quos veluti tot fidei articulos non sine animarum pernicie disseminabat. III. Vel ipse Irenæus lib. 2. cap. 39. & 40. falsa Traditione innixus docet Christum mortuum fuisse anno suæ ætatis 50. & hoc contra Tertullianum, qui lib. contra Judeos cap. 4. & Clementem Alexand. qui lib. 1. Stromatum tenent mortuum fuisse suæ ætatis anno 30. & tamen communis sententia est mortuum fuisse anno 36. & secundum alios 33. Ergo &c.

*Respondeo* I. solutionem patere ex dictis; namque ut Traditio evadat certa fidei Regula debet accedere universalis Ecclesiæ consensus, quo quidem excluso, omnis Traditio mere humana censetur, adeoque & fallibilis & incerta: Igitur non est credendum Patribus qui errore detenti adhæserunt Papiæ; nusquam enim Ecclesia suum addidit calculum millenariorum errori; a fortiori non est credendum hæreticis, qui ut fucum faciant legentibus, Traditionem quandoque sequi incassum gloriantur, quippequi omnem fallibilem esse autument; nunc vero Protestantes illam prorsus abjiciunt, ne ea superati, errores abnegare teneantur.

*Respondeo* II. in forma, & distinguendo: Traditiones humanæ nonnumquam in errorem inducunt, concedo: divinæ, nego.

nego. Ut primum enim universalis Ecclesiæ accedit consensus, jam Traditio Spiritum sanctum habet auctorem, adeoque est infallibilis.

*Urgent*: Impossibile est servare Traditiones etiam in fidei Dogmatibus: Ergo &c. Probatur Ant. Non una est Patrum sententia circa talia momenta; quorum istud accipe exemplum: Patres Latini & Græci non eodem modo loquuntur de processione Spiritus sancti: Græci quippe contendunt Spiritum sanctum a Patre per Filium procedere, Latini vero asserunt procedere a Patre & Filio. Ergo &c.

*Respondeo* negando Antecedens. Ad probationem distinguo: Et in dubiis Ecclesia in Conciliis Oecumenicis adunata declarat quid sit de fide & Traditione divina tenendum, concedo: & non declarat, nego. Tribus primis sæculis summi Pontifices ex Cathedra loquentes adversus Ebionitas, Valentinianos & Sabellianos declararunt contra priores Christum esse Deum, adversus posteriores tres esse in sanctissima Trinitate personas; quando vero opportunum fuit tempus, alia dubia circa fidei dogmata Ecclesia definiit: sic Concilium Constantinopolit. adversus Macedonianos Traditione innixum declaravit Spiritum sanctum esse Deum: sexta Synodus Generalis contra Monothelitas pronuntiavit duas esse in Christo operationes: Florentinum dixit regnum Millenariorum esse fictitium: unde ad exemplum in objectione allatum distinguo: Et Patres, tum Græci, tum Latini idem in substantia dicunt, concedo: & fidei contraria atque adversa docent, nego. Idem quippe in re est Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium, ac procedere a Filio; unde diversitas pene terminos, & locutionis est.

*Persistunt*: Si Traditio foret infallibilis fidei regula, quod nunc est de fide, ab omni ævo fuisset semper de fide: Atqui res non sic se habet: Et probatur. Tempore Victoris primi, festum Paschatis Dominica immediate sequente æquinoctium vernum celebrandum, erat tantummodo de disciplina, sicut & tempore Stephani primi non rebaptizare eos qui fuerant verbis Evangelicis ab hæreticis tincti; nunc vero utraque quæstio evasit de fide, Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Quod nunc est de fide, ab omni ævo fuit de fide quoad substantiam, concedo: quoad credendi obligationem, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam: In genere quidem credere debemus ea quæ Christus dixit sive scripta sint, sive non sint; in particulari vero non nisi accedente Ecclesiæ propositione & determinatione. Ecclesia igitur suis definitionibus non facit aliquid de fide, sed tantummodo declarat esse de fide, qua posita definitione, omnes tenentur credere in particulari quidquid Ecclesia credendum proponit. Dictum est supra quæstionem de celebrando Paschate die Dominica immediate sequente æquinoctium verum, & de non rebaptizandis ab hæreticis tinctis juxta Ecclesiæ ritum evasisse quæstiones de fide quoad aliquid, in eo scilicet sensu quod nullus teneatur observare legalia, & quod salute non cadat si ab hæreticis verbis Evangelicis cum intentione faciendi quod facit Ecclesia baptizetur.

*Persistunt*: Traditio est quid humanum, habetur enim ab hominibus: Igitur non est regula infallibilis fidei. Confirmatur: Divus Thomas 1. p. q. 1. art. 8. ad 2. dicit solum ex Scriptura sacra argumentum ex necessitate concludere; & nonnisi probabiliter illud quod ex auctoritate Doctorum & Patrum eruitur: " Sacra doctri-
" na, *inquit*, utitur auctoritate canonicæ
" Scripturæ proprie ex necessitate argu-
" mentando: auctoritatibus vero alio-
" rum Doctorum Ecclesiæ, quasi argu-
" mentando ex propriis, sed probabili-
" ter. "

*Respondeo* distinguendo: Traditio quoad propositionem credendorum est quid humanum & simul inspiratum, concedo: mere humanum, nego. Ut primum enim Traditioni accedit consensus universalis Ecclesiæ, jam censetur fidei regula infallibilis, cum Ecclesia in rebus dogmaticis, quæ spectant fidem & religionem, non possit errare.

Est aliquid in Traditione humanum, & simul aliquid etiam divinum: humanum quidem quatenus veritas a Christo prolata Apostolis, ipsorum Apostolorum ore per discipulos ad nos usque transmissa fuit: divinum vero quoad sensum, namque complectitur veritates ab ipso Chri-

sti

sti ore promanatas. Ad S. Thomam dico sanctum Doctorem eo loci non excludere verbum Dei non scriptum, ita ut Scriptura in Traditione non fundetur, quocirca veritas in Traditione fundata utique in ipsa Scriptura fundatur, non quidem immediate cum sit verbum non scriptum, sed mediate, quatenus ex Scripturis Traditio est regula infallibilis fidei.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Traditio est regula infallibilis fidei.*

PRIMO: Hoc constat ex Scriptura sacra, 1. Cor. 11. 2. Thess. 2. & 3. In isto cap. sic loquitur Apostolus: *Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate; & non secundum Traditionem, quam acceperunt a nobis.*

*Secundo*: Sic docent Patres, in primis Irenæus lib. 3. adversus hær. cap. 3. Tertullianus toto libro de præscript. maxime cap. 17. Augustinus in libris de Baptismo, Eusebius lib. 1. demonst. Evang. cap. 8. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. his accedunt Concilia, quartum scilicet, quintum, sextum, septimum & octavum generale, ac demum Tridentinum, sess. 4. dicens: *Omnem veritatem Fidei & morum disciplina, contineri in Libris scriptis, & sine scripto Traditionibus.*

*Tertio*: Scripturæ sacræ canonicæ uti tales a Traditione habentur: Igitur sicut Scriptura est regula infallibilis fidei, ita & Traditio.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

## ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Scriptura præcipit quidem, ne aliquis quidquam ipsi addere audeat: Sed intelligas velim, quid substantiale; tunc enim haberet quid assutum, & extraneum, quod non esset verbum Dei.

*Secundo*: Patres asserunt Scripturam ad salutem sufficere, sed modo vel ipsa Traditione firmetur & explicetur.

*Tertio*: Neque vero negamus Patres non semel abiicere Traditiones, sed hominum & fallaces, quales erant Pharisæorum, quas vel ipse Christus perstringit, quandoquidem falsis & adulterinis Traditionibus irritum faciebant mandatum Dei, ut habetur Matth. 3.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

*Num quisque teneatur obedire Traditioni?*

DUo occurrunt hic explananda, unum de obedientia Ecclesiæ exhibenda pro fidei dogmate: Alterum de obedientia eidem præstanda pro aliquo Religionis puncto v. g. pro cultu Conceptionis beatissimę Virginis, vel etiam pro disciplina, quæ Ecclesiæ bonum non mediocriter secundum judicium viri prudentis spectat. Rursus duplicis generis sunt ea quæ sunt de disciplina: quædam universam spectant Ecclesiam, ut jejunium quadragesimale, & quatuor temporum: quædam vero speciales tantum diœceses: quibus sic distinctis & subnotatis sit

## CONCLUSIO PRIMA.

Quilibet fidelis obedire debet Ecclesiæ in iis quæ proponit colenda v.g. Conceptionem immaculatam beatæ Virginis, canonizationem Sanctorum & similia.

*Probatur ex multis.*

PRIMO: ex Scriptura: namque in libris legalibus præcipit Deus, ut omnes obediant summo Sacerdoti in iis non solum quæ fidem, sed etiam quæ cultum Dei spectant, & cæremonias, sub interminatione mortis. Sic habetur Deut. 17. 12. eos perire de populo, eosque excommunicatos manere, seu a Synagoga procul fieri: quocirca, Core, Dathan & Abiron deglutivit terra, eo quod igne extraneo pro sacrificiis usi fuissent: pari & simili ratione abjectus est Saul, ut habetur lib. 1. Reg. cap. 13. qui contra præceptum Domini officium Sacerdotis usurpando thus adoleverat coram Domino: Ergo &c.

*Continunt* Sacræ novi Testamenti paginæ. Matth. habetur cap. 18. 15. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Rursus & Paulus

lus Rom. 13. ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Igitur quisque tenetur obedire Traditionibus, eo ipso quo ab Ecclesia promanant.

*Secundo*: Idem probatur ex usu perpetuo Ecclesiæ. Apostoli, ut legitur Act. 15. dispensaverunt Gentiles ad fidem conversos a Circumcisione & cæremoniis legalibus, suumque misere decretum per Sylam & Barnabam ad Antiochenos, qui ulla absque mora & restrictione obedientes receperunt: quæ quidem lex Traditione successiva ad posteros immunis & immaculata pervenit: consimili Traditione decreto Victoris Papæ Ecclesia celebrat festum Paschæ Dominica proxime sequente vernum æquinoctium: Tum lex non rebaptizandi eos qui verbis Evangelicis ab hæreticis tincti fuerant, eodem modo propagata est & perseveravit ad nostra usque tempora. Ex Traditione quoque Ecclesiastica alia permulta tenemus, ut non dissimulare fidem coram tyrannis & judicibus; proditores vero in Concilio Romano paulo post S. Cornelii mortem seu Martyrium, tum in Carthaginensi sub sancto Cypriano adunato pœnitentia publica mulctatos esse novimus. Etiam abhorret & punit, immo & semper punivit sancta Mater Ecclesia, ut videre est in statutis Concilii Bituricensis, Burdigalensis, Rothomagensis, Lemovicensis & Trid. quæ quidem omnes Synodi pœnitentiam publicam imponunt pro crimine publico, qualis est fidei confictio. Ergo &c.

*Tertio*: Ex sanctis Patribus & Doctoribus qui docent unanimiter, omnes nulla facta exceptione teneri obedire Ecclesiæ in iis quæ Religionem spectant.

*Quarto*: Ratione multiplici: prima sic proponitur. Christus ait Petro Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: Sed inquiunt Bellarminus, Suarez & communiter nostri Thomistæ, portæ inferi prævalerent, si Ecclesia proponeret aliquid novi colendum & religiose observantia tenendum, si in iis vel erraret, vel fidelibus relinqueret ad nutum & phantasiam faciendum, tunc enim & Pagani & hæretici ejus irriderent cæremonias. Igitur omnis fidelis sub pœna gravissimi peccati tenetur obedire traditionibus Ecclesiæ, maxime illis quæ implicite ad fidem spectant.

*Secunda*: Ex Summistis & sanctis Doctoribus, maxime vero ex S. Thoma, leges Superiorum promulgatæ & acceptatæ ligant in conscientia, immo & ipsæ Principum leges si sint justæ, a fortiori leges Ecclesiasticæ circa dogmata; hinc grande scelus foret recrudescere adversus leges Ecclesiæ universalis circa dogmata. Igitur quisque debet obedire legi Ecclesiæ universalis, maxime vero si sit in Traditione fundata.

*Tertia*: Leges civiles in Traditione fundatæ quæ vocantur consuetudines Regionum, habent vim obligandi cives: Igitur a fortiori leges Ecclesiasticæ in Traditione fundatæ; alias unicuique licitum esset contra bonum Ecclesiæ publicum se gerere, quod vel ipsi Barbari pro civilibus abhorrent.

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Omnis fidelis tenetur obedire Traditioni pro iis quæ universalem spectant Ecclesiam.*

Probatur unico, sed efficaci ratiocinio. Quilibet tenetur obedire legi justæ, promulgatæ, acceptatæ, & usu perpetuo cofirmatæ, quandoquidem omnis potestas est a Deo, & illi resistere, est ipsi Deo resistere, ait Apostolus Rom. 13. quod non sine gravissimo peccato fieret: Sed Traditiones Ecclesiæ in bonum universalis Ecclesiæ cedentes hujusmodi sunt, & sex Ecclesiæ mandatis concluduntur. Ergo &c.

## CONCLUSIO TERTIA.

*Diœcesanus tenetur obedire Traditionibus Diœcesis, quæ vim legis habent v. g. jejunare in vigilia Patroni, ut in quibusdam Diœcesibus præcipitur.*

Probatur I. Eadem ratione quæ pro secunda conclusione allata est. II. Quia non sine scandalo aliquis Legi non obediret. III. Ad Episcopos spectat regere Ecclesiam Dei, ut habetur Act. 20. 28.

28. Igitur Diœcesanus tenetur obedire Legi ab Episcopo, vel Concilio Provinciali factæ, cum sit Præsulis subditus, & inferior teneatur obedire superiori. IV. Peccat qui ordinem Hierarchicum tentare & temerare audet: Sed qui non obediret Legi Diœcesis Traditione firmatę regimen Hierarchicum subverteret. Igitur tenetur obedire.

*Diluuntur objecta quæ passim militant contra conclusiones.*

Obiicies: Nullus tenetur servare Traditiones quæ fidem non spectant: Sed tales sunt Traditiones Ecclesiasticæ. Ergo &c.

*Respondeo* negando majorem: cum enim omnis potestas sit a Deo, tametsi lex tradita fidem non spectet, eo ipso tamen quo cedit in bonum & salutem, debet observari. Hinc Christus universim dicit, etiam in moralibus, ut de correctione, quemque teneri obedire, sin minus eum ut Publicanum & Ethnicum haberi præcipit.

*Instabis*: Atqui saltem sub peccato mortali nemo tenetur obedire Traditionibus mere Ecclesiasticis: Ergo &c. Probatur subsumptum: Nullus tenetur credere quod est errori obnoxium, & quod falsum & superstitiosum quandoque probatur, ut contigit in Diœcesi Turonensi tempore S. Martini Archipræsulis, qui ut ejus vitæ acta referunt, a Deo inspiratus comperit, populos veluti sanctum quemdam Latronem qui in patibulo extinctum, in erecta ipsi capella colere: Sed Traditiones Ecclesiasticę ut liquet errori subjiciuntur, quippe quę ab hominibus nondum inspiratis promanent. Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad probationem nego absolute majorem: Tametsi enim leges traditæ non semper a superiore infallibili procedant, eo tamen ipso quo I. a potestate legitima emanant. II. Cedunt in bonum subditi. III. Sunt promulgatę & acceptatę, vel etiam usu firmatę, obligant in conscientia. Quid plura · Aliud est credere fidei dogma, aliud obedire legi. Equidem nemo tenetur fide tenere dogma nisi sit ab Ecclesia, quę est infallibilis, definitum, cum ad eam solam spectet proponere credenda: Sed servare legem traditam omnes tenentur, eo ipso quo conditionibus a jure requisitis lex donatur.

*Respondeo* II. in forma distinguendo minorem: Traditiones Ecclesiasticæ errori subjiciuntur si ab Ecclesia universali promanent, nego: si a persona particulari, subdistinguo; errori sunt subditæ ex parte subditorum, concedo: objective, & ex parte legis, nego. Plura sunt observanda in Traditione & lege tradita: Primo, ipsum objectum. Secundo, Legislator. Tertio, subditus obediens legi. Traditio Ecclesiastica est semper bona, supponimus enim cedere in bonum fidelium: est quoque ratione superioris legitima, Episcopi consensus tacitus vel expressus accedit: quandoque etiam universalis Ecclesiæ statuto firmatur & roboratur, ut lex jejunii quadragesimalis, canonizationis Sanctorum: Demum nonnumquam quidem ex parte subditorum accedit error in modo observationis, ut contigit in Pharisæis, qui Traditiones humanas pro vitiis fovendis commiscebant Traditionibus divinis, qua de causa non semel a Christo reprehensi & correpti sunt: sic & error quandoque potest in cultum Sanctorum obrepere, ut compertum habuit S. Martinus a Deo edoctus. Ut enim aliquis habeatur & colatur ut Sanctus, requiritur quod Traditionis cultui suum addat Ecclesia universalis calculum, ut perspectum habemus de sancto Rocho. Igitur omnis utriusque sexus fidelis debet tenere Traditiones Ecclesiæ, quippe quæ sint legitimæ: si vero agatur de cultu Sanctorum, non tenetur servare donec accedat consensus expressus, vel tacitus Ecclesiæ universalis: hoc enim ad religionem & fidem saltem implicite spectat: Quocirca dicimus Ecclesiam esse in moribus instituendis & cultu determinando infallibilem.

*Contra*: Atqui vel ipsæ Traditiones Ecclesiæ non semper in conscientia ligant: Ergo &c. Probatur subsumptum: Sæpius Ecclesia æquo fert animo eas violari, quod non uno potest illustrari exemplo. I. Si de jejunio & abstinentia agatur, exercitus in castris positus non servat. II. Non semel contigit in una Diœcesi licitum esse ova comedere, dum in altera

tera

tera prohibentur. III. Jejunium ex Traditione præcipitur in vigilia Pentecostes, & tamen non servatur in aliquibus Diœcesibus. Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Et accedente Ecclesiæ dispensatione omissio legis traditæ non est peccatum, concedo: & citra dispensationem non esset, nego. Ad illam potestatem spectat dispensare de lege tradita, ad quam pertinet illam condere, vel firmare; cum igitur ibi sermo sit de Traditionibus mere humanis & Ecclesiasticis, dubio-procul Ecclesia potest dispensare, ut in casibus allatis.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Quisque tenetur servare Traditiones Ecclesiasticas.*

PRIMO: Quia præcipit Christus Matth. 18. audire Ecclesiam, & ei obedire.

*Secundo*: Habent vim legis. Lex autem ligat, cum omnis potestas sit a Deo, hinc qui legi traditæ obnititur, ipsi Deo resistit, ait Apostolus Rom. 13.

*Tertio*: Ad superiores & prælatos spectat regere Ecclesiam Dei: Sed Traditiones ad hoc inserviunt. Ergo &c.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametsi, Traditiones mere Ecclesiasticæ fidem non spectent, secus vero probos mores & Dei cultum, quem instituere & regulare sola potest Ecclesia, hinc rebelles pœna digni sunt.

*Secundo*: Traditiones Ecclesiasticæ possunt errori subjici defectu eorum qui quandoque eas male observant, modum superstitiosum adhibendo, sed objective & ex parte Ecclesiæ sunt semper optimæ.

*Tertio*: Ecclesia potest in lege dispensare, unde non mirum si Traditiones de jejunio quadragesimali servando nonnumquam eodem modo & ab aliquibus non serventur.



DE

# DE ECCLESIA IN SPECIALI.



ON injucundum erit primum hic exponere velut in speculo Ecclesiæ dotes, ejusdem objectum, caput, membra, hostes, & de eis triumphos, ut prævia ista generali idea, Lector ad singula discutienda lætabundus & exultans gradum faciat.

*Analysis Ecclesiæ prærogativarum & triumphorum.*

ECCLESIA, quæ variis celebratur nominibus, modo Religio veri Dei dicitur, modo Congregatio omnium Fidelium sub uno invisibili in cœlis capite Christo, & visibili in terris Summo Pontifice ejus Vicario, ac legitimis Pastoribus, modo etiam Sponsa Agni. Militans est in terris, Patiens in purgatorio, Triumphans in cœlo. Lege interiori primum incessit, tum Mosaica, demum Christiana. Incepit in primis Parentibus; refulsit in Abele: crevit in Seth; apparuit in Enoch cum cultu solemniori; servata ad diluvium usque, postea per Noe transmissa est ad Abraham, in quo nova & de perpetuitate, & de fecunditate promissa recepit: Typum habuit sacrificii nostri incruenti in Melchisedech; illustrata est patientia Job; floruit in Moyse, & in Concilio Seniorum: deficiente Aaron, non defecit; idololatrantibus Prophetis Baal, non abiit post deos alienos; non concidit errante Synagoga quæ Christum crucifigi voluit; vel ipsis fugientibus Apostolis non extincta est: elapso denique super eam in die Pentecostes Spiritu sancto, vicit furentes contra se omnis generis hostes: vicit Philosophos paganos, sapientia; Tyrannos, constantia; Hæreticos, fide; Schismaticos unitate; Impios vero, morum suavitate & sanctitate. In persecutionibus infracta permansit; inter errorum scopulos & hæresum tempestates indefectibilis; in veritate, vel declaranda, vel explicanda, vel propugnanda infallibilis; in vitiis expugnandis indefessa; obscurioribus temporibus semper visibilis; denique Una, Sancta, Catholica & Apostolica. Non annumerat inter sua membra Ethnicos, nondum sunt Catechumeni, non desinunt esse imperfecti & peccatores, secus vero Apostatæ, Hæretici, & Schismatici. In sola Ecclesia Romana vera fides, & veræ Ecclesiæ notæ reperiuntur. Sola habuit veros Martyres; sola, vera miracula; sola, legitimam Pastorum successionem; sola, per totum orbem diffusa conspicitur. Ejus objectum, Deus ut auctor naturæ & gratiæ colendus; subjectum, creatura rationalis; principia, articuli fidei, lex & gratia; præcepta, ea quæ in Decalogo continentur, consilia, paupertas evangelica, obedientia promissa, castitas consecrata: ejus denique finis, Deus intuitive visus & possessus.

*Ecclesia*, Deum esse profitetur adversus Atheos, unum adversus Idololatras, providum adversus Epicureos, incorporeum adversus Antropomorphitas, inter quos non annumeratur Tertullianus; ens a se formaliter, simplicem sine distinctione, saltem reali, solidum absque quantitate; omnipotentem, immensum, æternum, ubique præsentem, cuncta cognoscentem, omnibus cumulatum perfectionibus, invisibilem quidem nobis viribus naturæ, visibilem vero virtute gratiæ, seu luminis gloriæ; immo & nunc a Sanctis e mundo ereptis quibus nihil purgandum remanet, visum, etiam non refragante sancto Bernardo. Denique Trinum in personis agnoscit; Patrem a nullo; Filium non factum, sed a Patre genitum; Spiritum sanctum non factum, non genitum, sed a Patre simul & a Filio procedentem. Multiplici argumentorum genere, personarum SS. Trinita-

nitatis in una natura subsistentium veritatem contra malignantes probat, maxime illo 1. Joan. cap. 5. oraculo: *Tres sunt qui testimonium dant in cęlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* Multiplicatis peccatis, etiam multiplicatæ sunt religiones: quatuor potissimum recensentur, duæ falsæ, immo abominabiles, videlicet Ethnica idolorum cultui addicta; & Mahumetana, sicut sordibus, sic & superstitionibus conspersa: duæ vero aliæ meliores, Mosaica & Christiana: Priores, nusquam bonæ; tertia ad Christum usque tantum salutaris; quarta, sola nunc vera; nulla est ab illa quæ certis nitatur principiis; sola sancta, nulla quæ verum ac Deo dignum exhibeat cultum, & ab omni superstitione alienum; sola perfecta, nulla quæ pœnis peccatum insectetur ardentius, quæque magis promoveat ad virtutem; cæterarum enim nunc in terra grassantium, aut absurda doctrina, aut impura moralis, aut indigna homini proposita præmia, aut superstitiosus cultus, aut flagitiosi auctores, aut præcones, testes & magistri omni fide indigni. Miracula tum a Christo, tum ab Apostolis patrata annuntiant Ecclesiæ Christianæ veritatem: Sed quod stupendum magis, fides Ecclesiæ tametsi obscura rationi, aspera sensibus, antiquitatis omnino adversa opinionibus, Ethnicos, Magos & ipsos Dæmones ita domuit, ut sanguis Martyrum factus sit semen Christianorum.

*Ecclesia*, ut Religio christiana, gentilem & prophanam rejicit, immo & Mosaicam: Gentilibus ostendit Incarnationem esse sicut possibilem, sic & credibilem; Judæis vero venisse Messiam, & esse Jesum Nazarenum ex illibata Virgine natum. Legem veterem ipsius adventu propugnat ablatam: figuras in Christo terminatas esse probat; item & vaticinia in eodem adimpleta, quorum alia subindigitant Incarnationis existentiam, ut istud Jacob morientis vaticinium Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, &c.* Alia, Conceptionem, operante Spiritu sancto ex B. Maria; alia, Pręsentationem in Templo, Prædicationem, Miracula, Passionem: alia denique Resurrectionem, & in cœlos Ascensionem: hinc supra modum mira est Verbi divini ad nos declinantis misericordia, cujus quidem unio cum humanitate ita divina est, ut sit hypostatica; ita intima, ut sit immediata; ita universalis ut se extendat ad animam & ad corpus; ita realis, ut Christus vere fuerit passibilis, etiam non dissentiente S. Hilario. Tot & tantis probavit argumentis suam Resurrectionem Dominus Iesus, tot secuta sunt signa, sermonem Apostolorum de Incarnatione confirmantia, ut, postquam Ecclesia in omnes mundi plagas fuit diffusa, per omnes ætates propagata, ex omni hominum genere collecta, in hac tanta & temporum & regionum varietate, ubique & semper ejusdem fidei, ejusdem moralis, ejusdem saltem in substantia regiminis, ejusdem & cultus vinculo conjuncta permanserit. Demum divina nutritur gratia: actualem ad omne opus salutis necessariam dicit: nihil quidem circa ejus energiam definivit; sed hoc momentum in Congregatione *de Auxiliis*, Clemens VIII. tradidit disputationi Theologorum. Quidam a congruitate, quidam a consensu voluntatis illam repetunt; nos vero & probabilius, tum a propria gratiæ virtute, tum a præmotione morali simul & physica; & consequenter per se efficacem defendimus.

*Ecclesia*, quatenus omnium Fidelium unam fidem profitentium Congregatio, caput invisibile Christum in cœlis regnantem habet, cujus Vicarius beatus Petrus, isti vero succedit omnis Summus Pontifex canonice electus; hinc inter cæteros Ecclesiæ Pręsules, nedum ordine, sed & jurisdictione Primas. Ipsi ex jure avito incumbit adunare Concilia, eisdem præesse, eaque approbare. Infallibilitatem in definiendis fidei dogmatibus convenire Ecclesiæ fides docet: hac fortium armatura stipata, suos omni tempore debellavit hostes. Primo sæculo errorem Judæorum legalia cum Evangelio commiscentium in Concilio Apostolorum correxit. Secundo sæculo insurrexit adversus Quarto-decimanos in Synodo Palestinæ, in qua quidem sanctum Paschatis festum celebrandum esse Dominica proxime sequente æquinoctium vernum sancivit. Tertio sęculo suo perstrinxit stylo censorio Praxeam, & Noetum qui unicam in Deo admittebant personam, tum Sabellium qui eamdem perversam acrius post istos pro-

propugnabat doctrinam. Eodem tertio sæculo magna exarsit controversia pro baptismo Hæreticorum inter Cyprianum, Firmilianum, & Stephanum primum Romanum Pontificem: prior, tria Carthagine, alter duo in Oriente, Iconii & Synnadis, Concilia adunarunt, in quibus Baptisma ab Hæreticis etiam verbis Evangelicis collatum irritum definiere: his restitit fortiter simul & suaviter Stephanus; fidem enim ita defendit, ut nec pacem ruperit, nec in contrarium errorem prolapsus sit. Illorum quarto sæculo Donatistæ secuti sunt errorem, sed non imitati sunt charitatem: primum enim in apertum schisma, deinde in hæresim prolapsi sunt; damnati in Concilio Romano sub sancto Melchiade provocaverunt ad Constantinum Imperatorem: Ecclesia cedens protervitati eorum, dedit aliud, non ex necessitate, sed ex indulgentia Arelatense judicium; quo iterum atque iterum victi, o furiosa rabies! pro more Paganorum adhuc Constantinum appellarunt, qui tantam exilio, aliisque pœnis compescuit audaciam.

*Ecclesia*, eodem quarto sæculo, gravissimam aliam subiit tempestatem occasione Arii, qui Verbum meram, tametsi omnium excellentissimam creaturam dixit; Aetianos, & Acacianos sectarios habuit, nusquam vero Liberium Papam, non secundum Patrum Ariminensium Nicææ in Thracia adunatorum cœtum. Utinam isti sicut corde, sic & subscriptionibus vocem *homousion* semper servassent; sed non ideo eorum lapsu excidit illa versus tempora Ecclesiæ Universalitas. Innumera prope ad hæresim suam stabiliendam Ariani adunavere Conciliabula, sed his alias & fide & virtute meliores Synodos numero circiter 22. opposuit Sancta Mater Ecclesia, ab anno scilicet 315. usque ad annum 589. Quibus in tanta temporum acerbitate eius universalitas roborata, veluti fluvius paradisi voluptatis, perenni fidei fluxu & refluxu totum irrigavit orbem. Sanctus Hilarius formulas Arianorum & Semi-Arianorum non sine fundamento fidem temporum appellavit; nam etsi Verbum Deum esse quandoque in eis faterentur, attamen fraudem ut plurimum paratam habebant. Intra viginti circiter annos quindecim finxere & refinxere: sex Antiochiæ, tres Sirmii concinnaverunt; reliquarum sex, una Philippopoli, altera Ancyræ, tertia Seleuciæ; quarta Nicææ in Thracia edita fuit; illa Ariminensium nomen retinet, eo quod subsignata fuerit ab aliquibus Concilii primi Ariminensis Præsulibus fraude Arianorum irretitis; quinta Constantinopoli conflata fuit; sexta demum ex collectionibus formulæ Antiochenæ adversus Paulum Samosatenum & prima Sirmiensis facta est in Thracia: ex Antiochenis sexta pessima est, quandoquidem nedum *homousion*, sed & *homoiousion* tollit: secunda ex Sirmiensibus prorsus blasphematoria; tertia vix toleranda, cum substantiæ vocem removeat: prima, a Basilio Ancyrano edita, sensum fidei consonum præ se fert, namque Verbum in ea Patri per omnia simile conclamatur: tum illi omnes qui Verbum aut ex nihilo, aut ex præjacente materia factum asserebant, alieni ab Ecclesia declarantur: Liberius isti, & non secundæ, immo nec tertiæ subscripsit.

*Ecclesia*, iteratas quarto sæculo, non sine magno animi S. Damasi summi Pontificis mœrore experta est tragœdias opera Macedonii, qui Spiritui sancto, nefando scelere abnegavit divinitatem; hinc qui ipsi adhæserunt a Græcis Pneumatomachi dicti sunt, id est, Spiritus sancti impugnatores. Hæc nefaria hæresis orta est anno Christi circiter 360. juxta Epiphanium hær. 74. postea veluti cancer serpsit in mundum. Et vero magna populi multitudo, tum Constantinopoli, tum in Bithynia, Thracia, Hellesponto, tum & aliis in regionibus Macedonio adhærebat; inter cæteros eminebat Marathonius, qui errorem partim studio, partim pecunia adeo auxit, ut Macedoniani, teste Sozomeno, a multis Marathoniani vocarentur. Fidem Ecclesia, damnato in Synodo Constantinopolitana Architecto, primum sic explicavit in Symbolo, *Credo in unum Deum..: Et in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem; qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur*. Tum in Florentina addidit: *Qui ex Patre Filioque procedit*. Pelagius quinto sæculo novæ hæreseos stimulis turbavit Ecclesiam, ita enim humanam extollebat naturam ut Christi prorsus evacuaret gratiam; damnatus in Conciliis Africanis, illusit Patribus Diospolitanis; sic enim.

enim gratiam prædicavit, ut a lege numquam recesserit: illusit & Zosimo Papæ ejus discipulus Cœlestius, sed fraude detecta, uterque damnatus est in Concilio Romano, deinde in generali Ephesino; sed abscisso hydriæ capite perstrinctione Pelagii, remansit in cauda venenum, scilicet in Massiliensibus, qui initium fidei a voluntate humana in se relicta ducebant.

*Ecclesia* novos in Oriente, eodem quinto sæculo ingemiscens, habuit adversus proprios filios congressus. Namque anno circiter 429. graviter erravit Nestorius circa Incarnationis substantiam, in Filium enim & Matrem æqualiter iniquus, illi divinitatem, huic Deiparæ abrogavit dignitatem: damnatus in Synodo Alexandrina; duodecim B. Cyrilli Capitulis, velut totidem Anathematismis, alia opposuit erronea; anathemate iterum percussus in Synodo generali Ephesina, non resipuit; hinc vel ab ipso Imperatore proscriptus, Deo & hominibus exosus, exul & errans obiit. Nestorii blasphemiis successit, elapsis 18. circiter annis, Eutychietis Archimandritæ stupidus error, quo voce quidem dissimili, sed impietate pari Ecclesiam dilaceravit, unicam in Christo prædicans naturam. Contra eum exarsit sanctus Leo, tum Concilium Chalcedonense, in quo proscriptus est. Sexto sæculo, adunatum est quintum Concilium generale ad discutienda tria Capitula; an legitime ab ipso proscripta sint? Placet admodum affirmatio. Pacem Ecclesiæ septimo sæculo turbaverunt Monothelitæ, unicam in Christo pro duabus naturis propugnantes voluntatem & operationem: Sextum Concilium œcumenicum eos anathemate percussit. Num Honorius fuerit Monothelita, vel solum hæreseos fautor, an etiam de facto in ista Synodo damnatus? Partem negativam quoad ista tria momenta tenent viri omni exceptione majores, & nos cum eis. Sepultum jam diu Nestorianismum octavo sæculo exsuscitaverunt Felix & Elipandus, qui Christum in sensu Nestorii dixere merum Filium Dei adoptivum: damnatus Felix in Concilio Forojuliensi, & postea in Ratisbonensi, resipuit ad tempus; sed relapsus, habita est celebris Francofurti Synodus, in qua error cum duobus fautoribus proscriptus est. Bellum eodem adhuc ævo indixit sanctis imaginibus Leo Isaurus Imperator, & quidam alii: post varias ex utraque parte disceptationes, quæstio tandem eliquata est in septima Synodo generali, in qua quidem definitum est, cultu relativo & Christiano colendas esse sanctas imagines.

*Ecclesia* nono sæculo agitari cœpit per Photium, qui gravissimam stupendo schismate commovit tempestatem: a Nicolao I. exauctoratus, fucum fecit Joanni VIII. qui illusus in pristinum gradum proditorem restituit, sed detecta fraude, iterum proscriptus legitur, impœnitens pestifera in Oriente ad hunc usque diem reliquit sui schismatis semina. Realitatem Corporis Christi in Eucharistia undecimo sæculo impugnavit Berengarius; in variis Conciliis proscriptus, resipuit, relapsus, iterum errorem reprobavit: tandem catholicam fidem in Concilio Romano anno 1079. confessus, pœnitens, ut pie creditur, obiit. Duodecimo sæculo, adnnatum est Concilium Lateranense primum ad componenda ex Investituris subnata jurgia; Lateranense secundum, contra schisma Petri Leonis, & Petrobrussianorum hæresim; Lateranense tertium, ad perstringendos Schismaticos & Hæreticos Vualdenses; Decimo tertio sæculo, Lateranense quartum, pro recuperatione Terræ sanctæ, & adversus Albigenses; Deinde Lugdunense primum, ubi iterum actitatum est de expeditione Terræ sanctæ; & Lugdunense secundum pro Græcorum reunione. Viennense decimo-quarto sæculo exagitavit Beguardos. Decimo-quinto Florentinum ad metam feliciter perduxit Græcorum schisma. Decimo sexto, Lateranense V. congregatum est, ubi de subsidio Christianis præstando adversus Mahumetanorum potestatem actum est. Denique Tridentinum anno 1545. inchoatum, mirabilia fecit, dixit & definivit contra veteres & novas hæreses, præcipue vero adversus Lutheranos & Calvinistas per totam Europam non sine magna animarum pernicie divagantes.

*Ecclesia* suas habet regulas, scilicet Conciliorum Canones: iis disciplinam ordinat, mores instruit, dogmata fidei proponit & definit. Inter omnes primus & celeberrimus est Apostolicus, quo, abrogatis in

in Synodo Jerosolymitana legalibus, sancitum est ut Gentiles ad Christum conversi abstinerent solum a sanguine, a suffocato, & a fornicatione. Primum Concilium Nicænum multos edidit, sed Arianorum molitione, multa passi sunt tum in Oriente, tum in Africa, & Ægypto naufragia. Theodoretus viginti solum refert; Julius I. Summus Pontifex in sua secunda epistola, a S. Athanasio laudata, a Concilio Sardicensi celebrata, viginti quator; Pisanus juxta Codices Arabicos, octoginta commemorat. Sextus vulgatus in gratiam Episcopi Alexandrini factus, nihil detrahit a primatu Papæ in universam Ecclesiam, quidquid in contrarium insulse garriant Magdeburgenses. Secundus inter Trullanos jus provocandi ad Sedem Apostolicam Traditione firmatum dicit. Eidem adstipulantur juri tertius, quartus & septimus Sardicensis: hujus prærogativæ, quæ primatus S. Petri appendix merito dicitur, etiam ante hanc Synodum extant exempla: unde appellationem ad Romanum Pontificem in Ecclesia Orientali ante Concilii Trullani tempora, usum non obtinuisse, in Occidentali vero ante octavum sæculum, ab omni veritate alienum est. Diversis temporibus ad Sedem Apostolicam appellarunt Cæcilianus, S. Athanasius, Eustathius Sebasthenus, Maximus Constantinopolitanus, sanctus Chrysostomus, Flavianus, Theodoretus, Eutyches, Joannes Talaja Episcopus Alexandrinus, Celidonius, &c. Neque vero isti juri refragatur Concilium Carthaginense in causa Apiarii, Siccæ civitatis in Numidia Presbyteri. Frustra quidam in dubium revocant statuta a Concilio Arelatensi tertio adversus hæresim Prædestinatianam, quam nonnulli absque fundamento commentitiam habent, cum ab ipso Augustino ex professo impugnata sit, in libro de Correptione & Gratia contra quosdam Monachos Adrumetinos obstrepentes. Decursu temporum non absimilibus statutis & canonibus impugnavit hæreses Ecclesia, maxime Protestantium, contra quos multa dogmata in primis de septem Sacramentis astruxit.

*Diversa Ecclesiæ acceptatio.*

Ecclesia sumitur dupliciter: Primoquidem pro congregatione multorum unam fidem & religionem profitentium; sub quo respectu nonnumquam dicitur Religio, quæ definitur virtus, qua Deum cultu debito veneramur: Secundo, pro congregatione sub uno capite invisibili Christo in cœlis, & visibili in terris Summo Pontifice eius Vicario cum legitima Pastorum successione. De ea sub utroque respectu spectata agendum incumbit. Unde sit



DIS-

# DISSERTATIO PRIMA.

# DE ECCLESIA

## UT EST RELIGIO MULTORUM

### UNAM FIDEM PROFITENTIUM.



ULTOS habet Ecclesia, ut est vera religio, hostes infensissimos, Atheos scilicet, Idololatras, & Paganos. Priores nullum agnoscunt Deum: Idololatræ falsa colunt numina: Pagani, ut Mahumetani Deum quidem esse fatentur, nusquam vero Christum ut Messiam; tum variis incumbunt superstitionibus. Hæretici cæteris adjunguntur, quippe qui in suas abeant adinventiones, & cultum prorsus indebitum, vel Sacramentorum aliquorum ablatione, vel ipsius sacrificii contemptu, a rectis regulis aberrantes Deo reddant: Sed contra quos ipse Christus Matth. 18. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

*Dogma de Ecclesia ut est Religio vera, quatuor potissimum argumentis probatur & explicatur.*

PRIMO, quia ab Adam ad Moysen usque extitit.

*Secundo*, quia a Moyse usque ad Christum floruit.

*Tertio*, quia per Christum perfectionem habuit.

*Quarto*, quia cæteræ Religiones a Romana separatæ, sunt falsæ.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum fuerit Ecclesia in lege natura, in qua sola reperitur salus?*

LEx naturalis potest in duplici sensu spectari: Primo quidem ut est dictamen rationis cuilibet innatum homini ad faciendum bonum ordinis naturalis, puta ad colendos parentes: Secundo, ut dicit statum in quo homines moti a Spiritu sancto, seclusa lege scripta, bonum salutis operari possunt, & de facto operantur. De lege naturæ in prima consideratione spectata inpræsentiarum non agimus; demonstratum est quippe in tractatu de Attributis inesse hominibus ideam Dei innatam, & lumen quo non solum existentiam Dei cognoscunt, verum etiam aliquod bonum patrare queunt, juxta illud Apost. Rom. 2. 14. *Gentes, qua legem non habent, naturaliter ea, qua legis sunt, faciunt*: Sed de lege usurpata in secundo sensu, quatenus & Sacramenta & Sacrificia, sola exclusa lege scripta, complectitur.

### CONCLUSIO PRIMA.

*Fuit Ecclesia in Lege natura.*

PROBATUR isto ratiocinio. Nomine Ecclesiæ intelligimus religionem, qua homines unam fidem profitentur, & unum agnoscunt Deum: Atqui talis fuit in Lege naturæ: Et probatur multipliciter.

*Primo quidem*, Religio concreata est cum primis parentibus, juxta illud Eccli. 17. 6. *Disciplina intellectus replevit illos, creavit illis scientiam spiritus.* Et istud S. Augustini: „ Erat condens naturam, & largiens gra„ tiam. R. P. Massouillet Dominicanus

 lato

lato calamo tomo 2. de motione Dei cap. 10. 11. 12. 13. & 14. probat Protoparentes, quandiu duravit innocentiæ status, sicut amore Dei, sic & continua divinorum contemplatione fuisse occupatos.

*Secundo*, certum est Adamum egisse de peccato pœnitentiam, & bonis operibus promeruisse salutem, adeoque & Deum perpetuo coluisse, tum & filios ad illum colendum instituisse. Quod salvus factus sit non obscure indicat Scriptura Sap. 9. 10. his verbis: *Per Sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi Domine a principio. Hæc illum, qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia*. S. Irenæus lib. 3. adv. hæref. cap. 34. & seq. ait Adamum justificatum, & ex hoc assulgere mortem Christi passione absorptam fuisse: Idem propugnat Tertullianus lib. 2. contra Marcionem: Idem Epiphanius hæref. 46. Idem Ambrosius lib. 10. in Luc. cap. 23. Idem Augustinus epist. 99.

*Tertio*, crevit in Abel justo qui, *obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: Et respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus*. Gen. 4.

*Quarto*: Eamdem illustravit Enos; de illo quippe habetur Gen. 4. *Iste cœpit invocare nomen Domini*; & quidem ritu solemniori. Rursus & Henoch, *Ambulavitque cum Deo, & non apparuit*. Ibid. Gen. 5. ad vitam enim & statum meliorem translatus est, donec Antichristum debellaturus veniat, & illum gladio verbi oris sui confodiat.

*Quinto*: Refloruit in Noe, qui, transacto diluvio, obtulit Deo holocaustum, quod ita illi placuit, ut inicrit cum hominibus perpetuum pacis fœdus; sicenim habetur cap. 8. 21. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & ait: Nequaquam ultra maledicam terræ*.

*Sexto*: Emicuit in Abraham, in Isaac & Jacob, qui quidem sic erant grati & accepti Domino, ut nominari Deus eorum dignatus sit, juxta illud Exod. 3. 6 *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*.

*Septimo*: Ecclesia vera ea est, quæ Deum tum Sacrificiis, tum Sacramentis veneratur: Atqui Lex naturæ & Sacrificia & Sacramenta habuit; Sacrificia quidem ut patet ex dictis: nec mirum, etiamsi Adam non peccasset, semper tamen fuissent Sacrificia, inquit S. Thomas, quandoquidem creatura in quocumque statu Deum debet agnoscere ut supremum bonorum auctorem, quod fit Sacrificiis: Sacramenta utique; sic propugnat S. Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. 1. his verbis: " Nec ideo tamen credendum est, & " ante datam circumcisionem famulos Dei, " quandoquidem eis inerat Mediatoris fi- " des in carne venturi, nullo Sacramen- " to ejus opitulatos fuisse. "

*Octavo*: Omnes homines a mundo condito concludit Ecclesia, quippe quæ fit omnium credentium aggregatio: Igitur Ecclesia extitit in lege naturæ. Ista ratio est D. Gregorii, qui homil. 19. in Evangelia sic loquitur: " Quis Patrisfamilias simili- " tudinem rectius tenet, quam conditor " noster .... qui habet vineam, univer- " salem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel " justo usque ad ultimum electum, qui in " fine mundi nasciturus est, quot sanctos " pertulit, quasi tot palmites emisit. "

*Nono*: Omnes per fidem Christi salutem consequi debent, Deus vero vult omnem hominem salvum fieri: Igitur vel in ipsa Lege naturæ erat Ecclesia, hoc est, erant homines, qui fidem in Christum, tum Sacrificiis, tum Sacramentis proderent. Hæc ratio affertur a S. Aug. qui concione 3. in Psal. 36. sic loquitur: " Omnes qui ab " initio sæculi fuerunt justi, caput Chri- " stum habent. Illum enim venturum es- " se crediderunt, quem nos venisse jam " credimus; & in ejus fide & ipsi sanati " sunt, in cujus & nos: ut esset & ipse " totius caput civitatis Jerusalem. " Idem docet epist. 102. alias 49. & ante ipsum Eusebius lib. 1. hist. cap. 4.

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Extra Ecclesiam, non erat salus.*

PROBATUR unico, sed efficaci ratiocinio. Sine fide, teste Apostolo Heb. 11. impossibile est placere Deo; quia vero homo ex animo & corpore constat, fidem & religionem signis sensibilibus debet prodere: Sed in sola Ecclesia cultus Deo debitus redditur, tum precibus, tum Sacrificiis: Igitur ab omni ævo extra Ecclesiam non fuit salus.

*Sol-*

*Solvuntur objectiones.*

OBJICIES: Ecclesia non est sine capite: Sed non constat aliquod fuisse in lege naturæ: Igitur nec pro ea admittenda est Ecclesia.

*Respondeo* distinguendo: Ecclesia perfecte formata non est sine capite, concedo: Ecclesia nascens & adhuc imperfecta, subdistinguo: non est sine capite particulari, concedo: sine capite universali, nego. Incepit Ecclesia ab Adam & Eva qui fuerunt Creatoris cultores, & adoratores, deinde crevit paulatim crescente hominum numero: porro cum homines rempublicam non nisi multiplicata maxime humana sobole, constituerent; & per familias regimen humanum haberetur, Paterfamilias sicut in civilibus sic & in moralibus erat caput, a quo filii & normam bene vivendi, & modum rite colendi, Deum accipiebant: quæ quidem consuetudo ad diluvium usque perseveravit: immo & post diluvium usque ad Abraham, dicamus & usque ad Moysen. Ergo Paterfamilias accepta Traditione ab Adam per nepotes de modo Deum colendi, Filios ipsum Dei cultum edocebat: Movebantur interius homines ad assumendum aliquod signum sensibile quo fidem suam profiterentur, ait D. Thomas 3. p. q. 60. art. 5. ad 3. his verbis: "Sicut in „ statu legis naturæ homines nulla lege „ exterius data, sed solo interiori instin- „ ctu movebantur ad Deum colendum, „ ita etiam ex interiori instinctu, deter- „ minabatur eis, quibus rebus sensibilibus „ ad Dei cultum uterentur. „ Denique usus invaluerat ut cujuslibet familiæ primogenitus ex quadam deputatione more perantiquo firmata esset veluti Sacerdos, qui primitias fructuum terræ Deo offerret: hinc Esau evasit contemptibilis, eo quod jus primogenituræ pro leviori cibo fratri suo Jacob vendidisset, ut habetur Heb. 13.

*Instabis*: Ecclesia est visibilis: Sed in lege naturæ eam non habebat dotem: Igitur tunc temporis nondum erat Ecclesia.

*Respondeo* distinguendo minorem: Ecclesia in lege naturæ, non erat visibilis, hoc est, nondum erat corpus perfecte formatum & omnibus numeris absolutum, concedo: non erat visibilis quoad cultum, nego. Abel obtulit sacrificium, tum Noe transacto diluvio. Obtulit Job & sæpius Abraham, maxime cum ariete loco filii, ordinante Deo, mactavit. Obtulit & Jacob qui & aram, seu lapidem, fundens oleum desuper, erexit, ut legitur Gen. 28. decursu vero temporum Ecclesia crevit in magnam arborem, primum in lege Mosaica, tum & multo magis in Nova, ut dicemus modo.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Ecclesia extitit in tota Lege naturæ.*

PRIMO: Quia Adam conditus est in gratia, & in statu innocentiæ erat verus Dei cultor, quippe qui, testibus Hugone a S. Victore & aliis multis Patribus contemplationi divinarum vacaret; post lapsum vero, ut habetur Sap. 9. justificatus est, quod non sine precibus & cultu factum fuisse rectius suspicamur.

*Secundo*: Ecclesia est cœtus fidelium unam fidem profitentium; habemus autem ex Genesi veteres Patriarchas non semel Sacrificiis & Sacramentis coluisse Deum.

*Tertio*: Sic propugnant Eusebius, Augustinus, Gregorius, S. Thomas, quorum omnium ratio hæc est, quod nullus debeat salvari nisi per fidem Christi debitô cultu celebratam: Sed hujusmodi cultus Ecclesiam habet auctorem, & institutricem. Ergo &c.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Ecclesiæ legis naturæ non deficiebat caput, cum in domibus Paterfamilias Traditione excultus quomodo Deus recte colendus esset, filios edocebat.

*Secundo*: Neque verò illi Ecclesiæ deerat visibilitas, quandoquidem fideles sacrificiis modo ex frugibus terræ, modo etiam ex animalibus & victimis suum exhibebant cultum.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*Utrum fuerit Ecclesia in Lege scripta?*

Conclusio affirmativa.

*Probatur rationibus Theologicis.*

PRIMA: Ecclesia est congregatio multorum vero & unico Deo servientium & famulantium: Atqui talis erat in Lege scripta. Et probatur. Deus dedit Abraham, & eius posteris Circumcisionem, qua a Paganis & Idololatris separati, ipsi cultu perpetuo & religioso conjungerentur; sic enim habetur Gen. 17.9. *Dixit iterum Deus Abraham: Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est, pactum meum quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum: & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos*. Ergo &c. Ipse Apostolus Rom. 3. *Signaculum justitiæ fidei*, vocat Circumcisionem; hinc Col. 11. 11. ait Christi gratiam præfigurasse: idem sentit Chrysostomus homil. 39. in Gen. Idem Theodoretus quæst. 67. in Gen. & communiter Patres.

*Altera*: Ecclesia est cœtus multorum sub uno visibili capite magno Sacerdote cum successione Pastorum: Atqui in lege scripta fuit Aaron, qui habuit in Sacerdotio successores, ut legitur in libris Legalibus & Regum, tum & in epistola ad Hebr. fuerunt & Levitæ qui cultui Deo reddendo incumberent: tum omnes fideles in iis quæ cultum divinum spectabant, sub mortis interminatione obedire tenebantur. Ergo &c. Multus est sermo in Scriptura sacra de his momentis. Levit. 8. describitur consecratio Aaron magni Sacerdotis & Levitarum, Deut. vero 17. ait Deus: *Venies que ad Sacerdotes Levitici generis .... Facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus. Et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille.*

*Tertia*: Ecclesia tota occupatur in sacrificiis Deo offerendis, tum in recognitionem supremi eius Dominii, tum ad gratias pro beneficiis acceptis rependendas, tum ad nova ab ejus bonitate impetranda, tum demum ab obtinendam peccatorum veniam: Atqui ejusmodi sacrificia perpetuo & sempiterno cultu offerebat Synagoga: Igitur erat vera Ecclesia. Probatur minor, ex libro Lev. Cap. 1. ritus & modus offerendi holocausta delineatur. Cap. 2. ritus oblationis sacrificiorum similæ oleo conspersæ. Cap. 3. ritus hostiæ pacificæ litandæ. Cap. 4. ritus offerendi hostias Sacerdotis, Principis & multitudinis per ignorantiam peccantis. Cap. 5. ritus hostiarum pro peccatis ex silentio veritatis, immunditia, errore, juramento, sacrorum abusu atque ignorantia, & sic de cæteris.

*Quarta*: Ecclesia est corpus in quo multi sacris quibusdam signis sensibilibus ad colendum Deum, conjunguntur, ait S. Augustinus, qualia sunt Sacramenta: Atqui erant in Lege scripta vera Sacramenta. Et probatur: Innocentius III. cap. *Majores*, agnoscit Circumcisionem ut Sacramentum. D. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 5. hoc probat ratiocinio, veterem Legem habuisse Sacramenta. Nomine Sacramentorum intelligimus signa gratiæ quibus homo præparatur ad colendum Deum, vel per modum ministri, vel per modum suscipientis: Atqui talia erant in Lege Moysis signa, namque consecrabantur Sacerdotes & Levitæ, ut ministerio altaris vacarent: populus vero per Circumcisionem ad colendum Deum instituebatur. Ergo &c. De hoc momento, ait S. Augustin. lib. 19. contra Faustum cap. 11. „In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum coadunari homines posse nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.„

*Quinta*: Ecclesia ea censetur, quæ divina celebrat variis festivitatibus mysteria: Atqui Synagoga ea debito, & sacro cultu celebrabat: Igitur erat vera Ecclesia. Probatur minor: variæ erant apud Judæos festivitates, nempe Pentecostes in memoriam simul & recognitionem legis datæ, & acceptæ: Paschatis, ad recolenda beneficia liberationis a capti-

ptivitate Ægypti, & sic de aliis bene multis. Ergo &c.

*Sexta*: Ecclesiæ nomine intelliguntur multi Christo Mediatori ad colendum Deum adunati: Atqui Judæi Christo conjungebantur. Primo quidem, illum in sacrificiis repræsentabant, maxime cum sanguine vitulæ Sacerdos aspergebat populum, ut sciret se per Christi sanguinem redempturum: Secundo, illum in sacrificiis invocabant, eumdem ore Prophetarum in adjutorium & auctorem salutis appellabant, juxta illud Isaiæ 45. 8. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem.*

*Fit satis objectionibus.*

OPPONES: Ubi nec fides nec gratia, ibi nulla agnoscitur Ecclesia: Atqui nec fides nec gratia erant in Synagoga: Igitur nec erat Ecclesia. Probatur minor. Primo quidem, non erat fides, sed solum instructio & præparatio ad fidem, juxta illud Apostoli Gal. 3. 23. *Lex Pedagogus noster fuit in Christo.* Neque vero etiam gratia erat, dicente Joan. capit. 1. *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Jesum Christum facta est.*

*Respondeo* negando minorem, quandoquidem fides Patrum, maxime Abrahæ tanta erat, ut, teste Apostolo, imputata sit illi ad justitiam & meruerit multarum Gentium esse Patrem, quæ in ipso benedictæ sunt: sed & sanctitas in eisdem sic affulgebat, ut Deus per complacentiam Deus Abraham, Isaac & Jacob voluerit se nuncupari. Jam quid memorem sanctitatem Prophetarum, quorum gratia specialis hæc erat, ut scrutarentur etiam profunda Dei, hinc & videntes in Scripturis non semel appellantur: quod est argumentum magnæ Dei erga ipsos charitatum diffusionis.

*Ad* primam probationem, distinguo: Lex Pedagogus erat ad instructionem de Mysteriis, & promissionum Abrahæ factarum confirmationem, concedo: ad ipsam fidem suscipiendam, subdistinguo; fidem perfectiorem, concedo: fidem ipsam, ita ut ipsa carerent Judæi, nego. Solutio est ipsius Apostoli, qui Rom. 4. ait de fide Abrahæ: *Credidit Abraham, & reputatum est illi ad justitiam.* Igitur Lex catenus erat pro Judæis Pedagogus, quatenus eos edocebat justificari per fidem in Christum venturum, a quo & promissam æternitatem erant accepturi. Sic interpretatur locum Apostoli S. Thomas comm. in cap. 3. epist. ad Galatas: " Per „ legem, *inquit*, Judæi tamquam imbecilles pueri, per timorem pœnæ retrahebantur a malo, & promovebantur „ amore & promissione temporalium, ad „ bonum; Judæis autem promissa erat benedictio futuri seminis de hereditate „ obtinenda, sed nondum advenerat tempus ipsius hereditatis consequendæ, & „ ideo necessarium erat, quod conservarentur usque ad tempus futuri seminis, „ & cohiberentur ab illicitis, quod factum est per legem. „

*Ad* secundam probationem, distinguo: Gratia per Jesum Christum facta est, id est I. Gratia & substantialis omnis gratiæ fons & principium venit. II. Gratia empta & pretio soluta est. III. Gratia perfectissima imperfectæ successit. IV. Lex nova exhibet gratiam, & ex opere operato justificat, gratia vero legis non justificat per se, sed solum ex opere operantis, concedo: gratia per Christum facta est, excludendo gratiam pro veteri Lege, nego. Solutio est D. Thomæ comm. in capit. 1. Joan. qui in quadruplici tantum allato sensu Evangelii explicat sententiam.

*Primum*, exhibet sensum, his verbis: " „ Hinc etiam perpendimus ex plenitudine ejus accipientes, Legem quidem per „ Moysen fore datam, gratiam autem et „ veritatem per Jesum Christum nedum „ fore datam, sed factam: patre quidem „ legem dante per Moysen, gratiam et „ veritatem faciente per Jesum. Sed si Jesus est qui dicit, ego sum veritas, quomodo veritas fit per Jesum? Sed intelligendum est, quod ipse est veritas substantialis, ex qua prima veritate, et „ ejus imagine sculptæ sunt multæ veritates in his qui veritatem tractant. „

*Secundum*, subindigitat sensum ibidem: " Omnis plenitudo fidelium, et quinam „ sunt, et futurorum, de plenitudine „ ejus accepimus. „ Dicente Apostolo 1. Cor. 6. *Empti enim estis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore vestro.*

*Tertium*, prodit auctoritate S. Joan. Chrysostomi homil. 13. in Joan. suffultus: " *Chrysostomus*; vel accepimus gratiam pro gratia, id est, pro veteri novam. Sicut enim est justitia & justitia, adoptio & adoptio, circumcisio & circumcisio, ita gratia & gratia: Sed illa quidem ut typus, hæc vero ut veritas. Hoc autem induxit ostendens, quoniam & Judæi gratia salvabantur, sed & nos omnes gratia salvi sumus, misericordiæ autem & gratiæ fuit legem suscipere. "

*Quartum* demum ex auctoritate S. Augustini Tract. 3. in Joan. dat: " *Augustinus* quid autem accepistis? Et gratiam pro gratia .... Quam gratiam primo accepimus? fidem. Vocatur enim gratia, quia gratis datur: hanc ergo accepit gratiam primam peccator, ut ejus peccata dimitterentur; & iterum gratiam pro gratia, id est, pro hac gratia, in qua ex fide vivimus recepturi sumus aliam, id est, vitam æternam .... Non erat ista gratia in veteri Testamento; quia lex minabatur, non opitulabatur, jubebat, non sanabat. Languorem ostendebat, non auferebat, sed præparabat medico venturo cum gratia & veritate, unde sequitur: quia lex per Moysen data est &c. mortem enim temporalem & æternam occidit mors Domini tui, ipsa est gratia quæ promissa & non exhibita erat in lege. "

*Instabis*: Atqui nec fides, nec gratia erant in Synagoga. Ergo &c. Probatur subsumptum: Fides & gratia habetur per Christum: Atqui Judæi utrumque per Christum habere non poterant. Et probatur: Duplex istud donum profluit a Christo, tum per novæ legis Sacramenta, tum per unionem membrorum cum capite: Atqui Judæi, nec Christi habebant Sacramenta, nec ipsi consociari poterant, cum nondum venerat & esset. Ergo &c. Confirmatur: Ecclesia solum per Christum fundata est, juxta illud ipsius Christi oraculum Matth. 15. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum; Fides quippe & gratia veteris Testamenti, eadem erat cum fide & gratia novi. Primo quidem, relative ad auctorem, cum eamdem haberet causam, scilicet Christi passionem. Secundo penes effectum; Judæi enim justificabantur per fidem & gratiam Mediatoris, hinc solummodo quoad modum diversa erant a fide & gratia novæ legis, hoc est, nec fides abundans, nec tam perfecta gratia erat, sicut præsente Christo fuit. Sic propugnat S. August. Tract. 45. in Joan. " Ante adventum Domini nostri Jesu Christi, *ait*, quo humilis venit in carne, præcellerunt justi, sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit. Tempora variata sunt, non fides..... Mutatus est sonus, venturus est, & venit: eadem tamen fides utrosque conjungit, & eos qui venturum esse, & eos qui eum venisse crediderunt. "

*Ad* primam probationem, distinguo minorem: Judæi non poterant habere fidem & gratiam per Christum præsentem, concedo: promissus quidem erat, sed nondum venerat. Per Christum prævisum, nego. Ipsi fide eatenus conjungebantur Judæi, quatenus illum ut Redemptorem apprehendebant, Deus vero intuitu meritorum dilecti filii sui eis gratiam conferebat, quia tamen nondum erat præsens, gratia tunc temporis non dabat actu, sicut gratia novæ Legis, hæreditatem; hinc ista priori & abundantior & efficacior est. Solutio colligitur ex S. Augustino qui epist. 140. alias 120. cap. 2. num. 5. de hoc gratiæ novæ legis beneficio, sic loquitur: " Quando felicitatem temporalem agebant, æternam veram & præferendam intelligebant; & istam ministrabant in mysterio, ut illam consequerentur in præmio. " Scilicet passionis Christi.

*Ad* ulteriorem probationem, dico Sacramenta veteris Legis, fuisse quidem diversa a Sacramentis novæ Legis penes materiam & gratiam producendi modum, cum eam solum ex opere operantis causarent, sed non penes significationem, & principalem effectum, cum virtute passionis Christi prævisæ justificarent peccatorem & jus ad hereditatem darent, quandoquidem justi & sancti veteris Legis erant filii Dei adoptivi: si filius & heres per Christum, ait Apostolus, sic solvit difficultatem Sanctus Augustinus tractat. 26. in Joan.

num.

num. 12. his verbis: " Sacramenta illa in „ signis diversa sunt ; sed in re quæ si- „ gnificatur, paria sunt . „ Idem repetit tract. 45. in Joan. Ad aliam de conjunctione membrorum cum capite difficultatem respondeo , membra corporis naturalis , non conjungi capiti, nisi caput sit vivens & præsens , secus vero membra corporis mystici: nec alio modo quam mystice per fidem , gratiam & Sacramenta justi utriusque Legis Christo capiti consociantur , si excipias unionem quæ habetur per Eucharistiam, qua eatenus Christo substantialiter unimur , quatenus illum realiter & substantialiter præsentem in hoc Augustissimo Sacramento suscipimus.

*De* hoc momento audiendus est S. Augustinus, qui lib. de Catechizandis rudibus cap. 19. hæc verba profert: " Omnes sancti qui ante Domini nostri Jesu Christi „ Nativitatem in terris fuerunt, quamvis „ ante nati sunt, tamen universo corpori „ cujus ille caput est , sub capite cohæ- „ serunt . „

*Ad* confirmationem , distinguo : Ecclesia novæ Legis fundata est a Christo supra Petri fidem , concedo : Ecclesia veteris Legis , nego . Fundata quippe fuit super fidem Patriarcharum , & potissimum Abrahæ , cui facta est promissio posteritatis longævæ : utraque Ecclesia fuit quidem quoad aliquid diversa , sed una ratione finis , & consummatoris fidei , qui teste Apostolo, non alius est præter Christum; sicut enim Christianus, sic Judæi Christum & laudabant & invocabant , juxta illud Matth. 21. 9. *Turba quæ præcedebant , & quæ sequebantur , clamabant , dicentes : Hosanna filio David , benedictus qui venit in nomine Domini*. Hinc S. Hieronymus tom. 4. Part. 1. p. 95. ait : " ostendit utrumque popu- „ lum, & qui ante Evangelium, & qui post „ Evangelium, Domino crediderunt, con- „ sona Jesum Confessionis voce laudare. „

*Dices :* Ex his sequeretur Judæos fuisse Christianos : Sed hoc dici non potest , cum ipsi odio haberent Christum . Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo : Sequeretur Judæos veteres fuisse Christianos imperfecte , concedo : perfecte , nego . Cum ad nihil perfectum, teste Apostolo , adduceret Lex , & denominatio a perfectiori desumatur , nonnisi inchoative veteres Judæi erant Christiani , vere tamen , quia ad Christum lex terminabatur , & fides viva in Christum justificabat impios . Sic docet Eusebius lib. i. Hist. cap. 4. " Cum „ Christiani nomine , *inquit* , nihil aliud „ significetur , quam vir qui per Christi „ cognitionem atque doctrinam , mode- „ stia , justitia , tolerantia , fortitudine , „ & pietatis , cultusque unius qui super „ omnia est, Dei protestione ornatus est; „ hæc omnia veteres illi non minus stu- „ diose , quam nos excoluerunt . „ Concinit S. Augustinus lib. 3. contra duas ep. Pel. cap. 4. cæterum reprobi Judæi , sed non justi Christum odio habent , cum & vivente Christo ex eis quamplurimi ipsi adhærerent.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Erat Ecclesia in veteri Lege.*

PRIMO: Idipsum innuit circumcisio: ea quippe ad cultum verum Deo exhibendum adunabantur populi.

*Secundo :* Idem colligitur ex Sacerdotibus qui ritu speciali consecrabantur ad peragenda ea quæ erant , tum pro ceremoniis cultus divini , tum alia quæ populi sanctificationem spectabant.

*Tertio :* Clarius hanc indigitant Ecclesiam sacrificia , quæ quidem in loco a Deo prælecto, scilicet Templo, offerebantur, tum ad recognitionem supremi dominii Dei , & ejus beneficiorum memoriam recolendam , tum ad nova impetranda , maxime peccatorum remissionem.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Gratia quidem per Jesum Christum facta est , sed non per exclusionem donorum pro veteri Lege , cum & Patriarchas, & Prophetas, & Martyres , & alios prope infinitos justos Synagoga habuerit : Igitur gratia abundantior facta est , & ideo aliam minorem datam in Lege supponebat.

*Secundo*: Ecclesia nova & Christi, equidem fundata est supra fidem Petri, ergone non erat alia pro Lege? Absit . Cum super fidem Abrahæ altera pro Synagoga ædificata extiterit.

*Ter-*

*Tertio* : Neque vero negamus veteris Legis justos utique fuisse Christianos, ut contendit Eusebius lib. 1. Hist. cap. 4. sed inchoative, secundum quid & imperfecte.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

*Utrum detur Ecclesia in nova Lege.*

AD istam quæstionem perfecte solvendam duo sunt explananda, unum scilicet de existentia, alterum vero de perfectione; concesso enim semel dari in nova Lege Ecclesiam a Christo fundatam, debet cæteris præcellere; unde sit

### SECTIO PRIMA.

*Num Christus novam fundaverit Ecclesiam?*

### CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

*Prima probatio ex figuris.*

FIGURÆ annuntiant veritatem: Sed multæ figuræ veteris Testamenti præluserunt Christi Ecclesiam, eamdem vero multæ similitudines Novi manifestant: Igitur datur in novo Testamento Ecclesia a Christo fundata. Probatur minor, a figurarum enumeratione.

*Prima*, est ipsa Synagogæ Ecclesia, quæ Sacrificiis, Sacramentis & Sacerdotibus suis Christi repræsentabat Ecclesiam; cum circumcisio, teste Apostolo, ad Col. 2. esset imago circumcisionis spiritualis per sacrum regenerationis lavacrum ad remissionem peccati originalis operandæ; sic enim habetur Col. 2. 11. *In quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: consepulti ei in Baptismo, in quo & resurrexistis per fidem*. Similiter Aaron Magnus Sacerdos, erat Christi typus; expressius Melchisedech legis naturalis Sacerdos. Idem dicendum de Sacrificiis; eo enim ipso quo pro diversis peccatis expiandis erant instituta, sacramentum Pœnitentiæ designabant. Agnus Paschalis juxta Patrum placita erat figura Christi, qui in ara crucis tamquam victima pro omnibus & singulis hominibus oblatus est: & sic de cæteris veteris Legis ritibus, in quibus veluti in speculo Ecclesia Christi videbatur. Non omittendum Legem, templum Salomonis ad quod Judæi ad Pascha celebrandum conveniebant, Ecclesiam multitudine & cæremoniarum, & sacrificiorum quæ in illo offerebantur splendide adumbrasse.

*Altera* Ecclesiæ Christi imago est Paradisus terrestris, qui locus omnium bonorum aggregatione perfectus designabat Ecclesiam, ex qua perenni fluxu & refluxu gratiæ, animæ adveniunt, ut æstu passionum temperata & irrorata fructum meritorum afferat in patientia, dicente Christo Apostolis Joan. 15. 16. *Posui vos ut eatis, & fructum afferatis & fructus vester maneat*. S. Augustinus lib. 4. de Baptismo capit. 1. istam figuram celebrat, his verbis: " Ecclesia paradiso compara„ ta, indicat nobis, posse quidem ejus „ Baptismum homines etiam foris acci„ pere, sed salutem beatitudinis extra „ eam neminem vel percipere, vel tene„ re. Nam & flumina de fonte paradisi, „ sicut Scriptura testatur, etiam foras lar„ giter manaverunt.... Ita fit, ut cum pa„ radisi aqua sit extra paradisum, beati„ tudo tamen non sit nisi intra paradisum; „ si ergo Baptismus Ecclesiæ potest esse „ extra Ecclesiam, munus autem beatæ „ vitæ, nonnisi intra Ecclesiam reperitur.

*Tertia*: Ecclesiæ figura est Eva, quæ sicut e latere Adami deducta est, ut initiaret cum viro Ecclesiam, & primam colentium verum Deum societatem, sic e Christi latere fluxeruut Sacramenta, & per Sacramenta novæ legis Ecclesia. Illius figuræ meminit idem Augustinus Tract. 9. in Joan. his verbis: " Dormit Adam ut „ fiat Eva: moritur Christus ut fiat Ec„ clesia. Dormienti Adæ, fit Eva de la„ tere: mortuo Christo lancea percutitur „ latus, ut profluant Sacramenta quibus „ formetur Ecclesia. Cui non appareat „ quia in illis tunc factis futura figurata „ sunt. „

*Quarta*: Ecclesiæ prælusæ imago, est arca Noe, in qua omnis generis creaturæ corporeæ viventes erant, & salvatæ sunt, extra vero existentia viventia pereunt: qua similitudine designatur Ecclesia, quæ est omnium nationum cujus-

cum-

cumque ætatis & sexus congregatio, quæ quandiu intra sinum Ecclesiæ remanent vita gratiæ vivunt & salvabuntur. S. Hieronymus istam commemorat figuram epist. ad Damasum Papam epist. 14. alias 57. in qua, sic loquitur: " Cathedræ Pe„ tri communione consocior .... Si quis „ in arca Noe non fuerit, peribit .... „ Quicumque tecum non colligit, spar„ git. „

*Secunda probatio, ex similitudinibus novi Testamenti.*

CHRISTUS, loquebatur in parabolis, ut mysteria regni cælestis ad captum auditorum explicaret: Sed sæpius ejusmodi similitudinibus suam manifestat Ecclesiam. Et probatur. Prima parabola habetur Matth. 13. 24. & est agri, in quo paterfamilias Zizania & immundas segetes cum tritico misceri voluit, & ea usque ad Messem crescere, ne si eradicarentur, simul & evelleretur triticum; qua similitudine subindigitat Ecclesiam complecti bonos & malos, justos quidem ut justificentur adhuc, peccatores vero ut corrigantur, & correpti ad meliorem redeant frugem. S. Augustinus serm. 88. alias 18. hoc ipsum de Ecclesia interpretatur. Non absimili figura sagenæ missæ in mare ex omni genere pisces congreganti. Matth. 13. 47. juxta eumdem Augustinum Tract. 122. in Joannem, Ecclesia repræsentatur. His accedit parabola convivii nuptialis Matth. 22. ad quod omnes promiscue, & nullo excepto invitati sunt; omnes quippe ad vitam vocat Christus, omnes vero credentes benigne suscipit & complectitur Ecclesia.

*Præter* istas parabolas quatuor sunt insignes in Scriptura similitudines, quibus designatur Ecclesia.

*Prima* est linteum continens omnis generis animalia, videlicet & munda, & etiam immunda, quod in terras submitti, tum postea elevari & in cœlo recipi vidit in extasi sanctus Petrus, quæ visio juxta Patres vocationem Gentium & Ecclesiam ex eis aggregatam significabat; sic enim habetur Act. 10. *Ascendit Petrus in superiora ut oraret circa horam sextam .... Cecidit super eum mentis excessus: & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia terræ, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum: surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: absit Domine, quia numquam manducavi omne commune & immundum. Et vox iterum secundo ad eum: quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.*

*Secunda*, est duplex piscatio Petri jussu Christi facta, altera ante Christi mortem, Luc. 5. altera post ejus resurrectionem, Joan. 21. utraque multitudine piscium designat Ecclesiam. Sic propugnat S. Augustinus serm. 248. alias 148. sic S. Gregorius homil. 24. in Evang.

*Tertia*, & quidem insignis fuit vestis Christi inconsutilis, quæ ex omni parte unita Ecclesiam, cujus centrum est Christus, & una in ipsum fides, significat; ut docent SS. Patres, in primis Cyprianus lib. de unitate Eccles. Hieronymus in Psal. 21. de hoc momento, & sic loquitur S. Augustinus Tract. 118. in Joan. ubi explicans, ista Psal. 21. 19. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*: ait: " Quadripartita vestis „ Domini nostri Jesu Christi, quadripartita „ tam figuravit ejus Ecclesiam, toto sci„ licet, qui quatuor partibus constat, terra„ rum orbe diffusam .... Tunica vero „ illa sortita, omnium partium significat „ unitatem, quæ charitatis vinculo con„ tinetur ... Merito ergo vestis qua *cha„ ritas* significatur, desuper contexta per„ hibetur. Inconsutilis autem, ne ali„ quando dissuatur: & ad unum per„ venit, quia in unum omnes colli„ git. „

*Quarta*, non minus splendida, est lignum vitæ Apoc. 22. fluvio aquæ vivæ irrigatum, singulis mensibus reddens fructum suum, nec maledictum, nec ulla nox est in civitate, quibus coloribus perfecte delineatur Ecclesia: lignum enim vitæ est divina Eucharistia, qua suos pascit filios: fluvius totam civitatis irrigans superficiem est Christus, e cujus passione seu etiam aperto latere fluunt, ut ex primigenio fonte charismatum dona & omnium gratiarum imbres. Fructus vero quod prodit lignum, sunt infiniti prope Martyres, Confessores, Virgines. Demum sic fide summa rutilat Ecclesia, ut

ut omnis hæresis umbram eliminet; sol quippe Ecclesiæ Christus nescit occasum, nec ipsa cum eo. Ecce S. Joannis verba. *Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.*

*Probatur ex Scriptura.*

Quæ dependent ex voluntate Dei, nobis per Scripturas manifestantur: Atqui in novo Testamento passim & ubique Ecclesia demonstratur: Primo quidem Matth. 16. *Tu es Petrus*, ait Christus Simoni *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Rursus cap. 18. 16. *Si te non audierit ... dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Act. cap. 5. 11. cap. 38. cap. 8. 1. cap. 9. 30. cap. 11. 12. cap. 12. 1. cap. 14. 23. cap. 15. 3. cap. 16. 5. cap. 18. 22. cap. 19. 32. fit mentio expressa de Ecclesia. Cap. 20. 28. hæc habentur: *Attendite vobis & universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Multus est quoque in Epistolis S. Pauli de Ecclesia sermo. Rom. 16. 16. *Salutant vos omnes Ecclesiæ*. 1. Cor. 11. *Si quis autem videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei*. Rursus: *Convenientibus vobis in Ecclesiam audio scissuras esse .... Numquid domos non habetis, aut Ecclesiam Dei contemnitis*. Tum cap. 12. 27. & 28. *vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes*. Eo loci membra Ecclesiæ commemorat, Ephes. vero 5. 23. Christum a Patre Ecclesiæ caput constitutum dicit. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam quæ est corpus ipsius*. Rursus ibidem v. 23. & seq. *Christus est caput Ecclesiæ .... Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in Verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam*. De eadem fit mentio in Apoc. 1. 4. *Joannes septem Ecclesiis*. Rursus cap. 3. 1. &c.

*Probatio ex Patribus.*

Quot Patres, tot Ecclesiæ præcones, cum Patres vocentur, eo quod illam ore excoluerint, scriptis vero contra impugnantes defenderint: sic Athanasius contra Arianos elucubravit opera, sic Cyprianus contra Donatistas librum de unitate Ecclesiæ: sic post ipsum in libris contra eosdem, adversus Manichæos & Pelagianos S. Augustinus, & alii, quos hic referre supersedeo.

*Irenæus* lib. 3. adversus Hær. cap. 3. mira de Ecclesia nova eloquitur, ostendendo Traditionem eam ab ipso Christo fundatore perenni Pastorum successione ad nos usque pervenisse, & ad consummationem usque sæculorum perseveraturam: " Quoniam, *inquit*, valde longum est „ omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ, & „ omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ „ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam „ quam habet ab Apostolis Traditionem, „ & annuntiatam hominibus fidem, per „ successiones Episcoporum pervenientem „ usque ad nos indicantes, confundimus „ omnes eos, qui quoquomodo, vel per „ sibi placentia, vel vanam gloriam, vel „ per cæcitatem, & malam sententiam, „ præterquam oportet, colligunt. „

*Probatio ex rationibus Theologicis.*

Prima: Ecclesia est veluti acies in Ministrorum distributione ordinata ad colendum Deum: Sed talis est Ecclesia Christi. Igitur datur in nova lege Ecclesia. Hanc a primo ad ultimum delineat Dionysius lib. de Eccles. Hier. ubi ostendit diversos esse in Ecclesia ordines sicut in Hierarchiis Angelorum: Sacerdotes scilicet qui Episcopi nominantur, inferiores Ministros puta Diaconos & Subdiaconos, medios vero Presbyteros. Priores præsunt, & executioni Mysteriorum invigilant: simplices Sacerdotes administrationi Sacramentorum incumbunt: ab inferioribus vero Ministri adjuvantur. Cap. 1. pag. 197. refert Hierarchiæ cælestis ordinationem,

tionem, tum Ecclesiasticam, quam ei assimilari asserit his verbis: " Illud tamen „ dicere necesse est, quomodo cum ille, „ tum omnis qui modo a nobis deprædicatur sacer Ordo, unam habeat, eam„ demque in omni sacra sua functione „ virtutem, ut & ipsemet sacri Ordinis „ Antistes pro sui status, dignitatis atque „ ordinis ratione divinis initietur ac Deo „ uniatur. „

*Altera:* Ecclesia est corpus, in quo fides statuitur simul & defenditur contra impugnantes: Atqui a Christo sic fuit: Et probatur ex omnibus Conciliis in quibus adunata Ecclesia utriusque muneris Provinciam perfecte adimplevit: Namque in Concilio Jerosolymitano definiere Apostoli in Spiritu sancto congregati legalia non amplius & ultra obligare: In Nicæno Patres dixerunt Verbum esse Patri consubstantiale, & Arianos obstrepentes abjecerunt: & sic de aliis fidei controversiis ad nostra usque tempora: Ergo &c.

*Tertia:* Ecclesia instituta legitur pro cultu vero Deo exhibendo: Atqui talis est in novo Testamento: habet enim Festivitates suas pro Mysteriorum celebratione: habet leges quibus, tum jejunii & abstinentiæ virtute, tum Verbi divini continuo disseminati efficacia mores probos instituit: habet & censuras, ut fideles a peccato committendo deterreat, & sic est Societas Sanctorum, omnibus absoluta numeris, quæ Deum colendum, & possidendum pro fine habet. Ergo &c.

*Responsa ad objectiones Heterodoxorum.*

Objiciunt: Non satis claret ubi sit Ecclesia novi Testamenti: Igitur non est admittenda. Probatur Antecedens. Ecclesia definitur congregatio Fidelium: Sed non constat ubi sint Fideles, nemo quippe scit an odio vel amore dignus sit: multi sunt charitate, immo & fide destituti: Ergo &c.

*Respondeo* negando Antecedens. Ad probationem distinguo: Nemo scit physice an sit odio vel amore dignus, concedo: nemo scit moraliter, nego. Protestantes exigunt certitudinem Physicam de gratia & fide tenenda ad justificationem, sed in hoc etiam eos anathemate ferit Concilium Tridentinum sess. 2. can. 12. 13. 14. 15. 16. sufficit ergo certitudo moralis justificationis, ut fiduciam in Christo pro vita ęterna assequenda habeamus: similiter & ut quis sit Ecclesiæ membrum satis est ut credat interius, & cęremonias Domini quibus probatur fides, custodiat. Quis autem nisi cęcutire velit, non videat Fideles hęc observare.

*Instant:* Multi sunt hypocritæ, qui ore quidem fidem Dei confitentur, factis autem & corde abnegant; hinc cum pauci sint electi, & non cognoscantur quinam sint, incertum est utique ubi sit Ecclesia, quæ modo in multis, modo in paucioribus, sed prorsus incognitis sita est. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Et remanent semper aliqui fideles, peccatores vero modo fidem servent, ab Ecclesia non excidunt, concedo: secus, nego. Elias se solum credebat fidelem, cæteros vero putabat idololatras, & tamen multo plures erant: sic enim eum 3. Reg. 19. 18. alloquitur Dominus: *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Ecclesia, ut fert axioma, non judicat de internis: Quia vero Pastores non semper adsunt, & funguntur officio, ministri Sacramenta administrant, & mysteria eodem observantiæ tenore celebrantur, dubio-procul non extincta Ecclesia, sed vivens tametsi militans perseverat.

*Reponunt:* Non una est pro Ecclesię existentia opinio. Donatistæ tempore Augustini eam in sola Africa repositam autumabant: Lutherani eodem modo de sua ratiocinantur: & ubique sunt schismata, cum illæ omnes Ecclesiæ diversæ anathematis gladio sese mutuo confodere non dubitent: Romana vero cęteras, ne una quidem excepta, anathematizat. Igitur nihil certi habetur pro Ecclesia.

*Respondeo* distinguendo: Et sola Romana est vera, quia sola Apostolica est, concedo; secus, nego. Equidem multæ circumferuntur sectæ, sed abnuuntur, cum eorum sint aut falsa dogmata, aut flagitiosi testes, aut impura moralis, aut scelerati & fidei Apostatæ auctores. Sola Romana, ut infra dicetur, est vera & visibilis Ecclesia, quippe quæ legitima Pastorum a Christo per Petrum & Apostolorum suc-

successione innitatur. Sic solvit argumentum S. Augustinus epistol. 53. alias 165. " In hoc ordine, *inquit*, successionis nullus Donatista Episcopus invenitur: sed ex transverso ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Afris in urbe Romana Montensium vocabulum propugnavit. "

*Urgens*: Orientales servaverunt legitimam Pastorum successionem: Atqui tamen vera Ecclesia non est apud eos: Igitur Ecclesia est commentum.

*Respondeo* distinguendo: Orientales habent legitimam Pastorum successionem quoad aliquid, transeat; licitam, nego. Ut primum Orientales schismate tum & hæresi divulsi sunt ab Ecclesia Romana, cessavit vera successio, cum non habeant amplius relationem ad Petrum, & ad sedem Romanam quæ est unitatis centrum ac totius successionis vinculum: secundum quid tamen habent, quatenus in eis remansit character Ordinis; & sicut Episcopos creare, sic & Presbyteros consecrare valent. Ita colligitur ex Irenæo lib. 3. adversus hos cap. 3. " Ad hanc enim Ecclesiam *Romanam*, propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio .... Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia Traditio & veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam & eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata & tradita in veritate. "

*Reponunt*: Vel ipsos inter Romanos non semper cohæret unitas ad veram Ecclesiam requisita: Ergo &c. Probatur multipliciter. I. Defuncto summo Pontefice, deest Ecclesiæ caput. II. Et tempore schismatis, cum plures sint Papæ; Papa autem dubius, Papa nullus, ut fert juris adagium. III. Non omnes obediunt summo Pontifici, ut non semel in Novatoribus compertum est; & infelici exitu etiam in illo ævo comperitur. Quæ & similia argumenta probant Ecclesiam esse invisibilem & incertam.

*Respondeo*, Ecclesiam mortuo summo Pontifice, perseverare in sede Apostolica, quæ ex jure avito vim habet novum eligere Pontificem, & aliis Ecclesiis, cum opus est, invigilare. Sic eodem jure tempore schismatis providet & satagit ut cuncta in unitatis centro consocientur: immo & adunare Concilium pro bono pacis assequendo potest: mortuo S. Cornelio, congregavit Synodum sancta Sedes ad debellandos Libellaticos, quam universa Ecclesia ratam habuit. Hoc ipsum quotidiana comprobat experientia: extincto enim Episcopo, Vicarii generales diœcesim statutis suis regunt, & fidelibus suæ jurisdictionis imperant. Cæterum absque causa rebellant Novatores, maxime cum condemnationi quinque Propositionum non semel accesserit totius Ecclesiæ consensus. Quidquid sit, quilibet fidelis tenetur ea qua par est obedientia & reverentia summorum Pontificum leges & placita venerari: ut universim propugnant Theologi, & inter recentiores Tournely art. 3. de summo Pontifice.

*Persistunt*: Si quid repræsentaret Ecclesiam, maxime Concilia: Atqui illam sæpius non repræsentant. Et probatur: Sæpius quod unum approbat, aliud idipsum abjicit, ut patet de conventu Ariminensi a Liberio summo Pontifice, & aliis subsequentibus Conciliis reprobato. Quid plura? Quod Concilium etiam Oecumenicum sancivit, summus Pontifex quandoque abnegat: sic Damasus Papa non septem canones Concilii secundi generalis, sed solum primum contra Macedonianos probavit. Sic S. Leo non omnes actiones Concilii Chalcedonensis, sed tantum sex suo munivit calculo: Ergo &c.

*Respondeo* hæc & similia ipsam Ecclesiæ existentiam probare. Hinc unum arguunt instantiæ, videlicet fidei controversias ad metam non perduci, donec accedat summi Pontificis consensus. Unde ad hæc omnia distinguo: quandoque in Ecclesia quidam non concordant, sed controversia terminatur, quando Concilio accedit summi Pontificis consensus, concedo: & numquam ad metam perveniant, nego. Deo enim providente fidei controversiæ sic terminatæ sunt, & major saltem pars Ecclesiæ summo adhæsit Pontifici. Hinc Patres Chalcedonenses anathema interminati sunt decem circiter Ægypti Episcopis

pis qui epistolæ S. Leonis pro fide incarnationis obedire nutabant.

*Contra :* Ecclesia est Fidelium in cultu Dei adunatorum coetus: Sed hoc inpræsentiarum compertum non habemus. Et probatur. Non idem sunt ritus Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem. Ad probationem distinguo: Non idem sunt ritus quoad modum & circumstantias quasdam accidentales, concedo: quoad substantiam, nego. Servatur in utraque ordo Hierarchiæ tum consecrando Episcopos, tum inter ordinandum Sacerdotes: idem peragitur sacrificium, eadem conficiuntur Sacramenta: quod vero quædam fusiores preces fundantur pro Sacramentorum confectione in una Ecclesia, & novi addantur ritus qui non sunt idem in altera, parum aut nihil absolute refert, cum ubique intacta maneat confectio mysterii.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Datur Ecclesia Christi.*

PRIMO: Hoc annuntiant figuræ in veteri Testamento, videlicet arca Noe, in qua omne animal erat: hoc piscatio Petri & sagena missa in mare, ex omni genere pisces congregans: hoc verba Christi ad Petrum Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

*Secundo :* Idem patet ex successione Pastorum, & Hierarchia Ecclesiastica: item ex Sacrificio perpetuo, & Sacramentorum administratione.

*Tertio :* Quot Conciliа tot Ecclesiæ præcones; affulget Ecclesia in Patribus, qui pro ea adversus hæreticos decertaverunt; in Martyribus, quorum sanguis fuit semen Christianorum; in Pastoribus, qui gregi sibi concredito invigilant, qui pabulo doctrinæ illum pascunt, & ab eodem mira & paterna solicitudine arcent lupos.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Gratis Protestantes Ecclesiam prædicant invisibilem ut illam evacuent; adest enim in summo Pontifice & Pastoribus illis conjunctis: " Scire debes, „ *ait Cyprianus epistol.* 69. Episcopum in „ Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episco- „ po. „

*Secundo :* Aliæ sectæ a vera Ecclesia deficiunt, secus vero Ecclesia Romana, quæ legitima & interrupta a Petro ad nos usque Pastorum successione innititur.

*Tertio :* Nec mors summi Pontificis, nec schisma Ecclesiam subvertit; perseverat in Sede Apostolica, ut regens & gubernans, tum in cæteris fidelibus Pastoribus, qui illi conjuncti manent; dictum est enim Matth. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Igitur sola Romana Ecclesia manet infallibilis & indefectibilis, sola vera, sola sancta, & hoc ex professo probare aggredimur.

## SECTIO SECUNDA.

*Utrum Ecclesia novi Testamenti sit Ecclesia Legis scriptæ perfectior? Et possit esse extra Ecclesiam Romanam in aliis sectis salus?*

## CONCLUSIO PRIMA.

*Ecclesia novi Testamenti est cæteris perfectior.*

PROBATUR unico, sed efficaci argumento: Illa Ecclesia est præcedentibus perfectior, I. Quæ gratiam & veritatem attulit. II. Quæ Mediatorem præsentem & hominibus loquentem exhibet. III. Cujus sacrificium in immensum excedit sacrificia Legis naturæ & scriptæ. IV. Quæ habet Sacramenta virtute majora. V. Ex cujus plenitudine quoquot fuerunt ab initio mundi ad nos usque fideles sunt & futuri sunt, acceperunt, accipiunt & ad consummationem usque sæculi accipient. VI. Quæ instituta & formata est sanctissima. VII. Quæ mandatis purissimis sic instituit mores, ut paret Deo populum acceptabilem. VIII. Demum quæ consiliis Evangelicis filios suos ad supremum perfectionis apicem conducit: Atqui talis est Ecclesia novi Testamenti: Igitur Ecclesia Legis naturæ & Legis scriptæ perfectior est. Minor de se patet, cum promissa in aliis Legibus adimpleta in Christo

sto exhibeat novi Testamenti Ecclesia: ceteræ vero Ecclesiæ umbris erant circumseptæ, veritas vero prelusa, votis petita, sacrificiis advocata, nunc in Ecclesia presens apparet, rutilat, & fulget: attamen probatur quoad singulas partes.

*Primo quidem:* Gratiam & veritatem attulit Christus Ecclesiæ caput, dicente Joanne capit. 1. *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Jesum Christum facta est.*

*Secundo:* Redemptorem presentem exhibet Ecclesia; sic enim habetur Heb. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

*Tertio:* Sacrificium Christi in ara crucis oblatum, & in Missa quotidie renovatum, est infiniti valoris. Hinc precedentia omnia sacrificia virtute & merito superat, juxta illud Apostoli Heb. 10. 14. de Christo: *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

*Quarto:* Ecclesia Sacramenta præ ceteris habet eminentiora, quandoquidem ex Concilio Florentino & Tridentino gratiam ex opere operato producunt; primum in decreto Eugenii IV. sic loquitur: *Septem sunt Sacramenta nova Legis, scilicet Baptismus . . . Quæ multum differunt a Sacramentis antiquæ Legis: illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.* Alterum vero sess. 7. can. 8. sic pronuntiat: *Si quis dixerit, per ipsa nova Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam . . . anathema sit.* Quid plura adjiciam? Eucharistia unum de septem Sacramentis continet realiter, substantialiter corpus & sanguinem Christi. Ergo &c.

*Quinto:* Omnes a mundo condito homines ex plenitudine Ecclesiæ novæ Legis, videlicet ex plenitudine Christi ejus capitis accipiunt: Scriptum est enim Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* De hoc momento loquitur S. Augustinus epist. 190. alias 157. " Profecto quod scriptum est, non esse aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est genus humanum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. Quia sicut in regno mortis, nemo sine Adam: ita & in regno vitæ nemo sine Christo. "

*Sexto:* Ecclesia novi Testamenti vi institutionis suæ est sanctissima, quippe quæ e Christi fluxerit latere: eam emit Dominus Jesus sanguine suo: super Apostolos & Prophetas veluti super totidem fundamenta ædificata est, juxta illud S. Pauli Eph. 2. *Jam non estis hospites & advenæ: sed estis cives sanctorum & domestici Dei: superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Expressius Eph. 5. 25. & 26. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.*

*Septimo:* Mandatis suis Ecclesia instituit mores, ut infinite prope Martyres, Confessores & Virgines quos formavit, probant; nec non levius indicat Apostolus ad Tit. 2. 14. *Dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.* Mira de hoc momento profert Tertul. Apolog. cap. 45. pag. 39. ubi sic loquitur: " Nos ergo soli innocentes? Quid mirum, si necesse est? Enim vero necesse est innocentiam a Deo edocti, & perfecte eam novimus, ut a perfecto magistro revelatam, & fideliter custodimus, ut ab incontemptibili dispectore mandatam. Vobis autem humana æstimatio innocentiam tradidit, humana item dominatio imperavit. Inde nec plenæ, nec adeo timendæ estis disciplinæ ad innocentiæ veritatem. Tanta est prudentia hominis ad demonstrandum quid vere bonum, quanta auctoritas ad exigendum? Tam illa falli facilis, quam ista contemni. Atque adeo, quid plenius dictum est: Non occides, an etiam docere, ne irascaris quidem? Quid perfectius prohibere adulterium, an etiam ab oculorum solitaria concupiscentia arcere? Quid eruditius de maleficio, an & de maliloquio interdicere? ... Enim vero nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito soli innocentiæ occurrimus. "

Octa-

*Octavo:* Ecclesia votis consecrat Virgines, ita ut quo altius evehatur anima, non habeat. Hanc virginitatis dicatæ virtutem suadet Christus Matth. 19. ubi ait quosdam se propter regnum Dei castrare. Hanc sub symbolo prudentum Virginum ibidem cap. 25. exaltat. Demum vitæ perfectæ & Angelicæ ipse assignat regulas Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Rursus Matth. 19. 29. & 30. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipit & vitam æternam possidebit.* Cæterum omnia paucis concludit Apostolus Heb. 7. 19. dicens: *Nihil enim ad perfectum adduxit lex*; e contra vero Ecclesia Christi.

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Extra Ecclesiam Romanam non est salus, & in aliis sectis.*

SOCINIANI contendunt non esse ad salutem necessarium omnes fidei articulos credere. Concinit Minister Jurius, qui in suo de Ecclesiæ systemate illam definit congregationem multorum quibusdam fidei articulis fundamentalibus convenientium; quos quidem omnes ad unum veluti scopum & finem deducit, ut scilicet unusquisque credat Deum esse: hinc & Lutheranos & Calvinistas & Nestorianos aliosque hujus furfuris homines salvari posse autumat: quod quidem systema veluti turrim Babel construxit, ut suos vinculis plusquam ferreis vinciret, ne quis a falsa sua religione deterreretur: hoc systema doctissime confutavit D. Nicol. ann. circiter 1680.

Probatur conclusio multis momentis.

*Primo, ex Scriptura sacra.*

MATTH. 12. 30. ait Christus: *Qui non est mecum, contra me est.* Capit. 16. 19. sic Petrum alloquitur: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis:* Sed Hæretici sunt contra Ecclesiam, & 1. Joan. 2. vocantur Antichristi: Sed Schismatici non audiunt Ecclesiam: Sed in sola Ecclesia Romana est potestas ligandi atque solvendi; constat enim ex Traditione solam esse Christi sponsam, fidem cnim a Christo per Petrum acceptam perpetua Pastorum successione incontaminatam servavit: Ergo &c.

*Rursus:* Apostolus ad Titum III. præcipit Hæreticum post unam aut alteram correptionem vitandum esse, eo quod sit proprio condemnatus judicio. Tum ad Galat. 5. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Demum Apoc. 2. facta Nicolaitarum reprobantur, ut quisque intelligat solam Romanam Ecclesiam esse veram Ecclesiam.

*Secundo, ex sanctis Patribus.*

*Ecclesia*, una est, ut dicitur in Symbolo Nicæno his verbis: *Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Sed illa una Ecclesia ex SS. Patribus est Romana: Ergo &c. Probatur minor ex sententiis Patrum.

*S. Cyprianus* epist. 40. ad plebem: " Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri præter unum altare, & unum Sacerdotium, non potest. Quisquis alibi colligit, spargit. "

*Optatus Milevitanus* lib. 2. contra Parmenianum n. 2. " Igitur negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam .... In qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur .... ut jam Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. "

*Hieronymus* subscribit epist. 14. alias 57. ad Damasum Papam: " Cathedræ Petri communione consocior.... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, spargit. "

*Gregorius IX.* epist. 198. lib. 13. ait: " Licet plures populi in cultum sint catholice fidei congregati, omnes tamen, una censetur Ecclesia, dum uni capiti Christi Vicario & B. Petri successori cervice

„ reverentiam exhibent. Reliqui vero qui „ ejusdem capitis se non membra constituunt, quasi monstra sine capite in „ viam perditionis abscedunt. „

*Tertio, ab exemplis Patrum & Imperatorum qui noluerunt communicare cum iis qui non erant Ecclesiæ Romanæ membra.*

VELUT Christi adversarii Schismatici & Hæretici propulsi sunt: Igitur sola Romana Ecclesia est vera Ecclesia, extra quam non est salus: Probatur antecedens, I. ex S. Joan. qui, teste Irenæo lib. 3. cap. 3. videns Cerinthum in balneo publico, statim recessit, & a balneo abstinuit, ne cum Hæretico quodammodo communicare videretur: II. S. Polycarp. ut scribit Hieronymus, Marcionem sibi obvium animadvertens, non solum salutationem datam illi reddere noluit, sed Marcioni illum interroganti, num illum dignosceret, respondit, Agnosco primogenitum diaboli. Neque vero ipse Irenæus voluit communicare cum Hæreticis: Justinus eos veluti impios & Atheos haberi vult. Lactantius lib. 4. cap. 30. dicit: cum Marcionitæ aut Ariani nominantur, Christiani esse desierunt; Tertullian. vero lib. de præscr. sic loquitur: " Si „ Hæretici sunt, Christiani esse non pos- „ sunt. „ Idem docet S. Cyprianus lib. de unitate Eccl. Quid plura? Constantinus Magnus Sectatores Arii non permisit nominari Christianos: Theodosius & Valentinianus Imperatores lege statuerunt, ne Hæretici Christiani nomine donarentur. Ex his duo sequuntur: I. Solam Ecclesiam Catholicam Romanam esse veram Ecclesiam: II. Cæteras Ecclesias esse Satanæ Synagogas, hoc est, Hæreticos esse extra Christi Ecclesiam.

*Idem* probatur rationibus Tertulliani ex lib. de præscript. contra Hæreticos deductis, editionis Parisiensis ann. 1634. prima sic proponitur: illa sola Ecclesia est vera, quæ habetur ab ipsis Apostolis emendata Ecclesia: Atqui hoc sic est &c.

*Quarto, ex aliis rationibus Tertulliani.*

PRIMA eaque valida: Illa sola Ecclesia est vera, extra quam non est salus, quæ sola veras habet Scripturas: Atqui sola Romana Ecclesia habet; e contra vero Hæretici. Sic loquitur Tertullianus lib. de præscript. cap. 27. pag. 24. ubi de Hæreticis sic loquitur: " Tenent correptas ab Apostolo Ecclesias, o insensati „ Galatæ! Quis vos fascinavit? Et tam „ bene currebatis, quis vos impediit? „ Ipsumque principium? Miror quod sic „ tam cito transferimini ab eo qui vos „ vocavit in gratiam, ad aliud Evange- „ lium. Item ad Corinth. scriptum, quod „ essent adhuc carnales, qui lacte educa- „ rentur nondum idonei ad pabulum; qui „ putarent se scire aliquid quando non- „ dum scirent, quemadmodum scire opor- „ teret. Cum correptas Ecclesias oppo- „ nunt, credant emendatas: sed & illas „ recognoscant, de quarum fide & scien- „ tia & conversatione Apostolus gaudet, „ & Deo gratias agit: quæ tamen hodie „ cum illis correptis unius institutionis „ jura commiscent. „

*Quibus* verbis propellit Heterodoxorum objectionem, qua contendebant Ecclesias suas esse genuinas, tametsi in aliquibus punctis fallibiles, cum & ipsæ ab Apostolis fundatæ Ecclesiæ in aliquo defecissent, & fuissent correptæ: Respondet enim Tertullianus emendatas quidem fuisse istas Ecclesias, sed ab Apostolis, & jura fidei cum Ecclesia universali unitate catholica servasse, quod nusquam fecere Hæretici, qui ab unitate Ecclesiæ Christi & Petri divulsi manserunt: Ex quo infert Hæreticos non esse de Ecclesia.

*Altera* momentosa ratio hæc est: Non potuit errare Ecclesia Christi Petro concredita, alias inutiliter & Apostoli, & infiniti prope Martyres suum pro fide Petri tenenda fudissent sanguinem: Sed si Hæretici essent de vera Ecclesia, jam veritas Mysteriorum foret ante fidem, cum illa fidem quæ est a Petro & ab Apostolis non habeant, sed novam prorsus induxerint; jam homines essent Christiani ante ipsum Christum, cum fidem fide Christi antiquiorem haberent, namque jactitant Hæretici se habere fidem, & tamen illa est prorsus a fide Petri diversa: Igitur ipsa fide Christi antiquior: Si vero posterior & nova, jam est mendacium: Ergo &c.

*Sic* Tertullianus revincit Heterodoxos ibidem cap. 28. pag. 241. his verbis; A-

ge

„ ge nunc. Omnes erraverint; deceptus „ sit & Apostolus de testimonio reddendo quibusdam; nullam respexerit Spiritus sanctus, uti eam in veritatem „ deduceret; ad hoc missus a Christo, „ ad hoc postulatus de patre, ut esset „ Doctor veritatis: neglexerit officium „ Dei Villicus, Christi Vicarius, sinens „ Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere quod ipse per Apostolos „ prædicabat: Ecquid verisimile est, ut tot „ ac tantæ in unam fidem erraverint? „ Nullus inter multos eventus est unus „ exitus; variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterum quod apud „ multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos errasse qui tradiderunt? Quoquo modo sit erratum, tamdiu utique regnavit error, quandiu hæreses non errant. Aliquos Marcionitas „ & Valentinianos liberanda veritas expectabat: interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia, „ millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata: „ tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa: tot denique Martyria perperam coronata. Aut si nec perperam, „ nec in vacuum, quale est ut ante res „ Dei currerent, quam cujus Dei notum esset? ante Christiani, quam Christus inventus? Ante hæresis, quam vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit: postremo similitudo succedit. Cæterum, satis ineptum, ut prior in doctrina hæresis habeatur; vel quoniam ipsa est quæ futuras hæreses cavendas prænuntiabat. „ Ad ejus doctrinæ Ecclesiam scriptum „ est, immo ipsa doctrina ad Ecclesiam „ suam scribit: Etsi Angelus de cœlo „ aliter evangelizaverit citra quam nos; „ anathema sit. „

*Ex* his verbis sequitur illam Ecclesiam esse solam veram Ecclesiam, eamque infallibilem, in qua cæteræ Ecclesiæ particulares in fide adunantur; impossibile enim est, teste Tertulliano, aliquod esse erratum circa fidem in quo universus convenit orbis: Atqui talis est Ecclesia Romana: Igitur extra Ecclesiam Romanam non est salus.

*Tertia*: Illa sola est vera Ecclesia, extra quam non est salus, quæ suam probat doctrinam & fidem miraculis: Atqui nullæ Ecclesiæ præter Romana suam missionem & doctrinam miraculis probaverunt: Ergo &c. Ista ratio est Tertulliani ibidem cap. 30. pag. 242. his verbis: " Volo igitur & virtutes eorum, *de* „ *Hæreticis loquitur*, proferre, nisi quod „ agnosco maximam virtutem eorum, „ qua Apostolos in perversum æmulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt. „

*Quarta*: Nulla Ecclesia censetur Catholica & Christiana, quæ suam non ducit a Christo originem: Atqui sola Romana, cæteræque particulares quæ cum ea consociantur & in unitatem fidei conspirant, suam ducunt a Christo originem: Ergo &c. Ista ratio traditur a Tertulliano ibid. cap. 32. pag. 243. ubi Hæreticos sic alloquitur: " Edant ergo origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem Episcoporum suorum, „ ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ „ Apostolicæ census suos deferunt: sicut „ Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum a Joanne conlocatum refert: Sicut Romanorum Clementem a Petro „ ordinatum edit: proinde utique & ceteræ exhibent quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant: confingant tale aliquid Hæretici. Quid enim illis „ post blasphemiam inlicitum est? Sed „ etsi confinxerint, nihil promovebunt, „ Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diversitate & „ contrarietate sua pronuntiabit, neque „ Apostoli alicuius auctoris esse, neque „ Apostolici: quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciverunt, & aliter prædicaverunt. Ad „ hanc itaque formam provocabuntur ab „ illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex „ Apostolis, vel Apostolicis, auctorem „ suum proferant, ut multo posteriores,

„ quæ denique quotidie instituuntur : „ tamen in eadem fide conspirantes , „ non minus Apostolicæ deputantur pro „ consanguinitate doctrinæ. „

*Quinta* : Illa sola Ecclesia est vera , quæ sanguine Apostolorum propagata est, quæque est fidei & unitatis centrum , quæ Scripturas immaculatas servavit , & cujus Ministrorum ordinationes sapiunt Christi sanctitatem : Atqui sola Ecclesia Romana est unitatis fidei centrum : Sola Scripturas sacras non interpolatas habet & servat : sola ordinationes legitimas possidet : Igitur extra eam neque vera ulla Ecclesia , neque salus : Probatur minor quoad singulas partes.

*Primam* sic defendit Tertullianus ibidem cap. 36. pag. 245. „ Age jam qui „ voles curiositatem melius exercere in „ negotio salutis tuæ , percurre Ecclesias Apostolicas , apud quas ipsæ ad„ huc cathedræ Apostolorum suis locis „ præsidentur , apud quas ipsæ authen„ ticæ litteræ eorum recitantur , sonan„ tes vocem , & repræsentantes faciem „ uniuscujusque. Proxime est tibi Achaja , „ habes Corinthum : si non longe es a „ Macedonia habes Philippos , habes Thes„ salonicenses . Si potes in Asiam ten„ dere , habes Ephesum . Si autem Ita„ liæ adjaces , habes Romam , unde no„ bis quoque auctoritas præsto est . Ista „ quam felix Ecclesia cui totam doctri„ nam Apostoli cum sanguine suo profu„ derunt: ubi Petrus Passioni Dominicæ „ adæquatur. Ergo &c. „

*Secundam* minoris partem probat Tertullianus ibid. 37. cap. pag. 246. Eo loci sic insurgit adversus Heterodoxos : “ „ Vos certe exheredaverunt semper , & „ abdicaverunt , ut extraneos , ut ini„ micos . Unde autem extranei & ini„ mici Apostolis Hæretici , nisi ex di„ versitate doctrinæ , quam unusquisque „ de suo arbitrio , adversus Apostolos „ aut protulit , aut recepit ? Illic igi„ tur & Scripturarum & expositionum „ adulteratio deputanda est , ubi diversi„ tas doctrinæ invenitur : Ergo &c.„

*Tertiam* denique partem minoris Tertullianus cap. 41. pag. 247. probat illudendo & ordinationibus Hæreticorum , & ipsis Ministris ab eis consecratis : “ „ Omnes, *inquit*, tument , omnes scien„ tiam pollicentur . Ante sunt perfecti „ Catechumeni quam edocti. Ipsæ mulie„ res Hæreticæ , quam procaces ! quæ „ audeant docere , contendere , exorci„ smos agere , curationes repromittere , „ forsitan & tingere . Ordinationes eo„ rum temerariæ, leves , inconstantes , „ nunc Neophitos conlocant, nunc sæcu„ lo obstrictos , nunc Apostatas nostros , „ ut gloria eos obligent. „

*Dices* : In aliis sectis sunt Christiani ; Ariani enim , Nestoriani , Protestantes habent Christum ut suæ vicissim Ecclesiæ caput , & uti talem agnoscunt . Igitur tametsi ab Ecclesia Romana divulsi, possunt tamen salvari.

*Respondeo* I. non sufficere ad salutem , Christum habere suæ sectæ caput , sed eodem ipso testante Matth. 18. 17. quisque tenetur audire Ecclesiam , sin minus habendus est ut Ethnicus & Publicanus : hinc Jacob 2. 10. habetur : *Quicumque autem totam legem servaverit , offendat autem in uno , factus est omnium reus.*

*Respondeo* II. distinguendo : In aliis sectis sunt Christiani voce-tenus & nomine , concedo : vere & realiter , nego . Non habent fidem , unde juxta Patrum definitionem, non sunt Christiani.

*His* omnibus Tertulliani rationibus accedit definitio Conciliorum omnium adversus Hæreticos adunatorum , quæ illos extra Ecclesiam esse declaravere , immo anathematis gladio velut membra putrida ab ejus sancto corpore resecaverunt.

*Diluuntur Socinianorum objecta.*

Objiciunt : Omnes fidei articuli non sunt fundamentales : Igitur aliæ Ecclesiæ tametsi a fide Ecclesiæ Romanæ quantum ad aliqua dogmata divulsæ , possunt salutem assequi : Probatur antecedens . Non opus est ad salutem credere v. g. historias, quarum multus est sermo in Scripturis : Ergo &c.

*Respondeo* negando antecedens : eo enim ipso quo omnes fidei articuli eodem Dei verbo innituntur , omnes utique cadunt sub præceptum : non negamus tamen quosdam præ cæteris esse eminentiores

quos

quos explicite credere necesse est, quale est mysterium sanctissimæ Trinitatis, qualis Dominica Incarnatio, & quædam alia momenta.

*Ad* probationem distinguo: Unusquisque sub pœna salutis incurrenda non tenetur credere historias, si sit Doctor & pater Ecclesiæ, nego: si sit homo privatus & laicus, subdistinguo; non tenetur credere explicite, concedo: implicite, nego. Proceres Ecclesiæ, utpote a Spiritu sancto constituti pro ipsa Dei Ecclesia regenda, cuncta fidem spectantia apprime debent scire & credere; scriptum est enim Malach. 2. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus*: eo quippe fine, ut habetur Act. 20. 28. *Vos Spiritus sanctus posuit ... regere Ecclesiam Dei*, ne populi circumferantur omni vento doctrinæ humanæ in suam prorsus perniciem. Ipsi vero populi principalia Mysteria explicite, cæteros vero articulos saltem implicite credere debent, hoc est, omne quod in divinis continetur Scripturis.

*Instant*: Si Ecclesia Romana sola foret vera Ecclesia, maxime quia ei inest potestas ligandi atque solvendi, propter ista verba Christi Petro dicta: *Quæcumque alligaveritis, &c.* Sed non constat summos Pontifices & Episcopos bene ligare & solvere ab Ecclesia Romana extraneos: Et probatur: ipsi omnes in Conciliis & in fidei controversiis sunt extraneorum partes: Igitur non constat eos ligare vel solvere alios qui sunt extra Ecclesiam Romanam.

*Respondeo* negando minorem, auctoritas quippe ligandi atque solvendi data a Christo Ecclesiæ ipsa Christi auctoritate innititur, quocirca est infallibilis, & sicut recte ligat, sic & rite solvit. Ad probationem distinguo: Summi Pontifices & Episcopi sunt partes in Conciliis, sed ab ipso Christo institutæ, & pro bono Ecclesiæ publico, concedo: partes pro bono particulari, & ulla absque auctoritate, nego: omnis potestas est a Deo, & qui resistit potestati, Deo ipsi resistit, inquit Apost. quocirca Judices a Regibus constituti pro dirimendis civilibus controversiis, a fortiori Judices Ecclesiastici pro rebus religionis stabiliti in definiendis litibus non dicuntur litigantium partes, sed Judices: hinc Rex per suos Ministros, Christus vero per summum Pontificem & Concilia Oecumenica dirimunt controversias, ille civiles, iste Ecclesiasticas: Igitur si judices partes quandoque nominentur pro bono publico, partes sunt seu potius boni publici patroni.

*Urgent*: Atqui Ecclesia etiam Romana non semper audienda est in judiciis suis: Ergo &c. Probatur subsumptum. Audienda est solum in iis quæ sunt ad salutem necessaria: Sed aliæ sectæ in iis illam audiunt: Primo quidem quoad palmaria Mysteria, Trinitatis scilicet, Incarnationis, gratiæ necessitatis, Sacramentorum; Protestantes quippe hæc omnia credunt: Igitur possunt salvari in sua vicissim religione, cum essentialia ad salutem retineant.

*Respondeo* negando subsumptum: Ad probationem nego minorem: Cæcutit Jurius dum hoc propugnat; neque enim ipse & sectæ suæ confratres in necessariis ad salutem audiunt Ecclesiam, I. ab ea divulsi sunt, nec capiti Ecclesiæ Summo Pontifici obediunt: II. Realitatem corporis Christi in Eucharistia abnuunt, justificationem imputativam, & gratiam necessitantem propugnant, tum & alios habent nævos, quos hic texere non opus est. Cæterum non credunt sicut oportet, hinc ab ipsa fide excidunt. Ad probationem ulteriorem ejusdem minoris respondeo distinguendo: Protestantes retinent momenta essentialia aliqua, concedo: omnia, nego: immo vel ipsa capitalia Mysteria non credunt fide divina, sed solum humana.

## SYNOPSIS PROBATIONUM,

*Ecclesia novi Testamenti I. est perfectior Ecclesia Legis natura & scripta. II. Extra eam non est salus.*

PRIMUM patet juxta illud Joan. 1. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est*. Hoc ipsum satis definivisse videntur Concilium Florentinum & Tridentinum: Primum quidem in decreto unionis, ubi ait cæterarum legum Sacramenta gratiam in se non habuisse, quippe quæ illam solum per Christum dandam significarent, nostra

vero illam continere; addit Tridentinum illam ex opere operato producere. Cæterum ait Apostolus Heb. 7. 19. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex:* E contra vero Ecclesia novi Testamenti.

*Secundum* utique claret, nempe in aliis sectis non esse salutem: Sic ipse definit Christus Matth. 18. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*: Sic omnium Patrum cœtus declaravit, Cyprianus epist. 40. Hieronymus ex professo epist. 14. ad Damasum, &c. Sic omnia Concilia contra Hæreticos adunata, quæ ab Ecclesia vera illos ejecerunt.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametsi omnes fidei articuli non sint æqualis ad salutem necessitatis, omnis tamen fidelis eos credere tenetur, eminentiores quidem explicite, cæteros vero implicite.

*Secundo*: Allucinantur Hæretici rebelles, dum in controversiis fidei Ecclesiæ Proceres ut partes habent: sunt enim a Christo constituti Judices; hinc incassum eorum judicium declinare tentant.

---

## ARTICULUS QUARTUS.

*De falsis Religionibus.*

NON est animus hic texere falsarum omnium, immo & stupidarum Religionum historiam, maxime vero cum in prima parte ubi de existentia & unitate Dei, de auctoribus, tum idololatriæ, tum duorum primorum principiorum admittentium tractaverimus.

*Unum* inpræsentiarum sufficit ad propositum, aliquid dicere de origine, & progressu Religionis Mahumetanæ, quæ crevit in pejus in totis fere mundi partibus.

### ORTUS.

REVERENDUS Pater Antonius le Grand Duacensis Fratrum Minorum Recollectorum Anglorum quondam Minister Provincialis, in suo opusculo de historia Hæresiarcharum pag. 185. 186. 187. 188. Sic delineat Mahumetanæ Religionis historiam: " Mahometes, seu Mahometus, „ novus Hæresiarcha, Turcarum Pseudo- „ propheta exoritur apud Homeritas, si- „ ve in Arabia felice, sub Heraclio Impe- „ ratore, & Honorio I. Romano Ponti- „ fice, Dagoberto item Francorum Re- „ ge, & Hisebo Hispaniarum Rege, cir- „ ca annum Domini 630. ex infima sor- „ te primum servus, & camelis pascen- „ dis addictus, prorsusque litterarum in- „ scius, locupletis heræ suæ effectus co- „ njux, deinde Pseudo-prophetes, postre- „ mo Princeps atque Legislator. Opera „ Sergii Monachi exitialem ex Judaismo, „ Arianismo, & Ethnicismo sectam con- „ flavit cum dæmone, morboque comi- „ tiali correptus frequens corrueret, uxori „ cæterisque persuasit se Angeli Michae- „ lis conspectu & colloquio sic conster- „ nari. Formidabilem se exhibuit fami- „ liarium cæde, ac præsertim consangui- „ neorum. Et cum regnum affectaret ad „ quod ob generis vilitatem pervenire „ non posset, quæsita religionis specie, „ & nomine Prophetæ grassandum sibi es- „ se decrevit, unde volumen, quod *Al-* „ *coranum* vocavit, impuris & infelici- „ bus, Bayræ & Sergii, ut dictum est, „ præceptionibus effinxit, quod e cœlo „ ad se delatum mentitus, observandum „ suis sectatoribus tradidit. „

*Dogmata Alcorani.*

MAHUMETES varia insulsaque, immo & ridicula, credenda & tenenda in Alcorano suis proponit. Si quidem docet

*Primo*: Deum in essentia, & personis unum esse, ac proinde eum non esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, nec Deum habere aliam sibi æqualem personam.

*Secundo*: Christum Jesum esse vere unigenitum Dei Filium, Patri similem, ante mundum creatum: Spiritum, seu flatum Dei, animam Dei, virtutem Dei, sapientiam, verum Dei verbum, Messiam maximum, & beatissimum, Angelis & Prophetis supereminere.

*Tertio*: Christum quidem esse Dei verbum, sed creatum, atque servum, quem

falsus

factus est ex Maria Virgine sine semine generatum: aiebat enim verbum ac spiritum Dei, cum in Mariam introisset, Filium genuisse, qui Dei Propheta & servus esset. In Alcorano sic habetur ut legenti patebit.

*Quarto*: Contendit Judæos voluisse quidem Christum contra legem in crucem agere, sed cum eum apprehendissent & tenuissent, ejus tantum umbram cruci affixisse; ipsum vero nec in crucem actum esse, nec mortuum. *Damascen. de hæres.*

*Quinto*: Impossibile esse asseruit, ut Deus Filium habeat, hac ratione motus, quoniam nemo absque femina fieri potest pater, ac proinde nec filium habere, Deum autem nec genitum, nec generatum esse. *Petrus Cluniac. in Summula.*

*Sexto*: Diabolum non ex nihilo, sed a Deo, ex igne pestifero creatum, non aliquando tamen salvandum. *Azoara.*

*Septimo*: Cuncta Ecclesiæ Catholicæ Mysteria abnegabat, quæ vim & efficaciam suam, a Christi passione obtinent. *Prateolus.*

*Octavo*: Esse putabat Jesum Christum nondum mortuum, moriturum nihilominus tandem, postea vero excitatum iri a mortuis, & venturum, non autem ante adventum antichristi. *Petrus Clun. in Suum.*

*Nono*: Summum bonum, vel ultimam hominis felicitatem in corporeis voluptatibus constituit, sibi paradisum fingendo, in quo sibi & sectatoribus suis præstantes forma feminæ, cibum & potum ministrabunt, ad coitum semper paratæ, iis autem potissimum potituros, qui hostes interficerent, aut ab hostibus interficerentur. *Baronius* ann. 630.

*Decimo*: Circumcisionem cum Ebionitis instauravit, iis autem præputium tantum abscindi volebat, qui ad ætatem pervenissent, ac ratione uterentur. *Azoara.*

*Undecimo*: Abstinentiam a mulieribus impossibilem esse propugnat, unde permissam a Deo luxuriam dicebat, etiam cum ancillis, aliisve mulieribus domi subjectis. *Azoara.*

*Duodecimo*: Polygamiam viris permisit, hoc est, fas viris esse existimavit tot uxores ducere, quot ex facultatibus suis alere ac tueri possent. *Prateolus.*

*Decimo-tertio*: Divortium approbat Mahometes, hoc est, matrimonii solutionem, atque uxoris mutationem, præsertim ex tribus causis. 1. Si mulier infecunda fuerit. 2. Si moribus perversis sit. 3. Si viro non placeat. *Azoara.*

*Decimo-quarto*: Credebat omnes orbis Christianos & Legem & Evangelium amisisse, ac proinde Alcoranum non alia de causa exscribendum suscepisse, quam ut hominibus suas contrarietates exponeret, & viam rectam, atque misericordiam credentibus patefaceret. *In Alcorano.*

*Decimo-quinto*: Propugnabat & Christianum, & Judæum, & quemvis alium in æternum salvari posse, si Deum veneretur, eumque timeat, ac bona opera exequatur. *Azoara.*

*Decimo-sexto*: Jubet in suo Alcorano sumi & interfici nolentes converti ubicumque repertos, mensibus Haram peractis, omnibusque viis illis insidiandum.

*Decimo-septimo*: Fatum asseruit, hominesque, sive ad bonum, sive ad malum destinari: unde Mahumetismi decretum est, latronibus, maleficis, peccatoribusque aliis ex Dei prædestinatione, in eo statu esse moriendum. Neque precandum ut Deus malos viam rectam doceat, nihil enim profecturum, nisi cui Deus voluerit. *Sanderus hæres.* 125.

*Decimo-octavo*: Vult Mahumetes non modo credi, obtemperarique suo Alcorano, proposita belli ac maledictorum multorum pœna; verum caveri ne quicquam ex eo immutetur. *Damascenus.*

*Progressus.*

STUPENDUM prorsus est quantum creverit in pejus & in animarum pene infinitarum perniciem illa carnalis religio. Primum enim Arabes, deinde Ægyptios, postea Asiam & Africam, immo & magnam Europæ partem occupavit, suoque necavit veneno, & hoc juxta victoriarum Imperatorum Mahumetanorum mensuram; infiniti quippe populi immani tyrannorum subditi imperio, alii enim suppliciis, tormentis, alii etiam blanditiis vitæ prorsus animalis & sensualis cedentes, vel pristinam bonam abnegarunt religionem, vel Christianam tametsi hæresi fœdatam abjecerunt, vel nullam habentes oblatam Mahumetanam, ut suis indulgerent passioni-

 bus,

bus, suscepere, quod quidem exitialis comprobat experientia.

*Proscriptio.*

CUNCTA Concilia quæ novas sectas anathemate percusserunt, Mahumetanam consequenter damnavere. Adversus eam scripserunt Ricardus Dominicanus in confutatione legis Mahumetanæ. S. Pius Papa epist. ad Mahometem Turcarum imperatorem: Bartholomæus Hungarus, & alii. Maxime vero bene multi Martyres qui Mahumetanorum non cessere suppliciis, sed potius ipsis cessere tormenta. Concilium Lateranense quartum & quintum adunatum est contra Mahumetanos.

## CONCLUSIO.

Secta Mahumetis est falsa & merum religionis commentum.

*Probatur rationibus Theologicis.*

PRIMA: Illa Religio est falsissima, quæ adversatur juri naturali: Atqui talis est Religio Mahumetis. Ergo &c. Probatur minor. Mahumetes permittit multiplicitatem uxorem indiscriminatim, tum ex ancillis, tum ex propinquis: Sed & licentiam eas ad nutum dimittendi facit; ita carnalis ut nec aliam ferme admittat beatitudinem, vult enim esse in paradiso quem promittit, mulieres forma speciosas quæ viris ministrent. Sed est contra jus naturale uxorum multiplicitas, cum Gen. 1. 27. habeatur: *Masculum & feminum creavit eos*. Prohibuit quoque Christus, excepta fornicationis causa dimitti uxorem, juxta illud Matth. 19. 6. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Cæterum ibid. 22. 30. Christus de Regno Patris loquens ait, quod in illo loco: *Neque nubent, neque nubentur*. Ergo &c.

*Secunda*: Religio quæ manifestas implicat contradictiones est falsissima. Atqui religio Mahumetana contradictoria complectitur, ut ex dogmatibus supra laudatis liquet. Ergo &c.

*Tertia*: Ubi perpetuum adest mendacium, ibi nihil certi pro Religione habetur: atqui Alcoranum non nisi fabulosa continet; nec mirum, nullis illa Religio consignata est miraculis: nullam habuit missionem Mahumetes; nullos testes fide dignos: hinc non una est in Mahumetismo pro Religione secta & opinio. Ergo &c.

*Quarta*: Secta quæ omnia abjicit Mysteria, est Religionis commentum: Atqui Mahumetes Trinitatem, Incarnationem, & Sacramenta abnuit. Ergo &c.

*Quinta*: Religio Mahumetana ut primum se prodit, seipsam apud viros cordatos solvit: Igitur nedum est abjicienda, sed abhorrenda: Et ne quis putet hoc esse phantasma, operæ pretium est argumenta ex ipsius Legis textibus proferre.

I. *De* Paradisi spurcitiis ait Azoara II. *Dulcissimas aquas, pomaque multimoda, fructus varios, & decentissimas, ac mundissimas mulieres, omneque bonum sui in aeternum possidebunt*.

II. *Miracula* rejicit, & pro eis arma exhibet. Azoara 13. Deum sic ad se loquentem inducit: *Tu quidem nequaquam ad eos, cum Dei miraculis manifestis venis, quoniam ea velut odiosa atque contraria rejiciunt, & veritati ad se venienti contradixerunt.... prædatores, & expugnatores estote*.

III. *Contradictio* multiplex in Alcorano: Azoara 11. Judæos, Christianos & cæteros omnes Deum adorantes & bene viventes salvari propugnat: *Sciendum autem generaliter, quoniam omnis recte vivens, Judæus seu Christianus, seu Lege sua relicta, in aliam tendens, omnis scilicet Deum adorans, bonique gestor, indubitanter divinum amorem assequetur*. Tum sui mox oblitus Azoara 3. Mahumetanos a sua Lege deficientes damnari contendit: *Tuam Legem propter aliam mutans, & in ea manens, hic & in alio sæculo reus, igne indeficiente peribis*.

IV. *Innumera* in Alcorano adsunt mendacia: Azoara 13. ait Christianos BB. Mariam semper Virginem ut Deum coli. Azoara 17. Scribit Deum præcepisse Angelis Adamum adorare. Azoara 47. Christianis imponit quod Deo non filium dumtaxat, sed & filias tribuant. BB. Virginem sororem facit Moysis.

V. *Mira* de Christo ejusque Evangelio enarrat & agnoscit vera, nec tamen sequitur. Azoara 12. dicit Christum post Patriarchas & Prophetas missum dedisse optimum Evangelium. Azoara 67. Deum sic

sic loquentem inducit: *Nos Evangelium dedimus, non ob aliud, nisi ut per ipsum Dei dilectionem atque gratiam assequerentur*. Azoara 5. Commemorat salutationem ab Angelo Mariæ factam, & magnis cum filio Jesu Christo eam effert encomiis. Rursus Azoara 11. 29. 53. 71.

VI. *Facit* Deum peccati auctorem in Alcorano capit. 25. quatenus ait diabolum ex igne pestifero a Deo creatum ex necessitate peccare, consequenter in hac hypotesi Deus esset auctor peccati.

*Solvuntur objectiones Mahumetanorum.*

OBJICIUNT: Illa religio saltem est bona, quæ multitudine, cum colentium, tum Regnorum, tum Provinciarum, tum etiam Victoriis in immensum superat Romanam: Sed religio Mahumetana ceteras colentium numero excedit: Ergo &c. Probatur major. Ex ipsorum Catholicorum placitis, major pars minori preponderat, hinc ut primum major Præsulum numerus adhæret diplomati dogmatico, res in omni Orthodoxorum opinione de fide tenenda evadit, & obstrepentes causa cadunt. Minor vero de se patet. Ergo &c.

*Respondeo* I. negando majorem: Omnis terra prioribus a creatione sæculis corruperat viam suam: Ergo ne vera religio non in solo Noe ejusque ex octo dumtaxat personis familia, non apud sanctum Patriarcham, sed carnales diluvio exterminandos homines existebat? Absit vel cogitare. Assuerus Paganus supra centum viginti septem Provincias imperabat: post ipsum vero Alexander Magnus: Tum & Romani in quorum ditione cunctus fere erat terrarum orbis positus, Judæi vero in Palæstinæ veluti terræ angulo concludebantur, quis tamen sanæ mentis dixerit, veram religionem cum idololatris, minime vero cum Judæis floruisse. Unum scimus, multos quidem ex Evangelio vocatos, paucos vero electos: Et Psal. 147. habetur: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*. Non igitur ex multitudine colentium concludendum est, religionem Mahumetis esse bonam: maxime cum ejus creverit imperium ex multitudine, furore & crudelitate acta; hinc nullum in Victoriis miraculum, sed non semel apparuit in Victoriis Christianorum, qui cum exigua Militum manu formidandas Mahumetanorum acies sæpius devicerunt.

*Respondeo* II. distinguendo majorem: Si multitudo fide & pietate prævaleat, ipsi adhærendum est, concedo: secus, nego. Crevit quidem adhærentium Mahumeti numerus, sed ex effrenata omnium ferme vitiorum licentia, & vi armorum; quocirca ejus religionem non bonam, sed pessimam ex ipsi adhærentium numero esse concluditur. Laudabat quidem Athanasius contra Arianos sibi adversantes majorem numerum Presulum, sed in fide Nicena sibi adunatorum: opponebat utique Donatistis majorem Episcoporum numerum Augustinus, sed fidem Petri custodientium & servantium.

*Instant*: Antiquitas argumentum est optimæ religionis: Sed religio Mahumetis septimo quasi incohante seculo vigere cepit; & eam omnis generis, ætatis, sexus, litteraturæ, dignitatis homines amplexi sunt. Ergo &c.

*Respondeo* distinguendo: Antiquitas Apostolica, concedo: mere humana & partim nova, nego. Ex Augustino sola Traditio quæ non habet initium, sed ex Christo per Apostolos suam ducit originem, est fidei regula: Religio vero Mahumetana ab impostore impio & fidei Apostata ortum ducit: idcirco detestanda est, & fugienda.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Religio Mahumetana falsa est.*

PRIMO: Quia nova & a falso Propheta sine missione & miraculis, sed solum vi armorum & vitiorum licentia stabilita est.

*Secundo:* Non nisi obscena spirat, & sicut in terris sic & in conficto paradiso spurcitias carnis indiscriminatim admittit.

*Tertio:* Implicat contradictionem; modo enim Mahumetes omnes promiscue & Judæos & Christianos salvari posse asserit, modo suis etiam ignem comminatur eternum, si a suo Alcorano defecerint.

SYNO-

SYNOPSIS DIFFICULTATUM
ET EXPLICATIONUM.

Primo : frustra opponunt Christianis Mahumetani , suam multitudinem , cum lata sit via quae ducit ad perditionem , & secta non nisi ex licentia vitiorum creverit.

*Secundo* : Tametsi religio Mahumetana non nihil antiqua sit , neque tamen Apostolica , neque Christiana , sed prorsus ex multis abominabilis existit.



DIS-

# DISSERTATIO SECUNDA
# DE ECCLESIA,

## Ut est supremus fidei controversiarum judex, ejusque notis.



LUTHERANI & Calvinistæ propugnant Ecclesiam non esse supremum controversiarum judicem, quatenus unicuique tribuunt de dogmatibus in Scriptura sacra contentis secundum spiritum particularem judicare: contendunt quoque Ecclesiam non esse visibilem, suam tamen omnibus pollere dotibus, quæ conveniunt veræ Ecclesiæ: Sed contra quod ipse Christus Luc. 11. 23. dicit: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit.*

*Dogma de veritate Ecclesiæ, quæ controversiarum fidei supremus judex multis momentis ostenditur.*

PRIMO: Quia præter regulas fidei mortuas, Scripturam scilicet & Traditionem, animata ad res fidei determinandas & finiendas prærequiritur.

*Secundo:* Quia ista regula in judicando de fidei dogmatibus, immo & de factis dogmaticis est infallibilis.

*Tertio:* Quia Ecclesia quæ est illa regula animata est visibilis, Catholica, Apostolica, una, sancta, aliasque veræ Ecclesiæ dotes sibi vindicat.

*Quarto:* Istæ omnes dotes soli Ecclesiæ Romanæ conveniunt.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum præter regulas mortuas requiratur animata, seu Ecclesia quæ sit supremus controversiarum fidei judex?*

### CONCLUSIO CATHOLICA.

*Ecclesia est fidei controversiarum judex supremus necessarius.*

HÆc conclusio jam patet ex supradictis de fide, ubi probavimus ad solam Ecclesiam spectare proponere credenda, nunc vero ex professo probatur auctoritate & ratione.

*Primum argumentum ex Scriptura sacra depromitur.*

QUOD utrumque Testamentum docet, sic tenendum est: Atqui ex utroque habetur præter regulas mortuas fidei, animatam requiri, scilicet, Ecclesiam: Igitur Ecclesia est regula fidei animata.

*Probatio ex veteri Testamento.*

LEGITUR, Exodi 18. 13. & seq. de Ecclesia ad fidei controversias dirimendas: *Altera autem die sedit Moyses, ut judicaret populum qui assistebat Moysi a mane usque ad vesperam, quod cum vidisset cognatus ejus, omnia scilicet quæ agebat in populo, ait: Quid est hoc quod facis in plebe? Cur solus sedes & omnis populus præstolatur de mane usque ad vesperam? Cui respondit: venit ad me populus quærens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me ut judicem inter eos, & ostendam præcepta*

*Dei & Leges ejus.* *At ille, non bonam, inquit, rem facis, stulto labore consumeris, & tu & populus iste qui tecum est: ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba atque consilia: & erit Dominus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent ut referas quæ dicuntur ad eum: ostendasque populo caremonias & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Provide autem de omni plebe viros sapientes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos & centuriones & quinquagenarios & decanos, qui judicent populum omni tempore.*

*Eo* loci Moyses prædicatur ut supremus controversiarum fidei judex, quippequi esset Sacerdos magnus, ante ipsum Aaron a Deo ipso constitutus, juxta illud Psal. 98. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Quod quidem colligitur ex cap. 28. & 29. Exod. ubi habetur Moysen sacrificasse, tum & consecrasse vestes Aaron, atque eumdem unxisse: pro rebus vero civilibus erant alii judices, ut Scriptura laudata refert. Igitur præter regulas mortuas necessaria est animata, quæ fidei dogmata & explicet, & definiat.

*Celebris* est pro eodem momento locus Deut. cap. 17. 8. & seq. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & judicum intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotem Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem; & facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: decreto judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel.* Deus ipse constituit Sacerdotem ut supremum controversiarum judicem, præcepitque populo sub interminatione mortis obedire sententiæ Sacerdotis: quinam autem ille Sacerdos sit, alibi declaratur Exod. 24. 14. Moyses enim ascendens in montem, Deum allocuturus, dixit Senioribus; *Expectate hic donec revertar ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiscum: & si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.*

*Eadem* veritas passim declaratur in eodem Testamento. Lib. 2. Paralip. capit. 10. legitur Josaphat Regem Judæ constituisse in Jerusalem Sacerdotes qui judicarent causas religionis, & hi erant distincti a judicibus causarum civilium.

Aggæi 2. 12. habetur: *Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga Sacerdotes legem.* Tum Malach. 2. 7. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.* Igitur requiritur supremus judex, qui fidei controversias dirimat, & est Ecclesia.

*Probatio, ex novo Testamento.*

MATTHÆI 18. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Gal. 1. 9. *Si quis evangelizaverit præter id quod accepistis; anathema sit.* Eo loci loquitur de Scripturis, quas de Christo fidelibus interpretatus fuerat. Rursus ibidem cap. 2. 1. & sequent. *Ascendi Jerosolymam cum Barnaba assumpto & Tito. Ascendi autem secundum revelationem: & contuli cum illis Evangelium quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse: ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Audis Apostolum exigere ab Ecclesia sui Evangelii confirmationem, scilicet a Petro, Jacobo, & Joanne, illam repræsentantibus, ne istius defectu approbationis in vanum cucurrisset, ut ipse fatetur. Hinc Tertullianus libr. 4. contra Marcion. Hieronymus epistol. ad August. quæ est inter Augustinianas 14. explicantes Apostoli verba, ajunt, Ecclesiam ea conditione credidisse Pauli Evangelio.

*Insignis* est pro eodem momento locus ejusdem Apostoli, qui Ephes. 4. 14. sic loquitur: Christus, *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.... Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris,*

*roris*. Quibus verbis Apostolus pronuntiat regula animata opus esse, & ideo Ecclesiam habere Apostolos, Prophetas & Doctores, qui genuinum Scripturarum sensum aperiant: hanc autem egregiam affert rationem; ne si juxta spiritum privatum Scripturam intelligeremus, circumferremur omni vento doctrinæ ad circumventionem erroris.

## SECUNDUM ARGUMENTUM

*Ex SS. Patribus eruitur.*

SS. PATRES, ab ipsa vagiente Ecclesia locuti sunt pro fide & religione tum explicanda, tum contra impugnantes defendenda: Sed præter Scripturam & Traditionem propugnant Ecclesiam in omnibus esse audiendam, maxime pro fidei & moralitatis dogmatibus, ipsi vero eam pro isto fungendo munere simul cum Conciliis velut ejus organa, quibus circa credenda se explicaret, adjuvarunt. Ergo &c. Probatur minor exquisitis SS. Patrum textibus.

*Irenæus* lib. 3. capit. 2. insurgit adversus hæreticos, eo quod Traditionem Patrum abjicientes, in Scripturæ indagandis sensibus & explicandis mysteriis independenter ab Ecclesia, scientiam se habere jactitarent: " Sapientiam, *ait*, loquimur „ inter perfectos...... Hanc sapientiam „ unusquisque eorum esse dicit, quam a „ semetipso adinvenit, fictionem videli- „ cet, ut digne secundum eos sit veri- „ tas, aliquando quidem in Valentino, „ aliquando autem in Marcione, aliquan- „ do in Cerintho...... Se vero indubita- „ te, & incontaminate, & sincere abs- „ conditum scire mysterium; quod qui- „ dem impudentissime est blasphemare „ suum factorem.... Quapropter undique „ resistendum est illis. „ Rursus lib. 3. cap. 4." Non oportet adhuc quærere apud „ alios veritatem, quam facile est ab Ec- „ clesia sumere. „

*Astipulatur* S. Cyprianus epistol. 55. ad Cornelium Papam, his verbis: " Neque „ enim, *inquit*, aliunde hæreses obortæ „ sunt, aut nata sunt schismata, quam „ inde, quod Sacerdoti Dei non obtem- „ peratur.... Cui si secundum magiste- „ ria divina obtemperaret fraternitas uni- „ versa; nemo adversum Sacerdotum Col- „ legium quidquam moveret. „ Loquitur contra obstrepentes hæreticos, qui Scripturas in proprium trahentes sensum, adversus Ecclesiam rebellant.

*S. Augustinus*, inter omnes eminet pro veritate conclusionis astruenda. Libr. 2. contra Cresconium cap. 33. tum libr. de utilitate credeudi capit. 7. increpat hæreticum, qui juxta sensum privatum in explicandis Scripturis non audit Ecclesiam: " Tu, *ait*, in eos Libros qui sancti & „ divinorum Mysteriorum pleni sunt, & „ prope totius humani generis confessio- „ ne diffamantur, sine duce irruis, & „ sine duce & præceptore audes profer- „ re sententiam. „ Tum lib. contra epist. Fundamenti cap. 5. hanc auream emittit confessionem: *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.*

## TERTIUM ARGUMENTUM

*Ex possessione Ecclesiæ idem affulget, & ipsorum Imperatorum testimonio.*

POSSESSIO Ecclesiæ habet pro veritate defendenda rationem tituli, potestatis vero supremæ obedientia mirum in modum illam roborat; hinc fidei protectorum nomine celebrantur Principes: atqui ex utroque capite liquet Ecclesiam esse animatam fidei regulam, qua Scripturarum & Mysteriorum sensus manifestantur. Et probatur.

*Prima pars* ostenditur, ex omnibus fidei controversiis a Christo nato subortis, quas Ecclesia sola supreme judicavit. Primo sæculo orta est de legalibus controversia, ut habetur Act. 15. hanc in Concilio Jerosolymitano discussam definivit Ecclesia: altera secundo sæculo circa celebrationem Paschatis emersit, & hæc Victore I. clavum Ecclesiæ tenente, in Concilio Palæstinæ habito judicata est: & sic de aliis in Conciliis, tum Generalibus, tum Nationalibus, & Provincialibus adversus hæreticam pravitatem.

*Secunda pars*, quæ Imperatorum testimoniis innititur ab exemplis facile probatur.

*Aurelianus*, Imperator Paganus certior factus

factus de schismate, inter Paulum Samosatenum & Catholicos suborto pro domo Ecclesiæ, jussit domum reddi illis, quibus hanc assignarent Ecclesiæ Sacerdotes.

*Constantinus Magnus*, noluit sedere ut judex fidei controversiarum in Concilio magno Niceno, sed inferius, & veluti ad Patrum pedes consistens audivit fidei definitionem contra Arium, & Filii cum Patre consubstantialitatem declaratam pro virili contra rebelles defendit. Rursus videns Donatistas a Concilio Arelatensi ad ipsum provocantes in religionis materia, eos, inquit Optatus Milevitanus lib. 1. adversus Parmenianum pagin. 44. sic alloquitur: " O Rabida furoris audacia! sicut " in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt, ad Imperatorem " provocatis. " Tum exilii pœna eos abjecit. Eusebius lib. 3. de vita Const. cap. 10. celebrat ejus Concilio humile obsequium; ipse vero epist. ad Concilium Patres sic alloquitur: " Quæ cum ita sint, " cælestem gratiam & plane divinum mandatum libenter suscipite. Quicquid enim " in sanctis Episcoporum Conciliis geritur, ideo omne addivinam referendum " est voluntatem. " Et hoc est ejus obedientiæ erga Ecclesiam argumentum.

*Theodosius* junior epistol. ad Concilium Ephes. sic scribit: " Candidianum preclarissimum sacrorum domesticorum comitem ad sacram vestram Synodum abire " jussimus: sed ea lege & conditione, ut " cum quæstionibus & controversiis quæ " circa fidei dogmata incidunt, nihil " quidquam commune habeat. Nefas est " enim qui Sanctissimorum Episcoporum " Cathalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se " se immiscere. "

*Martianus* Imperator, eadem prosequitur reverentia Ecclesiæ de dogmatibus latum judicium. L. *Nem.* cap. de summa Trinitate & fide catholica, his verbis: " Injuriam facit judicio Reverendissimæ Synodi, qui semel judicata revolvere, & " disputare contendit. "

*Nec* omittendus Basilius Imperator, qui in oratione, quam habuit in octava Synodo Act. 10. ultra fatetur non ad laicos, etiam principes, sed ad solam Ecclesiam spectare controversias fidei & religionis dirimere: " De vobis autem laicis, tam " qui in dignitatibus, quam qui absolute " conversamini, quid amplius dicam non " habeo, quam quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem " movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & universali Synodo " adversari. Hoc enim investigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis Officium " sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi & solvendi potestatem habent: " qui Ecclesiasticas & celestes adepti claves: non nostrum qui pasci debemus, " qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus. "

*Ex* his claret ad laicos non pertinere judicare de fidei & religionis controversiis: hinc non semel contigit pios & christianos Principes, ut primum hæreticos movere tragœdias in suæ ditionis regionibus animadverterint, confugisse ad summos Pontifices, ut absque mora adunarent Synodos, quæ hæterodoxorum proterviam frangerent.

## QUARTUM ARGUMENTUM.

*Ex rationibus Theologicis coalescit.*

PRIMA: Ubi vel in ipsa lege obscuritas & difficultas adest, requiritur judex qui illam explicet; sic Deus fieri statuit Exod. 17. & Deut. 18. ut supra ostensum est, & hoc ex eodem statuto solam spectat Ecclesiam: Atqui multa latent in Scripturis sacris mysteria, multæ circumferuntur difficultatum umbræ, quibus tot involucris obteguntur: Igitur requiritur regula animata quæ est Ecclesia, qua cuncta ad intelligentiæ metam perducantur. Probatur minor, de qua solum est apud Hæreticos dubium. S. Petrus epist. 2. cap. 3. 16. ait: Quædam esse intellectu difficilia, in B. Pauli Epistolis: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

*Secunda:* Usus obtinuit, tum in veteri, tum in novo Testamento Ecclesiam controversias fidei, & difficultates explanare. Ergo &c. Probatur antecedens. Primo quidem, ex veteri Testamento: Magi Christum adorandum in urbe Ierosolyma quærentes, adiere Regem, qui turbatus adu-

adunavit Synagogam, quæ juxta legem, ubi Messias nasceretur, declararet; sic enim habetur Matth. 2, 3, & seq. *Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo. Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: in Bethlehem Juda. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.*

De Novo vero non unum est exemplum; Christus ipse parabolas explicabat discipulis. Celeberrimum est colloquium quod de hoc momento, cum discipulis Emmaus habuit; sic enim scriptum est Luc. 24. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de illo erant.* Insignis est etiam sermo Philippi Diaconi ad Eunuchum Reginæ Candacis, cui Scripturam Isaiæ, cujus sensum ignorabat, de Christo explicavit; sic habetur Act. 8. 27. & seq. *Ecce vir Æthiops.... venerat adorare in Jerusalem & revertebatur sedens super currum suum: legensque Isaiam Prophetam..... Accurrens autem Philippus, .... dixit putas ne intelligis quæ legis? qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi.... Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a Scriptura ista, Evangelizavit illi Jesum.*

*Tertia*: Scriptura multos subit sensus: hinc modo unum, modo alterum adoptat, sed hæterodoxi semper in malam & sinistram partem sumunt, ut scribit Tertullianus lib. de Præscript. capit. 17. ita ut quasdam etiam ad nutum abjiciant Scripturas: " Ista hæresis, *inquit*, non recipit quasdam Scripturas; & si quas recipit, non recipit integras..... Et si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. Igitur requiritur supremus controversiarum judex, qui Scripturas explanet; sic concludit Tertullianus ibidem cap. 19. " Ergo non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertæ. Idem dicendum de Traditione, alia mortua regula, quippe quæ varios etiam subeat sensus: quandoquidem & Quatuordecimani, & Rebaptizantes contendebant, se morem ab Apostolis acceptum gerere.

*Quarta*: Deus prohibet juxta spiritum privatum sacras Scripturas explicare. Synodus vero Tridentina propter hoc etiam censura animadvertit in Protestantes; ergo ad Ecclesiam pro isto momento confugiendum est; sin minus precluderetur via conversioni Heterodoxorum, quippequi firmarentur in errore, & in tenebris sicut in luce ambulare possent, cum unusquisque suum sequens privatum spiritum foret in tuto. Probatur antecedens: Deus increpat eos omnes qui in rebus divinis & religionis proprium sequuntur spiritum: Igitur non licitum est alium de Scripturis præter Ecclesiam judicem quærere & audire. Probatur istud ulterius antecedens, ex veteri & novo Testamento: ex veteri quidem Ezech. 13. 3. ait: *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.... Vident vana & divinant mendacium .... cum ego non sim locutus, ait Dominus.* Rursus Jeremiæ 23. 16. *Nolite audire verba Prophetarum qui prophetizant vobis & decipiunt vos, visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.* Ex novo vero Christus, non absimilia effatur Matth. 7. 14. aitque: *Attendite a falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Jam vero Synodus Trid. prohibet ne quis Scripturas explicet contra Ecclesiæ sensum ab ipsa determinatum, decreto de edit. & usu sacrorum Librorum.

*Quinta*: Habemus in hac controversia, hæreticos confitentes reos, cum ipsi dictis & factis propugnent, quoties aliquod circa religionem dubium contingit, recurrendum esse ad Ecclesiam, quæ in Synodo adunata quid fide tenendum, vel abjiciendum definiat: sic eo motivo suam congregaverunt spuriam Ecclesiam Donatistæ in Synodo Bajacensi, ubi aderant trecenti circiter Episcopi, ubi suos errores publicaverunt: sic Nestoriani in Pseudo-Concilio Ephesino, ubi quadraginta ferme aderant Presules, quibus præsidebat Joannes Antiochenus, Nestorium defenderunt. Sic Eutychiani in Latrocinio Ephesino, in quo Dioscorus vi, armis & erga catho-

tholicos immani crudelitate errores Eutychetis defendit. Sic a Protestantibus Synodus Dordeacena eo solum motivo ex omnibus Europæ Calvinistis adunata est ut, discussa controversia, inter Gomarem & Arminium, prioris sententia de prædestinatione necessitante, vel posterioris Semipelagiana adoptaretur, & omnibus hinc inde auditis Theologis, statutum est a Regnorum Ministris sub pœna depositionis prædestinationem necessitantem, ut quid fidei essentiale esse tenendam: sic in Synodo Carentonica versus ann. 1636. proscripti sunt ii omnes qui, spretis Colloquiorum, Synodorum Provincialium, & Nationalium conventibus, secundum proprium spiritum sacras explanarent Scripturas, & de rebus in materia Religionis, juxta phantasiam judicarent, quocirca Independentes appellati sunt. Ratio damnationis & censuræ ea a Ministris d'Allæo, Bochardo, & Derelincour Synodi Præsidibus affertur, quod in hypothesi quod unicuique licitum foret in rebus divinis proprium sequi spiritum, tot essent religiones quot existerent capita. Igitur sola Ecclesia, ipsis non diffitentibus hereticis, est supremus controversiarum fidei judex: quia vero sola Romana, ut supra ostendimus est vera Ecclesia, ad eam solam utique spectat definire credenda.

*Fit satis objectionibus Heterodoxorum.*

Objiciunt: Christus, ait Joan. 5. 34. *Ego non ab homine testimonium accipio*. Rursus Matth. 23. 8. *Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester Christus*. Igitur non Ecclesiæ id muneris est explicare & definire credenda, sed solius justi prærogativa; sin minus Spiritus sanctus, qui loquitur in sacris Scripturis acciperet ab hominibus testimonium; non unus Christus, sed plures existerent Magistri, quod dubio-procul improbat Dominus, qui ut contundat Pharisæorum superbiam, qui Magistri appellari congaudebant, præcepit Apostolis ut neminem inter homines Magistrum vocarent.

*Confirmatur*: Christus Dominus ad sensum mysteriorum habendum non ad Ecclesiam seu ad homines, sed ad Scripturas recurri vult; sic enim habetur Joan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas.... Illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*. Tum Act. 17. 11. de Beroensibus S. Lucas, scribit: *Susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent*. Ergo &c.

*Respondeo* I. Opponendo Scripturam Scripturæ. Ipse Christus Matth. ult. in omnem terrarum orbem suos misit discipulos, qui Gentes docerent, hoc est, sensum Scripturarum de sua missione & divinitate explanarent; tum testes sibi de his omnibus essent, juxta illud Act. 1. 8. *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*.

*Respondeo* II. distinguendo: Christus non accipit testimonium ab hominibus qui Scripturas temerando incarnationis suæ mysteria tentabant, concedo: a justis & fidelibus, subdistinguo; testimonium palmare & absolute necessarium, concedo: suam enim signis & miraculis omni exceptione majoribus probaverat missionem, hinc Joan. 10. Judæis incredulis, in ipsum blasphemantibus, ait: *Si mihi non vultis credere, operibus credite*. Aliquod ad sui nominis exaltationem, nego. Ex locis in prima responsione adductis voluit ministerio discipulorum suam propagari religionem, adeoque summam credendorum per illos proponi, & explicari.

*Ad* confirmationem similiter, distinguo: Scrutamini Scripturas, & illis credite juxta Ecclesiæ sensum, concedo: excluso ejus sensu & definitione, nego. Varie varie sacras scrutantur Scripturas, sed multi eas in suum perversum detorquent sensum, ut Ebionitæ, qui ex eis concludebant Christum esse purum hominem; Ariani ex eisdem Verbi consubstantialitatem, sed incasso nisu exsufflare volebant. Requiritur igitur præter regulas mortuas animata, quæ credenda proponat & definiat: Et est Ecclesia.

*Instant*: Atqui non opus est Ecclesia ad veritates Religionis edocendas, sed Scriptura sufficit. Ergo &c. Probatur subsumptum: Antequam Ecclesia loquatur, veritas Mysteriorum continetur in Scripturis, ita ut nihil eis aut addere, aut immutari, vel ipsi Ecclesiæ non liceat; unde juxta inconcussam Theologorum & Patrum Doctrinam, Ecclesiæ definitio,

quæ-

quæcumque sit, non facit fidei articulum, sed supponit. Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum: Ad probationem distinguo: Veritas mysteriorum in Scripturis antequam Ecclesia loquatur, secundum se continetur, concedo: clare & explicite, ita ut plures non possit subire sensus, nego. Capitalia mysteria, ut sanctissima Trinitas, & Dominica Incarnatio explicite habentur in Scripturis: quia vero textus sacer plures subit sensus, non semel contigit clariores de mysteriis Scripturas ab Ebionitis & Arianis sic suisse defloratas, ut illi ex iis concluderent Christum esse purum hominem, isti vero Verbum esse creaturam: quocirca opus fuit sensum genuinum in Concilio primo & secundo Antiocheno contra priores explicari de Christi divinitate; in Concilio vero primo Nicæno de Verbi consubstantialitate contra posteriores. Jam vero quædam alia Mysteria, ut gratiæ efficacia, & ejus cum libertate hominis consociatio non satis de se patent, & ex hac parte major exurgit necessitas regulæ animatæ, quæ obscuriora per clariora definiat & proponat: *Ne circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*, inquit Apost. Eph. 4. 14. Demum quædam etjam dogmata, talibus implicantur involucris in Scripturis, qualis est celebratio Paschatis 14. luna post æquinoctium vernum, validitas Baptismatis verbis evangelicis ab Hæreticis collati, ut necesse fuerit Ecclesiam traditione innixam ea momenta declarare.

*Contra*: Inde sequeretur Scripturas ab hominibus pendere, cum ab Ecclesia robur acciperent: absurdum consequens: Ergo & antecedens.

*Respondeo* distinguendo: Sequeretur Scripturam pendere ab hominibus, quoad se, & veritates quas complectitur, nego: independenter enim, & antequam homines in Ecclesia loquantur, Scripturæ a Spiritu sancto inspirante, docente & revelante sunt: quoad explicationem, subdistinguo: pendere secundum quid & improprie, concedo: proprie, nego. In explicatione alicujus sacri textus duo sunt spectanda, mysterium scilicet & veritas revelata, tum expositio sensus genuini; primum non pendet ab Ecclesia, secundum vero eatenus ab ea dependet, quatenus id muneris ei incumbit figere & determinare sensum divinum, quod quidem non facit nisi ut inspirata & a Deo adjuta; hinc tota dependentia se tenet & ex parte Ecclesiæ, quæ a Spiritu sancto habet infallibiliter recte proponere credenda, & ex parte audientium, qui vicissim opus habent Ecclesia, ut legitimum Scripturæ sensum discant.

*Urgent*: Atqui Fideles non ab Ecclesia, sed a Spiritu sancto unicuique interius loquente habent Scripturæ sensum: Ergo &c. Probatur subsumptum dupliciter. Primo quidem ex ipsa Scriptura 1. Joan. 2. 27. dicente: *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus*. II. Nihil certi habetur pro isto momento confugiendo ad Ecclesiam, quandoquidem inter Theologos quidam tenent ad sensum Scripturarum indagandum sufficere summum Pontificem ex cathedra loquentem; alii ulterius consensum Episcoporum tacitum vel expressum exigunt, nec desunt qui absolute Concilium Oecumenicum approbatum & omnium Præsulum suffragiis munitum esse ad hoc necessarium autument: Sic Novatores propugnant.

*Respondeo*, nos huic difficultati jam fecisse satis, ubi egimus de proponendis fidei articulis. Ad abundantiam tamen juris nego subsumptum. Ad primam probationem distinguo: Unctio concomitante verbo prædicatoris docet, concedo: exclusa fidei propositione, nego: fides enim, ait Apostolus Rom. 10. est ex auditu, auditus autem per verbum Dei: Sed parum est sermonem foris proferre, nisi Spiritus sanctus per gratiæ unctionem interius insonet. Solutio est D. Augustini, qui tract. 3. in epist. S. Joan. n. 13. ait: " Videte fratres magnum Sacra-
„ mentum; sonus verborum nostrorum au-
„ res percutit, magister intus est. Nolite
„ putare quemquam aliquid discere ab
„ homine. Admonere possumus per stre-
„ pitum vocis nostræ, si non sit intus
„ qui doceat, inanis fit strepitus noster.
„ ... cathedram in cœlo habet qui cor-
„ da docet. Propterea ait & ipse in E-

„ vangelio : Nolite vobis dicere magi-
„ strum in terra, unus est Magister ve-
„ ster Christus. „

*Ad* ulteriorem probationem distinguo : Disputatur in Scholis de modo quo Ecclesia proponere potest credenda, concedo : de necessitate propositionis credendorum, nego. Ultro conveniunt Orthodoxi Theologi ad solam Ecclesiam spectare proponere & determinare credenda ; quia vero semper accedit consensus tacitus vel expressus Episcoporum, non relinquitur circa fidei dogmata proposita credenda ambigendi locus.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Præter regulas fidei mortuas requiritur animata, quæ sit supremus controversiarum Judex, & est Ecclesia.*

PRIMO : Hoc ipsum declaratur Exod. 18. & Deut. 17. ubi Sacerdotes ab ipso Deo rerum religionis Judices proponuntur. Tum Matth. 18. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

*Secundo :* Sic docent Patres ; in primis Irenæus lib. 3. cap. 2. Cyprianus epist. 55. Aug. lib. contra Epistolam Fund. cap. 5. his verbis : *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Ita definit Synodus Tridentina decreto de usu sacrarum Scripturarum.

*Tertio :* Sic etiam usus perpetuus obtinuit ; quotiescumque enim aliqua contigit fidei controversia, toties Ecclesia eam discussit ; discussam vero modo per Concilia, modo per Summum Pontificem & Pastores definivit.

## SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMOQUIDEM : Nec Christus, nec Scriptura accipiunt ab hominibus testimonium, quoad se, bene vero quoad fidei explicationem & propagationem.

*Secundo :* Verum est Fideles Spiritus sancti unctione intus edoceri, sed non excludendo Ecclesiam proponentem credenda, juxta illud Rom. 10. *Quomodo audient sine prædicante.* Hinc ipse Christus Scripturas, quæ erant de seipso, explicavit Discipulis Emmaus adeuntibus, Matth. ult.

*Tertio :* Nullus aliquo mentis scrupulo moveri debet propter diversas circumstantias, de modo quo Ecclesia utitur ad fidei dogmata proponenda & definienda ; omnes quippe conveniunt de veritatis substantia, videlicet ad Ecclesiam spectare proponere & definire credenda ; quod autem fiat per Ecclesiam dispersam, vel in Concilio adunatam, vel etiam per Summum Pontificem ex cathedra loquentem, cui accedit semper consensus expressus vel tacitus majoris & sanioris saltem Pastorum partis, quod a Christo nato sic contigisse compertum habemus ; quid refert, ad sedandos animos, jungas velim hujusmodi consensum si vis, nusquam enim defuit nec ad consummationem usque sæculi, ne angaris, deficiet.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

*Utrum Ecclesia sit infallibilis in quæstionibus juris & facti dogmatici religonem spectantibus ?*

UTRUMQUE conjungimus momentum, cum quæstio facti dogmatici implicet jus, & Ecclesia eatenus de illo judicet, quatenus inest ei potestas circa jus seu quæstionem juris pronuntiandi. Equidem jam momentosa de judicio Ecclesiæ circa factum dogmaticum in tractatu de gratia diximus, sed non injucundum erit agendo hic ex professo de Ecclesiæ infallibilitate circa juris quæstionem, etiam de eodem circa factum dogmaticum operosius tractare.

*Prænotandum* est ad statum controversiæ stabiliendum, quæstionem juris eam esse quæ dogma fidei respicit, puta num tres sint in Deo personæ ? Verbum sit Patri consubstantiale ? Quocirca petitur utrum Ecclesia infallibiliter judicet, tum de veritate, tum de falsitate veritati opposita ; sicque ad eam spectet judicare simul de dogmate fidei consono, & de dogmate erroneo : De priori quidem ad illud fir-

firmandum, de posteriori vero ad illud vi censuræ eliminandum.

*Observandum* est etiam quæstionem facti eam dici, quæ factum aliquod spectat, quod quidem duplex distinguitur, seu quæstio facti duplex est, altera scilicet facti particularis ad fidem non pertinentis, ut ista, an sint antipodes? Altera facti universalis implicantis dogma pertinens ad fidem catholicam, qualis est ista, an textus Scripturæ sacræ sit genuinus? An sit textus Augustini, Damasceni, & aliorum auctorum qui de rebus fidei tractant: certum est Ecclesiam non esse infallibilem in decisione facti particularis, nisi sit expresse & secundum se revelatum, quale est istud: *Abraham duos filios habuit*. Tota igitur controversia est de factis in se, & immediate non revelatis, attamen dogma fidei continentibus. Negant Protestantes Ecclesiam esse infallibilem in decisione juris: Novatores vero Ecclesiæ abjudicant infallibilitatem pro definiendis cujuscumque generis factis, etiam dogmaticis: Sed contrarium tenent omnes Academiæ, quod quidem momentum sex argumentis probatur. Primo auctoritate Scripturæ sacræ: Secundo auctoritate Patrum. Tertio ex possessione quam habuit semper Ecclesia judicandi jus & factum, ut textus: quarto ex Theologorum sententia: quinto ex Decretalibus summorum Pontificum, quæ circa religionem recepta sunt: Sexto, rationibus Theologicis.

## §. I.

*Utrum ex Scriptura sacra constet Ecclesiam esse infallibilem circa decisionem juris & textus ad fidem & religionem spectantis?*

## CONCLUSIO.

*Constat ex Scriptura sacra Ecclesiam esse infallibilem circa jus & textus spectantes Religionem.*

Probatio ex veteri Testamento.

*Primo ex Libris legalibus.*

Hoc ubique inculcat Deus; primo quidem in Libro Exodi cap. 21. ubi præcepta judicialia dat, & Moysen constituit judicem proponentem & explicantem legem: *Hæc sunt judicia*, inquit servo suo Moysi, *quæ propones eis*. Postea leges statuit, quibus uti debeat populus ut declinet a malo & faciat bonum. Capite 22. novas dictat leges. Cap. 23. alias præfigit judicibus ut recte & infallibiliter judicent. Cap. 24. alia præcepta quæ spectant religionem tum pro sacrificiis offerendis, tum pro cæremoniis servandis tradit, & omnia scripto mandantur per Moysen: Sic enim habetur: *Assumensque*, scilicet Moyses, *volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus & erimus obedientes*. Postea subjungitur: *Ascendensque Moyses in montem Dei Senioribus ait: Expectate hic donec revertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos*. Profecto agitur de quæstionibus Religionis, ut ex toto capitis contextu & ex aliis præcedentibus liquet: Sacerdotes autem constituuntur in iis Judices, & quidem circa legem, qualis in textu Moysis habebatur: Sed habebat infallibilitatem Ecclesia pro quæstione juris & facti; juris quidem, alias nulla fuisset firma fides; facti vero, ut judicaret de textu legis; sin minus nihil certi pro fide compertum habuisset: Igitur est infallibilis circa quæstionem juris & facti.

*Rursus*: In Libro Levitici multa sunt argumenta quibus eadem veritas probatur; ibi enim fuse describuntur cæremoniæ, ibi præcepta Religionem specialiter spectantia repetuntur: ecce juris momenta: Cap. 17. sermo habetur de lege & legis textibus, de Moyse textum legis proponente & exhibente: Sic enim habetur: *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere Aaron & filiis ejus, & cunctis filiis Israel, dicens ad eos: iste est sermo quem mandavit Dominus dicens, &c.* mandavit viva voce & scripto; Moyses quippe jussu & ordinatione Dei in volumine scripsit atque complevit legem. Igitur Ecclesia debuit & quidem infallibiliter judicare de jure, scilicet de lege, tum de textu a Moyse transmisso ad posteros, siquidem & Lex, & textus erant fidei motivum; nemo autem inficiari audet fidei infallibilitatem & certitudinem: Igitur nec debet Ecclesiæ, dum judicat de credendis &

de textibus fidei articulos continentibus abnuere infallibilitatem.

*Tum* repetitur lex in Deuteronomio; iterum volumen Legis a Sacerdotibus exhibetur: iterum textus & pro peccato fugiendo, & pro colendo Deo leguntur & explicantur a Sacerdotibus: Igitur Ecclesia est infallibilis circa legem, quæ tot dogmatibus constat quot habet mandata, & circa textus in quibus continetur.

*Secundo, ex Libris Regum, Esdræ, & Machabæorum.*

I. REGUM historiæ comprehenduntur in quatuor libris, tum passim ibi apparent Prophetæ legem contra populum Idololatram propugnantes, & ubique citant Legem. Lib. 1. c. 13. Samuel graviter increpat Saul, quod contra Dei mandatum, ipse quamvis laicus, functus fuisset offerendo sacrificium, officio Sacerdotis: *Stulte egisti*, inquit, *nec custodisti mandata Dei tui, quæ præcepit tibi: quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel, in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum ultra consurget.* Qua ratione Samuel tam dura prænuntiasset Sauli, si Ecclesia infallibilitatem ad exponendam Legem & explicandum textum ejus, quam Rex infelix prævaricatus fuerat, non habuisset?

II. *Vix* Israel e captivitate reversus est, afferuntur statim coram populo libri Legis, ut legitur in libris Esdræ; audiunt Prophetam legentem mandata scripta in volumine Legis: textum tamquam genuinum habent, sicut & quod Esdras explicat de Lege, demonstrans tot ac tanta advenisse mala in vindictam prævaricationis Patrum.

III. *Idem* factum fuisse pluries tempore Assomonęorum refertur in libris Machabęorum: Doctores & Prophetę explicabant textum Legis: nemo revocabat in dubium, sed tamquam verbum Di habebat, immo una voce dicebant: *Habentes solatio sanctos Libros, &c.* Sed quę consolatio, si defuisse Ecclesię infallibilitas, tum ad aperiendum Scripturę germanum sensum, qui cabala seu Traditione tenebatur, tum ad declarandum quinam textus erant genuini; cum sępe in captivitatibus Judæorum, dispersi, sępe etiam recuperati fuerint Libri sancti: quomodo secernere potuisset Synagoga legitimum a spurio textum; namque alii libros reddebant in lingua qua pollere præ ceteris existimabant: alii etiam aut fabulas immiscebant, aut detrahebant quæ illis importuna videbantur: hinc Gymnasia constituta ad conservationem & legitimationem tum dogmatum, tum textuum: hinc Doctores varii ad habendum verum & germanum sensum, ita ut infallibilitate circa Textus sacros omni tempore donata sit Ecclesia: sin minus ruisset ab ævo, & nunc in præceps abiret Religio. Sed observes velim ubique & semper quæstionem juris exponi, scilicet Legem, tum & textum Legem exhibentem, utrumque enim velut a se indivulsum nusquam separatur.

*Tertio, ex Libris Prophetalibus.*

QUOT Prophetæ, tot testes infallibilitatis Ecclesiæ pro quæstionibus juris & facti ad religionem pertinentibus, habemus; cum hæc commissa potissimum eis erat Provincia judicandi de textibus ad fidem vel reparandam, vel conservandam, vel etiam de die in diem augendam. Unam aut alteram seligo sententiam ad confirmationem tantæ veritatis.

*Habetur* Jerem. 1. *Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum: & dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: Ecce constitui te hodie super Gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes ... Bellabunt adversum te, & non prævalebunt.* Ecce promissio infallibilitatis pro omnibus quæ religionem spectant, etiam pro textibus: Enim vero quid eradicavit Jeremias? non ne idololatriam & impietatem? Quid ædificavit? non ne pietatem. Quomodo utrumque peregit? non ne per Legem. Unde habebat? non ne ex textibus; sed quomodo restituere fidem nisi adsit infallibilitas pro mandato & textu Legem complectente explicando; sin minus impudentissimi homines potuissent replicare Jeremiæ, Non admittimus quæ dicis, quia nescimus an legitima Dei dicas; nemo tamen ne impius Acab, ne Jezabel sacrilega, ausi sunt revocare in dubium Legem & Libros sanctos Legem continentes. Unde hoc? nisi quia

quia apud omnes etiam perditissimos compertum erat, Prophetas infallibiles esse ad Legis sensum, & textus Legis propalandos.

*Celebris* est pro hoc momento Malachię locus Cap. 2. in quo sic habetur: *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus.* Tam apertum est illud oraculum pro infallibilitate Ecclesiæ circa quæstionem juris & facti, ut explicatione non indigeat. Enimvero si a Deo constituuntur Ecclesiæ Ministri, ut de Lege reddant rationem, profecto debent illam scire: Igitur & textus qui illam continent: Ergo Ecclesia est infallibilis ad judicandum de dogmate & textibus; de dogmate quidem, cum Lex de ore ejus exquiratur; de facto vero, quandoquidem ad eam definire spectat num talis textus contineat fidem vel non.

### Ex novo Testamento.

*Primo, ex Evangelistis.*

I. CHRISTUS ipse docet infallibilitatem Ecclesiæ circa jus & factum dogmaticum, Joan. 5. 39. Nam cum Judæi in malo & infidelitate obstinati pertinaciter ejus inficiarentur divinitatem, eos remittit ad textus Scripturarum, ut testimonia inde sumerent pro fidei confessione, quam expostulabat ab eis: *Scrutamini*, inquiebat, *Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Quibus verbis infallibilitas circa textus Scripturæ in Synagoga affulget, cum ad textus Scripturæ remitteret Judæos, ut argumentum inde sumerent irrefragabile pro divinitate sua, & utramque quæstionem sic dirimi vult; juris quidem credendo ejus divinitatem, facti vero fidem Scripturis adhibendo.

II. *Non* minoris est ponderis sententia quæ Matth. 2. legitur, quæque exhibet Doctores Legis ab Herode interrogatos de loco nativitatis Christi, qui evolutis Prophetarum textibus, responderunt esse Bethlehem Judæ; sic enim habetur: *Audiens autem Rex, turbatus est & omnis Jerosolyma cum illo, & congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur, at illi dixerunt ei, in Bethlehem Juda: scriptum enim est per Prophetam, & tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Israel.* Igitur Rex agnoscebat infallibilitatem circa Legem & textus inesse Synagogæ: alias quorsum Doctores & Sacerdotes consuluisset, ut ab ipsis certo-certius per oracula Prophetarum sciret ubi, & quo loco Christus novus Judæorum Rex natus esset? *Scriptum enim est per Prophetam &c.* Ecce quæstio facti dogmatici soluta: *& tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima &c.* Ecce quæstio juris de Messia pro Christo definita.

III. *Matth.* 28. 20. habetur: *Euntes ergo docete omnes Gentes .... & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* In his verbis duo sunt observanda, ex quibus concluditur infallibilitas Ecclesiæ de quæstione juris & facti dogmatici; unum præcipit Christus Apostolis: *Docete*, inquit, *omnes gentes*. Quid quæso? nisi Legem suam: Quomodo vero illam docere, nisi textus veteris Testamenti habuissent, ut ex iis eruerent argumenta contra Judæos fidem in Christum impugnantes: Igitur debebant judicare sicut de Lege, ita & de Legis textibus. Alterum promittit his verbis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Nempe infallibilitatem pro Lege Evangelica tradenda & explicanda, & consequenter pro textibus in quibus exprimitur.

*Secundo, ex Epistolis.*

I. APOSTOLUS hanc ut ita dicam ex professo infallibilitatem Ecclesiæ, de qua inpræsentiarum loquimur, explicat & defendit Ephes. 4. Loquens enim de Christo ait: *Ipse dedit, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum ..... ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Omnia requisita eo loci prę-notantur ad veram & indubitatam infallibilitatem. I. Quidem Pastores tamquam Ecclesiæ Doctores ab ipso Christo con-

constituuntur, quibus & promittit se præsentem futurum esse per assistentiam specialem cum eis. II. Constituuntur ad consummationem Sanctorum: quomodo autem Ecclesia Mater suos filios ad supremos sanctitatis apices perducet, nisi sciat quænam bona & mala pascua sunt? nisi secernere & judicare possit de bonis & veneno infectis textibus? Additur: *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento Doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*. Ne igitur circumferamur omni vento Doctrinæ ad circumventionem erroris, debemus ab Ecclesia edoceri de fidei dogmatibus, de sana doctrina, quæ quidem continetur in textibus non solum Scripturæ sacræ, sed omnium qui tractant de iis quæ spectant ad religionem: Igitur Ecclesia est infallibilis, primo quidem circa dogma, tum & circa textus: alias circumferremur omni vento doctrinæ ad circumventionem erroris; tot quippe forent religiones, quot capita, sicuti non semel visum est in Protestantibus, quorum quilibet Scripturam ad captum suum explicare non semel præsumpsit. Hinc infinitæ prope, & variæ omnino fidei professiones, ut notat Illustr. Bossuetius in lib. Var.

II. *Idem* Paulus discipulum suum Timotheum edocet eamdem veritatem 2. ad Timoth. 1. his verbis: *Formam habe sanarum verborum, quæ a me audisti: bonum depositum custodi per Spiritum sanctum*. Ecce primum fidelis pastoris munus & dogma. Alterum exprimitur, his verbis: *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*. Eadem alibi explanat Paulus, & hanc reddit rationem: *Ut potens sis exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*. Igitur Ecclesia per Ministros debet judicare infallibiliter de doctrina sana, & dogmate; tum eos qui contradicunt sive scriptis, sive loquelis redarguere; sic ipse doctor Gentium judicavit, ut habetur 2. Tim. 2. *Profana autem*, inquit, *& vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus, & Philetus qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam*.

III. Ex his omnibus sequitur ista ratio: Ecclesia a Deo sic constituta est judex controversiarum fidei, ut ipso testante Christo: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: Sed prævalerent profecto si non judicaret infallibiliter de dogmate & de textibus, quia eo deveniret nequitia hominum, ut unusquisque explicaret ad nutum passionis suæ omnes textus Religionem spectantes: sic Ariani, sic Nestoriani, & cæteri Hæretici fecerunt: Igitur dicendum est Ecclesiam esse infallibilem in qualificatione textus, quia doctrinam sanam infallibiliter docere ei incumbit; alias portæ inferi adversus eam prævalerent: hoc autem fieri non potest, nisi judicet utique infallibiliter de textibus.

*Solvuntur objectiones Novatorum.*

Objiciunt: Ecclesia neque in Conciliis congregata, neque alio modo quidquam definivit de infallibilitate quæ illi ascribitur: Igitur cum in negotio tanti momenti nihil debeamus tenere, nisi prævia ipsius definitione, dicendum est Ecclesiam non esse saltem in facti quæstionibus infallibilem: quod autem nihil definitum sit circa istud momentum, liquet, quia nullus extat canon pro tali infallibilitate.

*Respondeo* distinguendo Antecedens: Ecclesia nihil definivit de infallibilitate sua circa jus & textus dogmaticos directe & immediate, concedo: nihil absolute definivit, ne quidem mediate, nego. Definitio duplex est, altera quæ immediate cadit in aliquod controversiæ caput, v. gr. definitio realitatis corporis Christi in Eucharistia, quam quidem expresse & directe atque immediate definivit Ecclesia contra Calvinum: altera vero mediata & in usu fundata, & est cum Ecclesia de omnibus controversiarum capitibus cognoscit: Enim vero, eo ipso quo usum & morem in promissione Christi fundatum gerit in dirimendis omnibus controversiis, nonne sufficienter proclamat suam in iis infallibilitatem? quis umquam audivit judicem a Rege constitutum & receptum, opus habere suam probare auctoritatem? Ecclesia autem a Christo fundata est, ut omnia ad fidem pertinentia dijudicet, ab eodem infallibilitatis promissionem habet in judicando; sic enim de ea scriptum est: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus*

*versus eam*. Jam vero definitio necessaria solum est quando est aliquod dubium; ast luce clarius apparet, ex istis verbis Ecclesiam esse infallibilem in iis omnibus quæ Religionem spectant; sin minus portæ inferi prævalerent adversus eam, & quidem maxime, si non esset infallibilis circa jus & textus dogma aliquod implicantes: nec ullus foret proscriptus hæreticorum liber, quia vel ipsi tametsi in scriptis suis damnati, possent semper alterum a condemnatione sensum affingere; ut declinarent Ecclesiæ vibrata contra nefandam suam doctrinam anathemata.

*Jam* veniamus ad possessionem. Ecclesia damnavit in Concilio Ephesino, & quidem judicio comparativo textus & scripta Nestorii: Concilium Chalcedonense eamdem quæstionem iterato judicio definivit: item Eutychen & ejus scripta vesanam exhibentia doctrinam anathemate percussit.

*Quintum* Concilium generale eo solum scopo adunatum est, ut de tribus Capitulis judicaret, quæ proscripsit, cujus in sententia infallibilitatem sic agnoscit S. Gregorius Magnus, ut pari veneratione illud cum quator primis Concillis Generalibus habeat. Constantiense nedum Wviclefum, Joannem Hus & Hieronymum a Praga proscripsit, sed & eodem anathemate eorum scripta conclusit. Tridentinum eodem modo Lutheranos & Calvinistas cum eorum scriptis insectatum est. Pari zelo & non absimili potestate Ecclesia delatum ab Episcopis Galliæ librum Jansenii Iprensis ad summos Pontifices Innocentium X. & Alexandrum VII. ann. 1653. & alternata vice ann. 1656. judicavit, & judicando proscripsit: quorum decreta ab universis ordinibus suscepta sunt. Tum Innocentius XII. & Clemens XI. iterato anathemate in scripta Novatorum, qui subtili molitione Constitutiones Apostolicas contra librum Jansenii factas tentare volebant, animadverterunt; quibus decretis Ecclesia Gallicana sic annuit, ut veluti fidei regulas ea inspexerit.

*Instant*: Ecclesia licet infallibilis ad qualificandum textum, non tamen est ad illum interpretandum: Ergo &c. Probatur: Quia I. Quandoque non attingitur mens auctoris. II. Sensus propositionum est vagus, & cum aliquis unum adhibet sensuum, cito apparet alter, inquit auctor Litterarum Provincialium. III. Ecclesia committit Doctoribus textus examinandos, qui quidem Doctores non sunt infallibiles. IV. Ipsa Ecclesia componitur ex fidelibus Laicis, qui utique non sunt infallibiles: Igitur non videtur Ecclesiam esse infallibilem, saltem in explicandis & definiendis textibus.

*Respondeo* negando Antecedens, quia qualificatio propositionum fundatur in textibus: Et vero quomodo Ecclesia determinasset quænam sint Scripturæ canonicæ, quænam vero non, nisi judicium tulisset de textibus? immo ex textibus Evangelii ejus in definiendo dogmate quoad quæstionem juris, concludimus infallibilitatem, quia Matth. 16. scriptum legitur: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Hinc diceres, ideo Ecclesiam esse infallibilem circa jus definiendum, eo quod sit in judicandis textibus indefectibilis.

*Ad* primam probationem distinguo: Non potest cognosci quænam sit mentis interior auctoris, concedo: quænam expressa in textu, nego. Sic solvit difficultatem Cardinalis Rospigliosus, dicendo Ecclesiam non judicare quidem de propositionibus quoad significationem in mente auctoris retentam, bene vero quoad significationem, quam propositiones exhibent & præ se ferunt.

*Ad* II. probationem dist. Et Ecclesia est infallibilis ad judicandum de sensu, qualiscumque sit, concedo: secus, nego. Si propositio nullum habeat sensum, hoc declarat; si ambiguum exhibet, aut obscurum, explicat ad quod terminantur ipse sensus, & hoc ultro concedunt Novatores tum pro Scripturæ sacræ textibus, qui ut plurimum alti sunt & obscuri, tum pro Augustini libris, qui etiam in multis sensus non modicum absconditos exhibent.

*Ad* III. prob. similiter distinguo: Et ipsa Ecclesia pronuntiat post examen Doctorum, & judicio comparativo procedit, concedo: secus, nego: Sic in Concilio Ephesino comparavit textus Nestorii cum textibus Patrum, & declaravit non convenire: eodem modo se gessit in quinto œcumenico pro tribus Capitulis: Primo enim lecti sunt longi textus Theodori.

Mopsuesteni, & Symbolum ab ipso compositum; tum dixerunt Patres, Satan hæc scripsisse. II. In quinta collatione lecti sunt longi textus Cyrilli Alex. & scripta Theodoreti; ista vero statim rejecta sunt tamquam a Catholica Cyrilli doctrina aliena. III. In 6. sectione lecta est epistola Ibæ, comparata vero cum scriptis antiquorum Patrum & Symbolis, rejecta est ut dissimilis, & fidei prorsus contraria. Ita factum est, proportione servata, pro textibus quinque Propositionum Jansenii: Non igitur Doctores, sed Ecclesia, auditis Doctoribus & Theologis, judicium profert, tum de quæstione juris, tum de quæstione facti dogmatici.

*Ad* IV. utique distinguo: Laici sunt de Ecclesia, ut illam audiant pro fide servanda & probis moribus instituendis, concedo: ut ipsi de controversiis Religionis judicent, nego. Solutio patet ex iis quæ de Catholicis Imperatoribus in articulo præcedenti diximus: Ad solos spectat summos Pontifices & Episcopos causas fidei discutere, & dirimere; ad Principes vero Laicos Ecclesiæ decreta executioni mandare, & ut subditi eis obediant invigilare.

*Urgent:* Cardinalis Rospigliosus nepos Clementis IX. & ipsius minister, declarat Clementem credidisse se posse dissimulare infallibilitatem circa texum, ut primum audivit quatuor Episcopos resistentes Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. paratos esse obedire: Igitur Clemens IX. non tenebat infallibilitatem Ecclesiæ saltem pro textibus.

*Respondeo* distinguendo: Clemens judicium de facto dogmatico alternata vice ad confirmandum Alexandri VIII. decretum œconomiæ causa suspendere æquum duxit, concedo: dissimulavit, dubitando de Ecclesiæ auctoritate infallibili pro judicandis factis dogmaticis, nego. Immo hoc ipsum implicat contradictionem, cum quatuor Episcopis exauctorationem seu excommunicationem, nisi absque mora obedirent Constitutionibus Innocentii X. Alexandri VII. pro quæstione juris & facti, interminatus sit; quia vero illis subscribere testati sunt, Clemens ulterius progredi noluit: Sed dato non concesso istum Pontificem suam mentem de hoc momento non satis aperuisse, hoc ipsum Inocentius XII. & Clemens XI. clare admodum in suis diplomatibus a Galliarum Præsulibus ea qua par est reverentia susceptis, dixere omnes teneri obedire Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII.

*Insistunt:* Atqui Ecclesia non est infallibilis saltem pro facto dogmatico: Ergo &c. Probatur subsumptum multis momentis. I. Ecclesia non judicat de internis. II. Procedit solummodo naturali & Theologico modo in quæstione textuum. III. Eadem quæstio non potest esse juris & facti mul: esset autem in quæstione quam movemus. IV. Non potest certo sciri, an liber & textus sit Jansenii, siquidem est factum particulare. V. Quomodo Ecclesia esset infallibilis in textibus? pro quibus interpretatione eget? ut in primis Conciliis, in quibus textus Græci Arii, Nestorii &c. sicut & in Florentino reddebantur linguæ latinæ: Pariter epistola latina B. Leonis, in qua decisiones fidei contra Eutychetem continebantur, reddita est grecię linguæ in Concilio Chalced. jam vero interpretes & fallere, immo & falli possunt. Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum. Ad primam probationem distinguo: Ecclesia non judicat de internis, id est, de iis quæ in mente retinentur, concedo: si interna propositionibus & textibus explanentur, nego. Quis enim sanæ mentis dixerit Ecclesiam non posse capere quinam sit alicujus propositionis sensus, cum & hoc litteratis concedatur: Sed insuper ex promissione Christi habet quod possit judicare de bonitate & veritate, sicut & de falsitate ac hæreticitate alicujus propositionis, tum & declarare textum librorum & rerum sensuum esse conformem Scripturæ sacræ & Traditioni, vel difformem & contrarium.

*Ad* II. distinguo: Et præterea habet ex promissione quod infallibiliter judicet, concedo: secus, nego. Nec mirum, sicut enim Spiritus sanctus præfuit Scriptoribus canonicis, ut in referendis historiis & rebus naturalibus non errarent, ita præest Ecclesiæ, ut non erret in decisione textuum qui implicant dogma & jus.

*Ad* tertium similiter, distinguo: sub eodem respectu quæstio non est simul de jure & de facto, concedo: sub diverso, nego. Textus potest sumi grammaticaliter & ut

& ut dicit talia, vel talia verba talis Personæ; sub hac consideratione est factum purum; hinc ultro fatemur Ecclesiam non esse infallibilem in decisione hujusmodi textus, quia non potest dici an talis, vel talis persona hoc scripserit, se se expresserit talibus, vel talibus verbis, siquidem a Librariis possunt verba æquivalentia apponi. Intercedit tamen discrimen, inter textum Scripturæ sacræ & alios textus, quod Scripturæ textus revelatus sit, & revelatio habeatur per Traditionem, unde Ecclesia est infallibilis etiam declarando quod talis numero textus sit genuinus, & per hoc distinxit Scripturas canonicas ab apocryphis; at vero non est infallibilis ad judicandum au textus sit talis auctoris, vel alterius pro rebus quæ non spectant Scripturam sacram & Traditionem, nisi auctor ipse, ut jam dictum est, suum agnoscat textum, juxta illud Luc 19. 22. *De ore tuo te judico serve nequam*. Porro textus potest considerari alio modo, scilicet formaliter, & secundum sensum obvium legenti, & Ecclesia habet infallibilitatem ad illum sub isto respectu judicandum.

*Ad* quartum pro more, distinguimus: Ecclesia non potuit judicare de libro Jansenii, quia est factum particulare, sed diffamatum; concedo: sed absconditum, nego. Liber duplici modo se prodit. Primo quidem ex nomine auctoris, & ad hoc attendit Innocentius X. in suo diplomate, dicens: *Cum occasione impressionis Libri, cui titulus*, AUGUSTINUS CORNELII JANSENII *Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia &c.* Secundo, ex asseclis, qui partes libri uti Iprensis fœti, tum Parisiis, tum Romæ egerunt, & hoc pro judicio facti personalis sufficit. Tum ad factum textus se convertit Ecclesia: quia vero duo ad declinandum pro libro Jansenii anathema opponebant, videlicet propositiones non reperiri in dicto libro, & juxta alios saltem non esse damnatas in sensu Jansenii, Ecclesia novo prævio maturo examine infallibiliter judicavit de textu, nimirum propositiones reperiri in textibus libri qui inscribitur, *Augustinus Cornelii Jansenii*; tum & propositiones in sensu obvio auctoris fuisse damnatas asserit, quasi vero Ecclesia non posset intelligere textum: quocirca sic definit Alexander VII. *Cum autem sicut accepimus nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propositiones, vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed ficte, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse asserere, magno cum Christi fidelium scandalo non reformident. Nos qui omnia quæ hac in re gesta sunt sufficienter & attente perspeximus ..... Ex debito nostri Pastoralis officii, ac matura deliberatione prælnsertam Innocentii, prædecessoris nostri constitutionem, declarationem & definitionem harum serio confirmamus, approbamus & innovamus; & quinque illas Propositiones, ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus* AUGUSTINUS, *excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse declaramus & definimus; & uti tales, inesta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione & definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus.*

*Ad* quintum distinguo, eo prope modo quo supra: Ecclesia eget interpretatione pro intelligentia textus materialiter & grammaticaliter sumpti, concedo: formaliter spectati, nego. Textus potest considerari duplici modo, videlicet, grammaticaliter & idiomate debito propositus; deinde vero formaliter, & juxta sensum obvium: Ecclesia adunata quandoquidem eget interpretatione pro idiomate, nusquam vero pro sensu; ex promissione enim Christi habet de illo infallibiliter judicare. Uno verbo, ut plura paucis absolvam, Ecclesia judicat de textu qui illi debito modo proponitur, unde si erraret, hoc contingeret solum defectu debitæ præsentationis. Igitur error in hypothesi foret solum materialis, & textus non diceretur formaliter definitus.

*Reponunt*: Ecclesia non est infallibilis, nisi ad summum circa res revelatas: Sed non est revelatum quod textus quinque propositionum v. g. sit in libro Jansenii: Igitur Ecclesia non est infallibilis circa textus definitionem. Confirmatur. I. Quia D. Thomas dicit, Ecclesiam non esse infallibilem circa textus. II. Patres non agnoverunt istam infallibilitatem. III. Sequeretur eum, qui negaret propositiones esse

esse in Jansenio, negare aliquid contra fidem & esse hæreticum, sicut ille qui negaret textum aliquem Evangelii: Sed absurdum consequens, ergo & antecedens.

*Respondeo* distinguendo: Ecclesia non est infallibilis immediate circa res non revelatas, & infallibilitate objecti, concedo: mediate & infallibilitate promissionis & assistentiæ, nego. Multiplex est infallibilitas, alia activa, & primario residet in Christo summo Sacerdote, mediate vero & per ipsum in Ecclesia, cui assistit, & in qua præsens est, juxta illud Matth. 28. 20. *Ecce vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi*. Alia passiva & objectiva, quando scilicet objectum est revelatum, quando & ipse textus veritatem continens, ut textus Scripturæ sacræ, revelatus est; utraque infallibilitas inest Ecclesiæ per Christum pro revelatis: unde qui negat Scripturæ textus, est hæreticus. Infallibilitas vero promissionis & assistentiæ inest Ecclesiæ pro aliis textibus; unde qui negat definitionem Ecclesiæ, in his non est absolute hæreticus, sed tamen æquivalenter, quippe qui, ipso pronuntiante Christo Matth. 18. *Sicut Ethnicus & Publicanus* habendus sit.

*Ad* primam confirmationem, distinguo: Sanctus Thomas agnoscit Ecclesiam non esse infallibilem circa textum res civiles continentem, concedo: fidei articulum complectentem, nego. Eo enim ipso quo Ecclesia est infallibilis in quæstione juris definienda, utique est in judicando quæstionem facti dogmatici, quandoquidem id quod definiendum est in ista, est jus & dogma in textu vel contentum, vel debellatum.

*Ad* secundum: nego Patres non agnovisse Ecclesiæ in definiendis textibus infallibilitatem, cum non semel adunati sint in Conciliis Oecumenicis ad judicandos erroneos Hæterodoxorum textus, maxime Quintum generale; cum enim alii salvare vellent tria Capitula, alii vero ea proscribere; sic se infallibile putavit pro hoc controversiæ momento ad metam perducendo, ut eo solum fine congregatum sit; adunatum vero illa damnavit, cujus definitionis formularium ab omnibus Christi fidelibus postea receptum & subsignatum est.

*Ad* tertium respondeo ut supra, distinguendo: Qui negaret textum propositionum esse in libro Jansenii foret hæreticus illative, concedo: nullo modo esset, nego. Non esset quidem in tanto rigore, quam ille qui negaret textum Scripturæ, quia iste est revelatus immediate, & a Spiritu sancto dictatus; hinc Concilium Tridentinum de fide definivit Vulgatæ textum esse autenticum; illative tamen foret propter duo. Primo quidem, quia qui negat factum dogmaticum, negat quoque consequenter ipsum dogma, quatenus quæstio juris, & quæstio facti sunt inseparabiles. Secundo, quia versaretur in errore, & foret Ecclesiæ rebellis, adeoque ut Ethnicus & Publicanus habendus.

## §. II.

*Utrum constet, ex decretis SS. Pontificum Ecclesiam esse infallibilem circa quæstionem juris & facti dogmatici?*

## CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

*Probatur unico, sed efficaci argumento.*

Nomine Ecclesiæ intelligimus Congregationem omnium fidelium, sub uno capite invisibili Christo in cœlis regnante, & visibili in terris summo Pontifice ejus Vicario cum successione Pastorum; quæque loquitur modo dispersa, modo in in Conciliis adunata, modo etiam per Caput, cui ut primum cæteri Pastores per consensum expressum, vel tacitum conjunguntur, jam non dicitur solum, Papa loquutus est, sed Ecclesia per summum Pontificem pronuntiavit. Atqui ex decretis summorum Pontificum constat Ecclesiam per Caput loquentem, esse infallibilem, pronuntiando circa quæstionem juris & facti dogmatici, sin minus portæ inferi prævalerent adversus eam, quod esset contra Christi promissionem factam Matth. 16. Igitur Ecclesia est infallibilis pronuntiando circa jus & factum dogmaticum. Probatur minor: Ad hoc, ut sic citra dubium loquatur per summum Pontificem, duo potissimum requiruntur. I. Ut Papa ad judicandum interpellatus loquatur ut Judex. II. Ut ejus judicio accedat consensus tacitus, vel expres-

pressus ceterorum Pastorum, quibus ex officio incumbit regere Ecclesiam Dei; tunc enim est Ecclesia quae dicitur loqui: vel ipsi novatores ultro concedunt esse infallibilem circa jus, sed & hoc fatendum est de quaestione facti dogmatici, iisdem enim argumentis utraque probatur infallibilitas. I. Quia portae inferi non possunt praevalere adversus Ecclesiam, praevalerent autem si erraret circa factum dogmaticum. II. Quia vel ipsi haeterodoxi ejus fatentur infalibilitatem circa textum Scripturae, quidni & judicare de ceteris textibus, num sint conformes, vel difformes Scripturae sacrae? III. Jam dictum est quaestionem facti jus implicare & esse ab eo indivulsam. Superest igitur ad istius argumenti efficaciam & pondus hic duo praestare. Primo quidem, summorum Pontificum decreta dogmatica recensere. Secundo, ostendere consensum Pastorum tacitum, vel expressum semper eis accessisse, quod quidem multi requirunt.

*Decreta summorum Pontificum circa quaestionem juris & facti dogmatici.*

S. HYGINUS Martyr, ut refert Ireneus lib. 3. cap. 4. damnavit nefandam heresim Cerdonis, qui non sine horrenda blasphemia Christum esse purum hominem effutire audebat. Mortuus est pro Christo ille Pontifex, anno 158.

*S. Eleutherius*, etiam generosus Christi Athleta Marcionem, tum Valentiuum, eorumque impia scripta damnavit. De hoc momento loquitur Tertullianus Lib. de Pre script. cap. 7. his verbis: *Sub episcopatu Eleutherii benedicti ob inquietam curiositatem, quia fratres vitiabant, semel, & iterum sunt ejecti.*

*Victor I.* nobilis fidei testis excommunicavit Theodotum Coriarium, propter novam heresim, quam disseminare attentabat. Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. ultimo mentionem facit de hoc facto.

*Zephirinus*, in sede, & Martyr insignis, successor, anathemate percussit Praxeam propter eius errores, similiter & Tertullianum, de quo ipse graviter conqueritur in libro de jejunio. Hieronymus refert eumdem Papam ejecisse ab Ecclesia Cataphrigas.

*Stephanus I.* restitit Rebaptizantibus, eorumque scripta & Conciliorum definitiones abjecit.

*Anastasius I.* qui ann. 398. summus erat Pontifex, orta inter Ruffinum & S. Hieronymum de libris & textibus controversia, altero sensum catholicum eos habere propugnante, altero vero e contra, judicavit & definivit illos esse nevis refertos, & uti tales abjiciendos esse: sic testatur Hieronymus epist. 16. sic Theodoretus lib. 5. cap. 23.

*Calestinus* in sua Decretali epistola ad Concilium Ephesinum directa, errores Nestorii, ejusque scripta contra Dominicam Incarnationem proscribit.

*S. Leo Magnus* in sua quoque ad Synodum Chalcedonensem naevos & textus Eutychetis anathemate ferit.

*Vigilius* in suo secundo rescripto, relatis & discussis tribus Capitulis, haereseos & proscriptionis notam inurit.

*S. Martinus I.* anathemate animadvertit in scripta & haereses Monothelitarum; post ipsum vero Agatho in sua ad sextum Concilium epistola.

*Adrianus I.* non absimili modo profligat, primum errores, tum scripta Iconomachorum, ut videre est in suo ad Concilium VII. generale rescripto.

*Leo X.* perstrinxit errores Lutheri, ejusque nefandos libros.

*S. Pius V.* in diplomate *Ex omnibus afflictionibus*. ann. 1567. dato, errores, varias & propositiones Baji cum textibus, e quibus fuerant excerptae; perstrinxit, & post ipsum Gregorius XIII. in sua vicissim Bulla *Provisionis nostra* ann. 1579. iterato anathemate percussit.

*Urbanus VIII.* in suo decreto dogmatico *In eminenti Ecclesia militantis sede* ann. 1641. librum Jansenii Iprensis, cui titulus est, *Augustinus* proscripsit & prohibuit. Idem solemniori ritu, & ex professo fecit Innocentius X. in Bulla *Cum occasione* ann. 1653. data, tum alternata vice post ipsum Alexander VII. ann. 1656. textum quinque propositionum, in diplomate *Ad sacram Petri sedem*, anathematis gladio ferire non dubitat. Mitto alia diplomata, tum Innocentii XII. tum Clementis XI. nunc contra casum conscientiae & a Novatoribus subscriptum, nunc contra 101. Propositiones ex libro Reflexionum Moralium Ques-

nel-

nelli deductas, quæ quidem omnia dicta & scripta ab Ecclesia repulsa sunt. Quorum omnium Pontificum decretis accessit corporis Ecclesiæ consensus tacitus, vel etiam, pro ut necessitas expostulavit, expressus, ita ut nihil nisi post omnia aliquid pro infallibilitate Ecclesiæ, & circa quæstionem juris, & circa quæstionem facti sit requirendum: jam operæ pretium est hujusmodi peroptatum a multis consensum hic texere.

*Consensus Ecclesiæ universalis accedens, dum per summos Pontifices ipsa loquitur.*

PRIMOQUIDEM, ex omnibus Historicis liquet Ecclesias particulares, eorumque Præsules suum tacite addidisse calculum definitionibus fidei SS. Pontificum adversus hæreses ad Nicænum usque proscriptas; Ecclesia quippe Cerdonem, Cerinthum, Ebionem, Theodotum Coriarium, & hujus surfuris homines ut hæreticos abominabiles fugiendos, detestandosque habuit. Nec minore odio Marcionistas, & Montanistas, Cataphrigas prosecuta est.

*Secundo*, primæ Nicænæ Synodi sic accessit consensus judicio Victoris I. contra Quatuordecimanos, et Stephani I. adversus Rebaptizantes, ut speciali decreto eos insectata sit.

*Tertio*, eodem applausu definitio Anastasii, qui textus et doctrinam Origenis abjecit, suscepta est, ut constat ex S. Chrysostomo, qui ut referunt Ecclesiæ Annales, abstinuit a duobus Monachis Scytiæ, eo quod post condemnationem et auctorem et libros, tamquam ab omni nævo immunes habere volebant: hoc ipsum magis refulsit in Concilio quintogenerali, quod libros Origenis suo perstrinxit stylo censorio.

*Quarto*, Concilium Ephesinum per omnia se conformare voluit definitioni Cælestini Papæ, et sicut Nestorium ejusque scripta abjecerat summus Pontifex, sic et non absimilem a judicio comparativo contra eadem momenta damnationis sententiam tulit.

*Quinto*, in Chalcedonensi lecta est epistola sancti Leonis de fide Incarnationis contra Eutychianos; absoluta vero lectione, tanto animi cum Jubilo ei consenserunt Patres, ut erumpente omnium sere voce clamaverunt, *Petrus per Leonem locutus est*.

*Sexto*, pari et simili honore Patres sexti Concilii generalis suscepere epistolam decretalem Agathonis Papæ, adversus errores et textus Monothelitarum; neque vero asserere dubitavit Concilium se damnare Monothelitas, quia nominatim jam jam fuerant per illum summum Pontificem abjecti.

*Septimo*, sequitur Concilium secundum Nicænum, & septimum generale, quod per omnia consensit epistolæ Adriani ad Patres directæ, in qua Iconomachorum nævos & textus erroneos anathematizabat; sic loquuntur sess. 6. pag. 530. Conc. edit. Reg. *Commentarium enim illud rejicimus, beatum autem Patrem catholicæ Ecclesiæ Doctorem agnoscimus*, scilicet Adrianum.

*Octavo*, Eo honoris & applausus gradu diploma dogmaticum Leonis X. contra Lutherum susceptum est, ut Sacra Facultas Parisiensis in virtute ejus, præmaturis censuris non expectando Concilii Tridentini adunationem, diversas Hæresiarchæ propositiones perstrinxerit.

*Nono*, non absimili modo diplomata Pii V. & Gregorii XIII. adversus propositiones ex scriptis Baji desumptas, tum Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX. Innocentii XII. & Clementis XI. contra quinque Jansenii propositiones, adhibita omni juris & consuetudinis solemnitate Galliarum Ecclesiæ suscceperunt, ita ut litteris patentibus regiis, & cujuscumque regni Senatus decreta pro eorum executione accesserint: sicque ab omni ævo accessit semper consensus nunc tacitus, nunc etiam expressus definitionibus Ecclesiæ per summum Pontificem loquentis: & confidimus Deo nusquam in posterum deficiet: Igitur ex decretis SS. Pontificum liquet Ecclesiam esse infallibilem definiendo quæstionem juris & facti dogmatici.

*Diluuntur objecta Heterodoxorum.*

MULTA objiciunt momenta contra conclusionem. I. Synagoga, inquiunt, loquens per Caipham summum Sacerdotem graviter erravit in fide, Christum morti crucis addicendo. II. Vel ipse Petrus Apostolo-

flolorum Princeps Christum negavit, cæteri vero qui Ecclesiam componebant, relicto Christo a Judæis comprehenso, fugerunt. III. Victori I. tametsi pro Ecclesia loquenti restiterunt Episcopi Asiatici; similiter Cyprianus & Firmilianus restitere Stephano I. qui volebat morem Romanum pro admittendo baptismate ab hæreticis verbis Evangelicis collato, servari. IV. Liberius nomine Ecclesiæ loquens subscripsit formulæ Arianæ. V. Fuit in ipso Ecclesiæ gremio dissidium occasione trium Capitulorum, quæ uti erronea sextum Concilium generale damnaverat, vel ipso renitente Vigilio. VI. Honorius Papa in suis ad Sergium Patriarcham CP. epistolis, nonnihil reticendo duplicis in Christo operationis vocabulum, ut quidam autumant, Monothelitis favit, & tamen neque ab Orientalibus, neque etiam ab Occidentalibus reprehensus est. Igitur Ecclesia loquens per summos Pontifices, non est circa quæstionem juris & facti dogmatici infallibilis; sin minus restitisset Honorio.

*Respondeo* negando consequentiam, & ad singula facimus satis.

*Ad* primum dico Synagogam Christum morti tradendo in immensum errasse; nec mirum, præsente Christo totius Ecclesiæ capite, in ipso solo residet infallibilitas; non enim eam promisit, & promissam Ecclesiæ dedit, nisi pro suæ absentiæ tempore: ipso vero mortuo, & in cœlos virtute sua transmisso, ne portæ inferi suam adversus Ecclesiam prævalerent, ex misericordia voluit ratione donorum, maxime vero ratione assistentiæ & infallibilitatis Ecclesiæ ad consummationem usque sæculi adesse.

*Ad* secundum eadem est responsio, tum quia Apostoli nondum tempore passionis erant in gratia confirmati: cæterum Apostoli timore cadente in virum constantem acti fugerunt, sed nihil contra fidem, de qua præsens controversia movetur, egerunt: hinc vel ipse Petrus fidem interius non amisit, quandoquidem immediate post flevit amare, & culpam negationis sicut retractavit, sic & lacrymis pœnitentiæ delevit.

*Ad* tertium, dicimus incassum objici contra Ecclesiæ infallibilitatem, tum Asiaticorum, tum Africanorum obnitentiam, cum utraque quæstio mota, tum de celebratione Paschatis, tum de Rebaptizandis iis qui ab hæreticis tincti fuerant, tunc temporis esset solum de disciplina; controversia vero de infallibilitate Ecclesiæ, solum nunc dogma, nunc factum dogmaticum spectat.

*Ad* quartum, Liberius non subscripsit nomine Ecclesiæ, sed ut persona particularis, unde vel minimum quidem non urget objectio. Ostensum est tamen tract. de Trinit. vel ipsum a fide non excidisse, quippe qui non secundæ formulæ Firmiensi blasphematoriæ, immo nec tertiæ subscripserit, sed solummodo primæ, quam quidem sanctus Hilarius & alii ab omni erroris nævo immunem esse putant.

*Ad* quintum momentum facilis est responsio, & hæc est: Vigilius timebat ne condemnatio trium Capitulorum aliquid auctoritatis & energiæ detraheret a Concilio Chalcedonensi, quod mira pro astruenda contra Monophysitas Incarnationis veritate statuerat, & tamen intacta reliquerat Capitula, idcirco silentium de his servandum esse sentiebat Papa, sed re maturius ponderata, ne isti textus fidem temerarent, loquendo ex Cathedra, & ut Ecclesiæ caput, illa lato calamo nominatim, & ex professo sic perstrinxit, ut hæreticitatem in quolibet textu latentem subnotaverit, tum Concilio suum absque mora addidit calculum; ex quibus liquet Ecclesiam in hoc suam ostendisse in judicandis vel ipsis textibus infallibilitatem.

*Ad* sextum luce promeridiana clarius apparet I. Honorium in hoc ut doctorem particularem se gessisse, ut propugnat Thomassinus diss. in 6. Synodum, cum pro more hujus ætatis, nec Concilium Romæ prius adunaverit ad discutiendum dogma definiendum, nec suas epistolas ad universalem direxerit Ecclesiam, sed ad solum Sergium dubia solvenda proponentem; hinc ex scriniis Ecclesiæ CP. ipsæ fuerunt excerptæ. II. Silentium Occidentalium argumentum est irrefragabile, Honorium nihil contra fidem docuisse, & Ecclesiam, ipsum semper ut caput & supremum omnium Pastorem habendo, fidem ne indirecte quidem per illum tentasse.

§. III.

§. III.

Utrum Ecclesia in Conciliis Oecumenicis loquens sit infallibilis circa quæstionem juris & facti dogmatici?

CONCLUSIO.

Ecclesia sic loquens est infallibilis, & ex ipsis Conciliis clarescit infallibilitas.

*Probatur hoc argumento.*

Ecclesia in Conciliis generalibus adunata loquitur: Sed Concilia Oecumenica sunt circa fidem & religionem infallibilia: Igitur & Ecclesia. Major patet, cum Concilium Oecumenicum sit ipsa Ecclesia in Spiritu sancto congregata. Probatur minor multis momentis.

*Primo ex Scriptura sacra* initio articuli jam laudata, maxime ex Isa. 59. 20. ubi habetur: *Cum venerit Sion Redemptor .... hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui amodo & usque in sempiternum*. Tum Matth. 18. *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Ibidem paulo ante: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo*. Rursus 1. Tim. 3. *Ecclesia Dei vivi columna & firmamentum veritatis*, appellatur. Tum Act. 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis*. Ex his sequitur istud argumentum: Ubi Deus adest, & loquitur, ibi non potest esse error: Sed Deus loquitur per Concilia Oecumenica, uamque ex Isaia hoc fœdus iniit cum Ecclesia, ut sit in sempiternum cum Pastoribus illam repræsentantibus: adest ut primum in uomine ejus adunantur Præsules cum summo Pontifice, & ipsius Christi auctoritate suffulti ligant & solvunt, prout judicaverint: Ecclesia sic adunata est columna & veritatis firmamentum: innixa super dilectum suum ait dum emittit judicium: *Visum est spiritui sancto, & nobis*. Igitur constat ex Conciliis Ecclesiam esse infallibilem circa ea quæ fidem & religionem spectant, cum ipsa Concilia Oecumenica approbata, sint infallibilia.

*Secundo, ex summis Pontificibus*, qui declarant Concilia generalia approbata infallibilitatis prærogativa donari.

*Sic* declarat sanctus Petrus Apostolus Act. 15. quum ait: *Visum est Spiritui sancto & nobis nihil ultra vobis imponere, &c.*

*Sic* Cœlestinus epist. ad Patres Concilii Ephesini: " Non potest, *ait*, veritas mentiri, cujus in Evangelio ista sententia est: ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. Quod cum ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus sanctus deest, quanto magis eum interesse credimus, quando in unum convenit tanta turba Sanctorum. "

*Sic* S. Leo epist. 93. alias 63. ad Theodoretum capit. 1. " Quæ Dominus nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu. " Tum epist. ad Leonem Augustum 145. alias 73. " Nulla permittatis retractatione pulsari; quia in illo Concilio per Spiritum sanctum congregatum, tam plenis atque perfectis definitionibus cuncta firmata sunt, ut nihil ei regulæ, quæ ex divina inspiratione prolata est, addi possit aut minui. "

*Sic* Vigilius epistol. ad Episcopos Galliarum: " Necesse est quoties in nomine Domini ejus famuli ad tractanda ea quæ sunt ipsi placita colliguntur, sancti Spiritus uon deesse præsentiam. " Rursus in suo rescripto ubi tria damnat Capitula, ait se recipere quatuor ptiora Concilia generalia: expressius Gregorius Magnus epist. 25. alias 24. lib. 1. ad Joannem. Episcopum CP. his verbis: " Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor ... quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. "

*Tertio, ex SS. Patribus*, qui eamdem in Conciliis Oecumenicis agnoscunt dotem.

*Tertullianus* primus accedit nobis ut veritatis Orator. Ita loquitur lib. de Jejuniis capit. 13. " Aguntur, *ait*, præterea per Græcias illa certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa

„ ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. „

*Tum* S. Athanasius epist. ad Episcopos Africanos: " Verbum, *inquit*, Domini „ per Oecumenicam Nicææ Synodum manet in æternum. „ Audis indefectibile, teste Athanasio, primi Concilii generalis judicium. Concinit Ambrosius epist. 31. his verbis: " Sequor tractatum Nicæni Concilii, a quo me, nec mors, nec gladius poterit separare. „ Hinc lib. 3. de fide cap. 15. alias 7. vocat decreta Nicæna: *Hereditaria signacula nullius temeritate violanda.*

*S. Hieronymus* dial. contra Luciferianos loquens de Athanasio, Hilario, aliisque sanctis Confessoribus, ait: " Quomodo „ poterant adversum Synodum Nicænam „ facere, propter quam exilia sustinuerunt? „

*Non* prætereundus sanctus Augustinus, qui lib. 2. de Baptismo cap. 7. exigit præter Concilia Provincialia & Nationalia, generale, ut controversiam de rebaptizatione adversus obstrepentes Donatistas ad metam irrevocabiliter perducat, & ita loquitur: " Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante „ schisma Donati magnos viros, & magna charitate præditos Patres Episcopos inter se compulit, salva pace disceptare atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint, donec plenario „ totius orbis Concilio, quod saluberrime „ sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur. „

*His* omnibus accedit definitio Concilii Senonensis ann. 1525. adunato, quod quidem decreto 3. sic habet: " Proinde cum „ certa sit & infallibilis Ecclesiæ regula, „ nec aliquando visibilitatis prætextu „ tandem eludi queat: ea profecto sacris Generalibus Conciliis auctoritas „ denegari non potest, quæ proxime „ universalem repræsentant Ecclesiam. „

*Quarto:* Hoc ipsum ratio demonstrat, quæque sic deducitur: Christus Matth. 16. promittit infallibilitatem Ecclesiæ his verbis iterum atque iterum laudatis: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* Sed Ecclesia perfectissime est in Concilio Oecumenico approbato adunata, cum ibi adsint membra cum capite: Igitur Concilium Oecumenicum est infallibile circa id omne quod spectat Religionem, videlicet circa quæstionem juris & facti dogmatici, & Ecclesia in eo & per illud.

*Diluuntur objecta.*

Oppones: Nihil certi sæpius ex Conciliis habetur: Igitur non satis constat ex Conciliis Ecclesiam esse infallibilem. Probatur multis momentis.

*Primo* in Concilio Apostolorum Jerosolymis habito definitum est legalia non amplius obligare, & tamen statuunt Apostoli Gentiles abstinendos esse a sanguine & suffocato, quod est præceptum Mosaicum: Paulus circumcidit Timotheum, quæ quidem & similia sunt legalia; hinc & Concilio non nihil implicantia adesse videntur.

*Secundo*: Concilium I. Nicænum definit fidem consubstantialitatis secundæ sanctissimæ Trinitatis personæ verbo *Homousion* exprimi & determinari, ita ut illam rejicientes vocem, habeantur ut Hæretici, & tamen vix elapso Concilio *Homiousion* permittitur, hoc est, similis substantiæ. Id ipsum tolerat Athanasius lib. de Synodis; tum Hilarius de Synod. & sic nova exurgit contradictio.

*Tertio*: Concilium I. CP. & secundum Generale septem edidit canones, & tamen primum dumtaxat approbavit Damasus Papa; hinc cæteri prorsus vacui habiri sunt.

*Quarto*: Synodus Ariminensis ex 400. circiter Episcopis Occidentalibus conflata, Seleuciæ vero ex 150. Orientalibus, abjecta est.

*Quinto:* Concilium tertium generale, seu Ephesinum eo ipso tempore quo adunabatur, impugnatum est a Joanne Antiocheno, qui in eadem urbe alteram quadraginta circiter Episcoporum opposuit Synodum, in qua Nestorius in priori proscriptus, absolutus, & ut optimus, ne dicam ut sanctus Episcopus habitus est.

*Sexto*: In ipso Concilio Chalcedonensi dissensio non modica fuit, cum Episcopi Ægypti nollent S. Leonis epistolæ, quam reliqui suscipiebant, subscribere: Tum Dioscorus alterum Ephesi adunavit, in

quo

quo quidem cum magno Episcoporum numero acta rescidit, & Flavianum Patriarcham flagellis cæsum abjecit. Immo vel ipse S. Leo non nisi sex priores Synodi Chalcedonensis sessiones probavit, de cæteris vero in posterioribus actitatis in utramque partem disputare permisit.

*Septimo:* Norunt omnes Vigilium Papam primum restitisse quintæ Synodo Oecumenicæ, quæ vel ipso invito, tria damnaverat Capitula, sed etsi a summo Pontifice postea approbata, plurimæ tamen Ecclesiæ, videlicet Galliarum, Hispaniæ, & Siciliæ, non nisi elapsis multis annis illam suscepere.

*Octavo:* Non una contradictio in sexto Concilio generali comperitur. Ibi enim quinta Synodus Oecumenica in tribus quaternionibus deflorata dicitur: Honorii ad Sergium epistolæ tametsi Catholicæ igni dantur: Ipse vero, omissa omnis juris solemnitate, eodem cum Monothelitis anathemate percutitur, & tamen Patres sess. 17. & in epistola Synodica ad Agathonem testantur eos solum proscribere, quos ipse specialiter & nominatim per sententiam latam abjecerat: ubi Gentium reperietur Agathonem per sententiam latam damnasse Honorium, cum potius in sua ad Concilium epistola affirmet, omnes prædecessores suos ad suam usque parvitatem fuisse ab omni erroris nævo immunes?

*Nono:* Concilium secundum Nicænum, quod fuit septimum generale ann. 781. definivit colendas esse sanctas imagines; hunc tamen cultum prius rejecerant duo Concilia ann. 730. & 755. Constantinopoli habita, tum & postea in Concilio Franco-furtensi anno 794. reprobatus est.

*Decimo:* Ann. 692. Constantinopoli in Palatio Imperatoris quod Trullanum dicebatur, adunatum est ex magna Episcoporum multitudine Concilium, vulgo dictum Quini-sextum, quippe quod fuerit in supplementum quinti & sexti Concilii generalis, cujus tamen canones abjecit Ecclesia Romana.

*Undecimo:* Multa sunt alia Concilia generalia partim approbata, partim etiam non approbata, ut Sardicense, Franco-furtense, immo Constantiense, & Basileense apud Gallias tamen magni ponderis.

*Duodecimo:* Vel ipsum Concilium Tridentinum, universim non est receptum, non dicam solum pro disciplina, verum etiam & in iis quæ Religionem spectant, videlicet circa matrimonium clandestinum, quod vacuum & nullum esse declaravit, cum tamen in quibusdam regionibus habeatur semper, si non ut licitum, saltem tamen ut validum.

*Ex* his omnibus sic objicitur: Ecclesia loquens per Concilia generalia non est infallibilis, si error in jure & in textibus non semel in definitionibus compertus sit: si canones tametsi optimi & ad finem bonum tendentes sæpius tamen abjecti sint: Atqui ex allatis constat hæc & similia contigisse in definitionibus quas Ecclesia in Conciliis Oecumenicis edidit: Ergo &c.

*Respondeo* I. in genere nullam in puncto fidei compertam fuisse implicantiam, ita ut, qui canoni de quæstione juris aut facti dogmatici restiterunt, non abjecti sint: sic proscripti & damnati sunt in Concilio primo Nicæno septem circiter Episcopi, qui nec Ario, nec eius Thaliæ anathema dicere nolebant; nec ad pacem & Ecclesiæ recepti sunt, donec pœnitentes utriusque momenti subscriberent damnationi.

*Respondeo* II. negando antecedens primi argumenti, cum ex iteratis probationibus constet omnia Conciliorum Oecumenicorum decreta circa fidem & Religionem suum obtinuisse robur, & ad hæc usque tempora sint fidei regulæ. Et vero non-ne Cerdonistæ, Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, Prædestinatiani, Monothelitæ, Iconomachi, Protestantes, Sociniani, & hujus surfuris homines ab Ecclesia proscripti, semper habentur ut Hæretici, & a corpore Ecclesiæ, ut membra putrida, divulsi & rescissi? Jam ad singula faciendum est satis.

*Ad* primum respondemus cum S. Thoma, Synagogam, non sine Spiritus sancti afflatu debuisse cum honore sepeliri, unde non mirum si Apostoli, ad quos spectabat dispensare in disciplinæ puncto, aliquas cæremonias celebraverint, quod quidem egerunt duabus sub conditionibus: Primo quidem quod hoc solum ad tempus & per transennam fieret, ne si absque mora omnis ritus legalis rescinderetur, aliquis crederet Legem Mosaicam fuisse malam: Secunda, ut si levius aliqua celebraretur cæremonia, fides Christi

in

in Concilio Jerosolymitano explicata & proposita, eatenus retineretur, quatenus nullus in lege spem reponeret, credendo per eam justificari posse; quam quidem conditionem explanat Apostolus ad Gal. 5. ubi sic alloquitur Judæos ad fidem conversos: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*.

*Ad* secundum: Nihil roboris detractum fuit per verbum *homiousion* a vocabulo *homousion* a Patribus Nicænis pro significanda & exprimenda verbi consubstantialitate consecrato; permansit semper fidei regula, ita ut qui ab ejus significatione declinarent, alieni ab Ecclesia censerentur; quia tamen a pluribus Catholicis œconomiæ causa *homiousion* usurparetur, hoc ipsum Athanasius passus est, modo illa utentes voce, Verbum in substantia, & semota omni in entitate differentia Patri simile dicerent: passus est & cum ipso sanctus Hilarius, toleravit & in eodem sensu Basilius, ut ex professo in tractatu de Trinitate probavimus.

*Ad* tertium: Solus primus secundi Concilii generalis Canon fidem de Spiritus sancti divinitate respicit, de qua solum hic quæstionem movemus: Igitur reliqui Canones disciplinam spectantes potuerunt a summo Pontifice propter causas sibi notas absque Religionis dispendio abjici.

*Ad* quartum: Evacuatum Concilium Ariminense, tum & Seleucianum Ecclesiæ infallibilitatis argumenta sunt: neque enim illud, neque istud subscribendo fraudulosis Arianorum fidei formulis, erat suscipiendum. Hinc S. Damasus Papa in sua ad Præsules Hystriæ epistola ait, nullius esse ponderis Concilium Ariminense, quandoquidem nec Liberius Ecclesiæ Caput, nec Vincentius Capuanus eius in Concilio Orator & Legatus, ejus consenserant subscriptioni.

*Ad* quintum: Ne minimum quidem facessit contra infallibilitatem Ecclesiæ negotium Synodus Spuria Joannis Antiocheni sine auctoritate legitima congregata; hinc ipse cum suis ad meliorem rediens frugem, damnatis scriptis & persona Nestorii, suum addidit Concilio Ephesino calculum.

*Ad* sextum: Dissensio penes decem circiter Ægypti Episcopos fuit, quos ceteri Patres sub interminatione anathematis epistolæ S. Leoni subscribere compulerunt: ut videre est in Actibus, & de facto ei consenserunt. Cæterum Synodus Ephesina Dioscori molitione habita est, & ad nos usque, habetur ut latrocinium: quasi vero exciderent Concilii de fide canones, eo quod ipsis resistant Heterodoxi, cum potius eo conditi sint fine ut Hæretici ab Ecclesia ejiciantur.

*Ad* septimum: Vitio non vertendum est Vigilio, quod non nisi matura deliberatione prævia, Concilium quintum probaverit, eventus enim probavit id prudenter egisse, cum omnes ferme Occidentis Ecclesiæ primum illam Synodum rejecerint, certiores tamen per Pelagium factæ, quod fides Dominicæ incarnationis in periculum veniret, & prorsus in Oriente nutaret, donec abjicerentur tria Capitula, Synodi canonibus consenserunt.

*Ad* octavum: Non deficiunt inter doctos & eruditos qui propugnent nonnullas irrepsisse in sextum Concilium Oecumenicum deflorationes, & Theodorum Patriarcham CP. Monothelitam in exemplaribus Concilii manu-scriptis loco sui nominis in canone proscribente Monothelitas, nomen Honorii apposuisse, quam fraudem appertam habere non sine fundamento putant, maxime ex duobus: Primo quidem ex eo quod sit manifesta contradictio inter epistolam Agathonis & definitionem Concilii; nam in illa Agatho asserit omnes predecessores suos fuisse in fide sanos, e contra vero Patres in suo contra Monothelitas canone dicere non dubitant anathema Honorio, eo quod fuisset primum ab Agathone anathemate animadversum, quæ duo prorsus disparata & contraria sunt: Secundo, quia Theodorus nullibi legitur damnatus, cum tamen, teste Mimburgio, ejus in errore pertinacia fuerit Concilii adunandi ratio.

*Ad* nonum: Duo Concilia Orientis Constantinopoli habita a Catholicis velut Pseudo Synodi Iconomachorum repulsæ sunt, nec quidquam roboris in Ecclesia Romana usquam habuere, sed & falsum est, ut suo loco tractando de cultu SS. probavimus, Synodum Franco-furtensem damnasse venerationem relativam sanctis imaginibus debitam, sed solum cultum latriæ

triæ absolutum soli vivificæ Trinitati exhibendum, quem tamen errore detenti Patres vel ipsis Sanctorum imaginibus canone Nicæno reddendum esse putabant. Neque vero iidem Patres usquam dixere inesse majorem vim sanctis imaginibus, quam Evangelii prædicationi ad ciendos pietatis affectus; hoc unum dubio-procul Act. 5. Joannes Presbyter dixisse refertur, videlicet, homines magis ad virtutem moveri Sanctorum imaginum visione quam sermone: *Itaque*, ait, *major est imago*, & *hoc Dei providentia factum est propter idiotas homines*. Sic autem locutus est occasione imaginis, in qua tam vivis & acutis coloribus Pictor expresserat Martyrium sanctæ Euphemiæ, ut admirationem simul & lacrymas intuentium provocaret. Cæterum Synodus Franco-furtensis non fuit Oecumenica, sed solum Nationalis.

*Ad* decimum & undecimum: Concilia partim approbata, partim non approbata iterato argumento probant Ecclesiæ infallibilitatem, cum nusquam munita sint universali Ecclesiæ Romanæ, & aliarum sibi conjunctarum assensu. Sed non reperies Canones eorum fidem astruentium fuisse propulsos.

*Ad* ultimum: Dico Concilium Tridentinum in universo orbe orthodoxo recipi pro Canonibus fidei, secus vero pro disciplina & aliis quæ jura Regnorum spectant. Inter ista momenta annumeratur Matrimonium, quod quidem licet sit Sacramentum, est tamen contractus qui quasdam subit conditiones, quæ juxta legem Patriæ modo admittuntur, modo etiam rejiciuntur; hinc mirum videri non debet, si Matrimonium clandestinum in quibusdam regionibus valeat.

*Ad* argumentum ex consectaneis factum, concessa majore, distinguo minorem: In Conciliis non approbatis quandoque error in fide contigit, concedo: in approbatis, nego. Si quis enim in ea obrepit error, idcirco juxta disciplinam vel facta pura & non dogmatica fuit: sic sexta Synodus comperuit quintam Synodum Generalem fuisse in tribus quaternionibus defloratam.

*Instabis:* Atqui de facto nihil certi habetur ex Conciliis generalibus: Ergo &c. Probatur subsumptum: S. Gregorius Naz. epist. 55. ad Procopium ait, exitum Conciliorum sæpius infelicem evadere: " Ego, „ *ait*, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem conventum Episcoporum fugiam: quoniam nullius Concilii finem lætum & faustum vidi. „ Non absimilia scribit S. Augustinus lib. 2. alias 3. contra Maximinum cap. 14. ubi eum sic alloquitur: " Nec ego Nicænum, nec tu „ debes Ariminense tamquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. „ Sed hæc auctoritatum momenta infallibilitati Conciliorum adversantur: Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum: Ad probationem distinguo minorem: In sensu obvio utraque auctoritas adversatur infallibilitati Conciliorum, concedo: in sensu naturali ab auctoribus intento, nego. S. Gregorius I. Non loquitur de Conciliis Oecumenicis, sed solum provincialibus. II. Sermonem instituit de Conciliis adunatis factione Arianorum, qui fidem Nicænam tentabant, & S. Athanasium insectabantur, quale fuit Concilium Ariminense, quale Seleuciense, quale Tiriense, quale Mediolanense, & Syrmiense, quorum exitus semper Ecclesiæ erat exitialis; namque ætas illius S. Doctoris incidit inter Concilium primum & secundum generale. Jam vero nemo cordatus dixerit illum Patrem abnuisse utrumque istud Concilium. Igitur non nisi de Pseudo-Arianorum Conciliis loquitur.

*Si* de mente August. agatur, certum est S. Doctorem non abnegasse, sed supposuisse Concilii Nicæni auctoritatem, quam ibidem agnoscit his verbis: " Hoc est il„ lud *Homousion*, quod in Concilio Nicæ„ no adversus hæreticos Arianos a Catho„ cis Patribus veritatis auctoritate firma„ tum est. „ Quia vero specialis controversia mota fuerat inter se & adversarium de auctoritate Concilii Nicæni & Ariminensis, illud suscipiens, e contra vero Maximinus, ne dimittat adversarium, via compendiosa & expedita in promptu Scripturæ gladio illum confodit, ostendens illi verbum Dei scriptum sufficere, ut illi secundæ SS. Trinitatis personæ cum prima consubstantialitas probetur.

§. 17.

§. IV.

Utrum ex Traditione Patrum constet Ecclesiam esse infallibilem circa quæstionem juris & facti?

*CONCLUSIO AFFIRMATIVA.*

DUPLICIS generis Patrum habemus ad conclusionem probandam testimonia: In multis passim asserunt Ecclesiam esse infallibilem, nec posse errare exponendo credenda: In aliis extendunt ad textus judicandos ejus infallibilitatem.

*Testimonia Patrum de infallibilitate Ecclesiæ pro Dogmate.*

S. IRENÆUS agmen ducet lib. 3. adversus hær. cap. 2. pag. 250. ubi revincit Hæreticos, qui superbia elati confidebant per se ipsos sensum infallibilem Scripturarum invenire: " Quod quidem, *ait*, impudentissime est blasphemare. „ Tum Traditione eos infectatur, subditque: " Quapropter undique resistendum est illis, si quos ex his retusione confundentes, ad conversionem veritatis adducere possimus. „

*Tum* cap. 3. pag. 232. & 233. eis ostendit solam Ecclesiam habere circa dogmata definienda infallibilitatem, quia fidei veritatem a Christo per Petrum habet, qui fidei suæ a Christo acceptæ & dignitatis successores sine intermissione habuit & semper habet: " Traditionem, *inquit*, itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint audire: & habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt quale ab his deliratur. „ Tum ait, Petro Linum successisse; Lino, Clementem; Clementi, Evaristum. Quibus peractis, sic concludit: " Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia Traditio, & veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam & eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate. „ Audis ex Irenęo inesse Ecclesiæ Romanæ plenissimam veritatis ostensionem, adeoque infallibilitatem, cum ex eodem, extra ejus placita dogmatica loqui & sentire sit blasphemare.

*Tertullianus* ex professo in toto libro de præsc. eodem medio ostendit infallibilitatem circa fidei dogmata in sola Ecclesia Romana reperiri, quia contra vana hæreticorum obstrepentium commenta in hoc eatenus præscripsit, quatenus continua successione fidem ab Apostolis acceptam, illibatam servavit. Sic loquitur cap. 20. pag. 237. edit. Paris. 1534. " Apostoli .... assumpto per sortem duodecimo Mathia in locum Judæ ex auctoritate Prophetię, quæ est in Psalmo David, consecuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes & eloqnium, primo per Judæam contestata fide in Jesum Christum, & Ecclesiis institutis; dehinc in orbem profecti, eamdem doctrinam ejusdem fidei Nationibus promulgaverunt, & proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cęterę exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant, ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur, necesse est. „

*Pergit* cap. 21. pag. 238. & sic concludit: " Hinc igitur dirigimus præscriptionem.... Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio prejudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. „

*S. Cyrillus* Alex. alius est ejusdem veritatis assertor & vindex: Nestorium hæreticum sic alloquitur in epist. Synod. ad ipsum directa: " Propter hoc addendum illud est, ut scripto ac jure jurando affirmes te præterea anathematizare quę scelesse & profane hactenus sensisti: &

„ ea rursum post hac te sensurum & do-
„ ctorum polliceare quæ & nos, & cęteri
„ omnes quotquot vel in Occidente, vel
„ in Oriente vivunt Episcopi, Doctores
„ ac Duces populorum.... Hæc enim est
„ Catholicæ Apostolicæque Ecclesiæ fides,
„ in qua universi Occidentis & Orientis
„ orthodoxi Episcopi consentiunt. „

*S. Augustinus* facto, viva voce & scriptis ubique contra Donatistas & Pelagianos Ecclesiæ rebelles infallibilitatem Ecclesiæ pro fidei dogmatibus celebrat, & contra hæreticam pravitatem urget: unum aut alterum locum ne fusior sim, hic texere satis erit. Lib. de Heref. tom. 8. pag. 28. sic loquitur: " Quid contra ista
„ sentiat Ecclesia Catholica, superfluo
„ quęritur: cum propter hoc scire suffi-
„ ciat eam contra ista sentire. „ Tum illud contra epist. Fundamenti cap. 5. oraculum oblivioni nusquam tradendum: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas.* „

*Testimonia Patrum pro infallibilitate circa Textus dogmaticos.*

*S. Athanasius* Traditionis tenacissimus, etiam tenaciter illi veritati inhæret, pręsertim vero in lib. de Synod. pag. 9. & 28. Sermonem quippe faciens de verbo *Homousion* a Synodo Nicæna adoptato ad defendendam & exprimendam Verbi consubstantialitatem, non aliam affert rationem, nisi istam, quia æquum duxit Concilium ea voce uti ad revincendos Arianos, & dirimendas fucatæ fidei dolosas professiones. Igitur ex Athanasio Ecclesia judicat infallibiliter de vocum significatione, quandoquidem per eam suam aperit fidem atque defendit contra Negantes: "
„ Cæterum, *ait*, Episcopi, considerata,
„ *Arianorum*, hypocrisi & vafritie, ipsi
„ quoque necessitate coacti sunt.... scri-
„ bere filium consubstantialem esse Patri. „

*Basilius* tanta eruditione diffamatus, ut unus ille centum aliis preponderet, ejusdem est labii cum Athanasio in hac quæstione propugnanda. Enim vero epist. 30. sic loquitur & scribit: " Quia ex non en-
„ te ad esse productum fuisse filium etiam
„ tunc nonnulli asseverabant: hanc ut ab-
„ scinderent impietatem illi Patres, no-
„ men *Homousion* usurpaverunt. „

*S. Hilarius* adversus Arianam perfidiam divinitatis Verbi generosus defensor simili modo cum aliis loquitur lib. de Synod. num. 83. " Displicet, *inquit*, cuiquam in
„ Synodo Nicæna *Homousion* esse susce-
„ ptum? Hoc si cui displiceat, necesse
„ est placeat, quod ab Arianis est nega-
„ tum. „ Igitur ex Hilario non suscipere verbum *Homousion*, est esse Arianum. Igitur ex ipso Ecclesia judicat infallibiliter de textibus, & de vocum in his contentarum significatione.

*S. Ambrosius* in eadem prorsus sententia versatur lib. 3. de fide cap. 7. pag. 311. "
„ Non igitur, *ait*, Verbum, sed vim Ver-
„ bi fugiunt, quia nolunt verum esse Dei
„ filium, nam licet humano verbo non
„ possit divinæ generationis series com-
„ prehendi, tamen judicarunt Patres fi-
„ dem suam tali sermone... signandam...
„ Hoc verbum in *Homousion* tractatu fi-
„ dei posuerunt Patres, quod viderunt
„ adversariis esse formidini, ut tamquam
„ evaginato ab ipsis gladio, ipsorum ne-
„ fandæ caput hæresis amputarent.

*S. Augustinus* hæreticorum & Novatorum malleus cum cæteris venit in veritatis defensionem libro contra epist. Fundam. cap. 5. ubi his verbis se explicat: "
„ Ego Evangelio non crederem, nisi me
„ Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctori-
„ tas. „ Digna sane Doctoris sancti sententia, & ideo sancti, quia Spiritus sancti afflatu edoctus, docet infallibilitatem Ecclesiæ circa textus Evangelii & aliorum librorum. Idem fusiori calamo tractat in serm. de nat. Dom.

*Post* illos Patres Magnus Leo Pontifex egregius occurrit quæstionem explicans, defendens, & tamquam Christi Vicarius definiens epist. 86. in qua Spiritu sancto plenus intonat contra hæreticos semper dolosos & mendaces: " Damnent aper-
„ tis professionibus suis superbi erroris
„ auctores, & quidquid in doctrina eo-
„ rum universalis Ecclesia exhorruit, de-
„ testentur; omniaque decreta Synodalia
„ quæ ad excisionem hujus hęreseos Apo-
„ stolicæ sedis confirmavit auctoritas am-
„ plecti se, & in omnibus approbare
„ plenis & apertis, ac propria manu sub-
„ scriptis protestationibus eloquantur, ni-
„ hil in verbis eorum obscurum, nihil in-
„ veniatur ambiguum. „ Ecce clara & sine ambi-

ambiguitate summi Pontificis sententia de infallibilitate Ecclesiæ circa textus, siquidem vult hæreticos reconciliandos. I. Damnare perversa dogmata. II. Damnare ipsos auctores superbi erroris. III. Amplecti omnia decreta Synodalia ab Ecclesia contra perversam doctrinam emanata. IV. Apertis fidei professionibus manu propria subscriptis fidem suam declarare: porro doctrina hæreticorum exprimitur in eorum libris: decreta Synodalia judicant de ejusmodi textibus: Sanctus vero Leo hereticos ad Ecclesiæ sinum redeuntes obligat ad damnandum dogmata perversa in libris suis contenta, ad approbandum vero & amplectendum decretum Synodale, & hoc professionibus fidei manu propria subsignatis. Igitur censet magnus ille Pontifex Ecclesiam nedum esse infallibilem circa quæstionem juris, sed & circa factum dogmaticum; immo & sincera fide subscribendum esse hæreticorum & eorum operum condemnationi.

*Ex* his sequitur illud in conclusionis probationem argumentum. Quod constanti & firma Traditione tenetur, illud est verum, nec fas est de eo dubitare: Atqui ex Traditione claret, Ecclesiam esse infallibilem circa ius & textus ad fidem & religionem pertinentes: Igitur nullus est ambigendi locus de infallibilitate Ecclesiæ pro isto momento. Probatur minor multipliciter, & quidem specialiter de facto dogmatico; nam de quæstione juris sufficienter ex modo dictis claret, præterquam quod Novatores, ultra conveniunt de prima minoris parte, videlicet de infallibilitate Ecclesiæ circa quæstionem juris.

*Primo* præter Patres laudatos hanc veritatem palam profitetur Clerus Gallicanus, qui Parisiis ann. 1656. contra librum Iansenii adunatus, asserit factum a jure in tali negotio separantes, manifeste subvertere Traditionem, quæ nihil aliud est quam series factorum dogmaticorum, quibus a Christo & Apostolis ad nos pervenit fides, & veritas, quæ quidem Traditio & summorum Pontificum decretis, & Conciliorum Oecumenicorum definitionibus fovetur, & oraculis ac sententiis Patrum explicatur & defenditur, ut hnmo Dei evadat sanctus atque perfectus.

*Secundo:* Ipse Arnaldus non aliter quam factorum serie dogmaticorum & Traditione contra Calvinistas, de realitate corporis Christi in Eucharistia perpetuam comprobat fidem, inculcans Christi ejuratis hostibus, factum a jure inseparabile semper esse: qua ratione igitur, quo scopo ab hac declinavit sententia, distinguendo & separando jus a facto in negotio Jansenii, ut summorum Pontificum illuderet definitionibus ab universa Ecclesia acceptatis?

*Tertio:* Jansenius suis sapientior & æquior agnoscit infallibilitatem Ecclesiæ circa textus. Enim vero initio sui libri testatur se omnia quæ in hoc opere dicturus est & dixit, judicio sanctæ Matris Ecclesiæ submittere: Tum in suo Testamento idem repetit asserendo judicium de omnibus religionem spectantibus, ad sanctam pertinere sedem. Denique ipso defuncto, comperta est epistola ad Urbanum VIII. summum Pontificem directa, qua enixe illum deprecatur, quatenus e libro suo, aut addere, aut detrahere, prout ipsi placuerit, dignaretur. Cur igitur discipuli fidem & nbedientiam magistri non imitantur? quorsum infallibilitatem Ecclesiæ circa textus, quam ipse confitetur, & agnoscit Iansenius, negant?

*Quarto:* Ut primum Dominus Cornet Regiæ Navarræ Præfectus, quinque e libro Jansenii excerpsisset propositiones, quas sacræ Facultati Parisiensi & Clero Gallicano qualificandas obtulit, ecce protinus advolant Novatores propugnantes eos qui Librum Iprensis Augustini abjicere volunt, ipsius sancti Augustini in suis Libris contentam doctrinam, a summis Pontificibus nnn semel celebratam damnare. Ecce infallibilitatem Ecclesiæ agnoscunt pro sancti Augustini textibus, quorum alii sunt longissimi, & nnn pauci præ auctoris profunditate atque subtilitate obscuri; omnes vulgo altissimi: quidni Ecclesia infallibilis erit judicando de aliis textibus? Aut primum negent, aut utrumque concedant, nisi manifestam profiteri contradictionem glorientur. Abbas quidem Sancyranus, inter Jansenii asseclas famosus dicere solebat, se duodecim primorum sæculorum demirari Ecclesiam; ast heu, ducentis ab hinc annis ita defloratam conspicere, ut vix

ac ne vix quidem dignosci valeret. Sic loquebatur Lutherus, sic Calvinus, sic ille Abbas: Quinimmo uno e nostris patribus teste auditore, Ecclesiam ex integro egregia Jansenii doctrina, & moralitate se reformaturum asserere non erubuit: attamen audiant si placet ipsum Jansenium ducem, qui bona & humili confessione, ut pie credimus, talis Ecclesiæ secundum Sancyranum corruptæ obedivit sententię, sed judicium ab ipso Jansenio expostulatum clausum & datum est; utinam & fideli erga Ecclesiam obedientia claudantur jurgia & cessent lites, quæ nihil prosunt nisi ad subversionem audientium & legentium.

*Solvuntur objectiones Novatorum circa infallibilitatem Ecclesiæ pro textibus.*

Objiciunt: Tertullianus lib. de Veland. Virg. hæc habet: *Regula fidei est sola totaliter una, immobilis & reformationis incapax*. Sed hic loquitur de Scriptura sacra, quia loquitur explicando Apostolum, qui præcipit Virgines, velata facie in Ecclesia adesse: Igitur ex Tertulliano, sola excepta Scriptura, cæteræ fidei regulæ sunt reformabiles & mutationis capaces. Igitur Ecclesia saltem circa textus non est infallibilis.

*Respondeo* I. Argumentum nimis probare; sequeretur enim quod nec Traditio, nec Concilia Oecumenica forent infallibilia, etiam in quæstionibus juris fidem spectantibus: quod sane Jansenii discipuli numquam admittent.

*Respondeo* II. distinguendo consequens: In rebus disciplinæ sola Scriptura est fidei regula mutationis incapax, concedo: in rebus ad religionem & fidem pertinentibus, nego. Luce clarius apparet Tertullianum loqui de disciplina, quandoquidem loquitur de virginum velatione: sensus igitur ejus est omnem disciplinæ regulam nisi ex Scriptura vel Traditione ortum habeat, esse ad nutum & secundum temporum exigentiam reformabilem: quia vero ex Scriptura constabat Virginem, velata facie, in Ecclesiam introire debere, nemini licere contendebat Tertullianus, hanc piam consuetudinem levius & absque fundamento immutare, textus vero positionum numquam, quia spectant fidei dogmata. Cęterum velatio virginum est quidem de fide, sed ut consilium in Scriptura fundatum, eo prope modo quo est ipsa virginitas, quam servare perfectius quidem est, sed non ut quid ad salutem absolute requisitum; secus vero credere præcepta Dei esse possibilia, hominem posse gratiæ resistere, credere Ecclesiæ loquenti & definienti aliquod fidei dogma....

*Opponunt* II. Basilius Ancyranus, & alii bene multi Semi-Ariani omnia credebant fidei dogmata, & de uno dumtaxat verbo grammaticali, scilicet, *Homousion*, disputabant, eos tamen nec Athanasius, nec S. Hilarius, conturbare æquum duxerunt, quamvis Concilium Nicænum propter vocabulum illud, eos abnuisset, quæ quidem mutatio non levior esse videtur: Igitur Ecclesia non est infallibilis circa textus.

*Respondeo* distinguendo Antecedens: Et plures Semi-Ariani rejiciendo vocem *Homousion*, a fide deficiebant, concedo: secus, nego. Ita censet Hilarius, qui ideo professiones fidei Semi-Arianorum in variis Antiochiæ aduuatis Synodis vocat fidem temporum. Sic enim primum judicavit de iis omnibus qui abstinebant a verbo *Homousion*, quia argumentum erat solum fucum facere terminis alias Catholicis, eo ipso quo istud abjiciebant: hinc Athanasius non credidit Basilii & aliorum fidem ab omni nævo immunem: quia tamen Ecclesia non judicat de internis, bona fide credidit, absoluto Concilio Nicęno, Semi-Arianos approximare ad dogma Apostolicum de divinitate Verbi: Nec desunt valida argumenta pro vera Basilii & quorumdam aliorum Semi-Arianorum fide, quocirca sub certis conditionibus SS. Athanasius, Hilarius & Basilius eos ut confratres habere consenserunt.

*Instant:* Ecclesia abstinet a voce *Homousion* in Concilio Antiocheno, in Nicæno vero stat firmiter pro ea. Igitur est mutabilis circa textus & verborum significationes.

*Respondeo* I. Concilio particulari quale erat Antiochenum, non competere infallibilitatem, nisi accedat universalis Ecclesiæ, maxime vero summi Pontificis consensus, unde potuit reformari ab Oecumenico, quale fuit Nicænum.

*Respon-*

*Respondeo* II. distinguendo : Concilium Antiochenum abstinet a voce *Homousion* œconomiæ causa , ac pro ipsius fidei defensione & propagatione , concedo ; secus , nego . Unde nego paritatem . Concilium Antiochenum adunatum fuit contra Paulum Samosatenum, qui ex Trinitate personarum, inferebat tres esse in Deo substantias , & secundam atque tertiam a prima tamquam ab antiquiore procedere, adeoque esse creatas : Nicænum vero congregatum est contra Arium negantem Verbi divinitatem ; merito igitur ad revincendum Paulum Ecclesia permisit ad tempus abstinere a verbo *Homousion* , quo manifeste abutebatur hæresiarcha ; e contra vero eadem uti habuit ad refellendos Arianos , quandoquidem significat veram Verbi divini fidem , quam quisque sub pœna damnationis tenere debet.

*Objiciunt* III. S. Basilius Epist. 52. conqueritur , quod Marcellus Ancyranus de gradu & Ecclesia non sit ejectus, & quod fuerit in Ecclesia absque matura deliberatione receptus : *Libri ejus* , inquit , *sunt demonstrativæ probationes ejus iniquitatis* . Quæ quidem objurgatio spectare solum potest, aut Julium summum Pontificem , aut Concilium Sardicense , quod favit Marcello pro contra Eusebianos ejus accusatores , quos & abjecit . Sed in hoc non levis apparet sententiæ Ecclesiæ mutatio: Igitur non est infallibilis circa textus.

*Respondeo* distinguendo: Basilius conqueritur errore facti deceptus , & nondum causa Marcelli perfecte sibi cognita, concedo : vere & plene instructus , nego . Professio fidei Marcelli oblata Julio summo Pontifici erat Orthodoxa ; ita Athanasius in sua ad Imperatores Apologia , in qua refert verba Julii de se & Marcello dicentis : *Se servare cum eis communionem absque injustitia* ; subditque Julii judicium fuisse canonicum . Ita etiam censet Epiphanius & alii permulti, ut suo loco ex professo probavimus. Cæterum Concilium Sardicense in epistola Synodica ad summum Pontificem, testatur scripta Marcelli lecta fuisse & examinata , & ab omni erroris labe fuisse reperta . In his quidem Marcellus quasdam proponit difficultates, sed solum per modum quæstionis elucidandæ & claritatis causa . Sic refert & censet S. Hilarius.

*Urgent* : S. Basilius manifeste dicit & Julium , & Concilii Patres in hoc errasse , & fuisse deceptos : Igitur Ecclesia de facto fallitur judicando de textibus.

*Respondeo* S. Basilium forte habuisse exemplar libri Marcelli diversum ab eo quod oblatum est Concilio & summo Pontifici, ipsum Marcellum potuisse librum suum , antequam illum Julio & Synodo Sardicensi præsentari curaret , a nævis purgare : Quidquid sit , fidei testimonium habet ab Athanasio , & ab Hilario zelo fidei nulli secundis , qui certe ipsius Marcelli condemnationem , si librum erroris scatentem comperissent, prosecuti fuissent. Ex his liquet quæstionem libri esse factum purum & personale , circa quod Ecclesia non est infallibilis : neque enim citra revelationem certo scire potest , num liber ipsi oblatus sit ante oblationem a mendis purgatus vel non , si sit talis vel talis personæ , sed dubio procul infallibilis est inter judicandum de textibus præsentibus & sibi oblatis ; num sint Orthodoxi vel non ; et sic inconcussa manet ejus circa factum dogmaticum infallibilitas.

*Replicant* : S. Hilarius lib. 11. de Trin. num. 3. asserit heresim sitam esse in sensu , non in scripto : Igitur textus ad fidem non pertinet , adeoque nulla infallibilitas pro facto dogmatico agnoscenda est in Ecclesia.

*Respondeo* distinguendo: Et scripta exhibent sensum, concedo: secus, nego. Sensus & textus sunt correlativa , unde eo ipso quo heresis principaliter in sensu consistit , Ecclesia debet judicare de textu , quia sensus & textus sunt inseparabiles ; judicat ergo Ecclesia an verba aliquid significent ; judicat, supposito quod significent, an illud sit bonum vel malum, conforme , vel disforme fidei . Unde ibidem num. 5. Hilarius dicit : *Nonne veritas corrumpi potest* . Quomodo corrumpi nisi in textu? Jam vero si Ecclesia posset errare de professionibus fidei judicando , textus formulæ approbatæ , rursus examinandi traderentur , sicut causa Episcoporum de aliquo crimine accusatorum examini longo subjicitur : quod tamen fieri non debere ibidem propugnat Hilarius.

*Insistunt* : SS. Athanasius , & Basilius conveniebant de fide sanctissimæ Trinitatis, & tamen disputabant de sensu quem pos-

possent habere multa loca ex Dionysii Alexandrini operibus excerpta circa illud Mysterium: signum est igitur & argumentum Ecclesiam non gaudere infallibilitate circa textus.

*Respondeo* distinguendo: Athanasius & Basilius disputabant de sensu textus Dionysii, quia Ecclesia nihil adhuc de hoc momento definierat, concedo: secus, nego. Igitur de hoc disputare fas erat: sic S. Leo licentiam fecit de tribus Capitulis disputandi, unde Concilium Chalcedonense nihil de his textibus statuerat: at vero Ecclesia in V. Synodo generali definivit textus Capitulorum esse erroneos, declaravit etiam sensum libri Jansenii esse hæreticum, qualificavit textus & eis notam hæreseos inussit: igitur manet judicium certum, nec ulli de hoc dubitare licitum est: igitur eos defendere prorsus nefas.

*Reponunt:* Hieronymus dicit doctrinam Origenis de Trinitate hæreticam, e contra vero Didymus eam proclamat orthodoxam.

*Respondeo* duo ut supra; Primo quidem, exemplaria quandoque esse diversa, unum scilicet mendis refertum ab una persona videri, alterum vero in textu sanum ab alia persona conspici. Secundo, Doctores particulares non esse infallibiles, quis dubitat? Unde Aug. lib. de utilitate credendi capit. 4. dicit hominem privatum falli: quandoque etiam Ecclesiam in secretis cordium judicandis, idcirco tritum istud emanavit axioma: *Ecclesia non judicat de internis.*

*Dices:* S. Augustinus epistol. 74. ait non esse disputandum de nomine, quando convenimus de re: Igitur parum refert quod Ecclesia judicet de textibus.

*Respondeo* S. Augustinum inculcare Comiti Praxentio Ariano, qui divinitatem Verbi abnuebat, eo quod vocem *Homousion* in Scripturis non reperiretur, inculcare inquam non ideo Verbi divinitatem esse negandam, quia licet vox secundum syllabas haud inveniretur in Scripturis, reperiri tamen iterum atque iterum secundum rem. Denique idem S. Doctor lib. 3. contra Maximinum cap. 14. asserit vocem *Homousion* a Patribus Nicænis esse consecratam ad significandam Verbi divinitatem, adeoque firmiter ab omnibus esse tenendam: " Pater ergo & Filius unius „ sunt ejusdemque substantiæ. Hoc est il„ lud, *Homousion* quod in Concilio Nicæ„ no adversus hæreticos Arianos a Catho„ licis Patribus veritatis auctoritate, & „ auctoritatis veritate firmatum est. „

*Instant:* Augustinus dicit Episcopos de aliquibus dogmatibus scribentes, ab aliis, si forte a veritate recedant, posse corrigi, sic & Concilia Provincialia a plenariis, immo & plenaria a subsequentibus donec factum sit plene elucidatum: sic lib. 2. contra Donatistas cap. 5. ait: *Concilia priora posterioribus emendari posse.*

*Respondeo* Episcopos & Concilia Provincialia infallibilitate non donari: ad Plenaria distinguo; a subsequentibus corrigi possunt in factis puris, in quibus judicandis non sunt irrefragabilia, concedo: in factis dogmaticis, nego. S. Doctor loquitur in primo sensu. Sic Concilium sextum generale correxit quintum, & quædam ejus acta declaravit corrupta & supposititia esse; sed nihil inde concludi potest contra Ecclesiæ infallibilitatem: quod autem S. August. loquatur de factis puris, liquet ex illis verbis ibidem prolatis: " „ Concilia priora posterioribus emendari „ possunt, cum nempe aliquo experimen„ to rerum aperitur quod clausum erat, „ & cognoscitur quod latebat. „

*Utrum ex usu & possessione constet Ecclesiam esse infallibilem circa quæstionem juris & facti Dogmatici?*

## CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

PROBATUR unico, sed efficacissimo argumento. Illa judicavit semper infallibiliter de jure & facto dogmatico, cujus definitione roboratur, nutritur & fovetur fides, cujus judicium ita firmum semper extitit, ut numquam fuerit accepta appellatio ab ejus sententia, cujus denique decisio tamquam fidei regula habita est: Atqui ab omni ævo tale fuit judicium Ecclesiæ circa utrumque momentum, talis fuit possessio atque usus perpetuus: Igitur infallibilitas Ecclesiæ possessione & usu prævalet contra impugnantes. Minor patet de quæstione juris ex canonibus Conciliorum Oecumenicorum de fide conditis: Probatur altera pars de factis dogmaticis, & quidem multis momentis & exemplis.

Pri-

*Primo* ex veteri Testamento: Synagoga judicavit textus Scripturæ sacræ: enim vero canon Proto-canonicus Judæorum continet solum viginti duos libros, nempe quinque Moysis, Prophetarum tredecim, & quatuor alios, nempe Cantica, & morum præcepta referentes: cæteros matura deliberatione prævia sequenti tempore Canoni adsciti sunt. Præterea Libros sacros hinc inde durante captivitate, dispersos, collegit Esdras: Sed hæc omnia fieri non potuerunt nisi adsuisset Ecclesiæ infallibilitas ad judicandum textus, ut veri & genuini a falsis & spuriis secernerentur: hoc judicio tota innititur fides, quia in eo fundatur Scripturarum certitudo, qua sublata, funditus ruit fides, siquidem credenda continentur in Scripturis, veritatem Messiæ ex eis habemus, scilicet a Prophetis: Igitur Ecclesia ab omni ævo judicavit infallibiliter de textibus.

*Secundo*, *ex novo Testamento*: Multa opera sub Christi & Apostolorum nomine olim circumferebantur, ut epistola Christi ad Agabum Regem Edessæ, Evangelium secundum Ægyptios, Evangelium Nazaræorum, Evangelia Jacobi & Nicodemi, & similia quæ Ecclesia, tamquam apocrypha judicavit & rejecit, immo suo nondum adscivit Canoni librum tertium & quartum Machabæorum, Tertium & quartum Esdræ: Igitur judicat infallibiliter de textibus: alias libri novi Testamenti non sunt certi, adeoque fide indigni. Jam vero non est major difficultas de aliis auctorum textibus; unde si Ecclesia est infallibilis ad judicandum de Scripturarum textibus, dum nondum constat de eorum genuinitate, pari ratione & de cæteris.

*Tertio*: Ecclesia judicavit de textibus Patrum: v. g. de textibus Athanasii. Et vero Julius non semel adversantibus Arianis declaravit eum in se & in suis scriptis Orthodoxum. Judicavit Ecclesia textus anathematismorum B. Cyrilli Alexandrini contra Nestorii proterviam, & Celestinus agnovit eos scientia salutis & fide refertos: Judicavit textus S. Aug. contra Pelagium, & tamquam fidei regulam, pro necessitate gratiæ vult ab omnibus haberi. Quidni igitur erit Ecclesia infallibilis in judicio textus Jansenii, cum ultro concedant adversarii, Ecclesiam esse infallibilem pronuntiando de Patrum & præsertim Augustini textibus?

*Quarto*: Ex condemnatione omnium hæresum in libris vulgo expressarum. Aliqua facti exempla juvat recensere. Proscripsit judicio comparativo Concilium Nicænum Thaliam Arii: namque facta illius cum Scripturis sacris iterum atque iterum collatione, judicavit impiam esse, voluitque hanc ita ab omnibus ratam haberi decisionem, ut reluctantem Eusebium Nicomediensem cum aliis sex Episcopis exauctorare decreverit, nisi & Arii, & ejus textui anathema omnes pronuntiarent. Proscripsit Concilium Ephesinum judicio utique comparativo scripta Nestorii: ea Synodus comparavit cum Symbolis, cum textibus Patrum primorum sæculorum, quo facto, una voce Patres dixerunt, illa esse impia, hæretica & blasphemiis plena. Eodem modo judicavit sacrilegum Theodori Mopsuesteni Symbolum. Iterato fulmine omnes istos textus percussit Chalcedonense Concilium, sed maxime & quintum Oecumenicum ea tantum de causa congregatum, ut judicaret de tribus Capitulis: etenim processit sicut præcedentes Synodi judicio comparativo. Lecti sunt multoties ejusmodi textus; iterum atque iterum collati sunt, & cum Scriptura sacra, & cum SS. Patrum textibus; Patres tanta solemnitate proscribunt istos textus, ut ne ullum supersit de infallibilitate Ecclesiæ pro illo momento dubium. Primo enim ex Scripturis probant in hoc non posse errare Concilium, tum pleni Spiritu sancto sic intonant coll. pag. 586. & 587. *In memoria tenentes promissiones de S. Ecclesia factas, & qui dixit quod porta inferi non pravalebunt adversus eam, id est, hareticorum mortifera lingua, recordantes autem & qua per Oseam de ea prophetata sunt, in quibus dicit, & sponsabo te mihi in aternum, & cognosces Dominum: Hareticorum quidam effrenatas linguas, & eorum impiissima conscripta, & eosdem ipsos hareticos .... patri mendacii diabolo connumerantes ... Nos autem mandatum habentes per doctrinam rectam exhortari populum ... Necessarium esse putavimus capitulis comprehendere & prædicationem veritatis, & hareticorum, nec non eorum impietatis condemnationem*.

*nem* .... *Si quis igitur defendit prædictum impium Theodorum*, *& impia ejus conscripta* .... *Anathema sit*. Ecce Ecclesia declarans suam in judicandis textibus infallibilitatem: ecce proscribens tria Capitula: Igitur infallibiliter judicavit quæstionem facti dogmatici; sic censet S. Gregorius Magnus lib. 1. cap. 24. ubi ait venerari quatuor prima Concilia generalia ut quatuor Evangelia, & pari honore prosequi quintum Concilium Generale.

*Concilium* Lateranense, sub Martino I. eidem veritati suffragatur. Can. 18. pag. 217. *Si quis*, ait, „*secundum sanctos Patres consonanter nobis pariterque fide non respuit*, *& anathematizat animo & ore omnes quos respuit*, *& anathematizat nefandissimos hæreticos*, „*cum omnibus impiis eorum conscriptis*, *usque ad unum apicem*, *sancta Dei Ecclesia Catholica & Apostolica*, *hoc est*, *sancta & universales quinque Synodi*, *& consonanter omnes probabiles Ecclesiæ Patres*, *id est*, *Sabellium*, *Arium* ..... *condemnatus sit*. Vides pie Lector, quomodo Ecclesia judicat textus, quomodo anathematizat eos qui textus hæreticorum aut approbare, aut defendere audent. Nota Concilium, eadem religione prosequi quintam Synodum, sicut quatuor primas Synodos Oecumenicas, his verbis: *Sancta Dei Ecclesia Catholica & Apostolica*, *hoc est*, *Sancta & universales quinque Synodi*.

*Sextum* Concilium, Oecumenicum sequitur. Videamus quonam modo procedat, tum contra Monothelitas, tum contra eorum impia & fraudulenta scripta; sess. 3. declarat sermonem Mennæ ad Vigilium Papam, & istius libros, alterum ad Justinianum, alterum ad Imperatricem directum, suppostitios; sess. 4. leguntur duæ epistolæ Agathonis in quibus sanctus Pontifex nominatim damnat Theodorum Phalaritanum, Syrum, Sergium, Pyrrhum cæterosque Monothelitarum Duces, & a Concilio universali applausu & consensu, tamquam irrefragabiles fidei regulæ recipiuntur; sess. 10. Macharius pertinax Monotholita suas agit partes, & continua suorum textuum cum textibus SS. Patrum habita comparatione refutatur, & ejusdem proscribuntur textus. In eadem sess. perfecta sunt scripta Anthimi, epistola Theodori ad Paulum hæreticum, & ipsius Pauli opera, & omnes illos textus prævio judicio comparativo Concilium damnat, hæreticos esse declarat, & uti tales abjicit. Denique sess. 18. anathemate percutit Monothelitas, tamquam ab Agathone jam jam nominatim proscriptos: Igitur Ecclesia est infallibilis judicando de scriptis: alias textus boni, immo & ipsorum Patrum non magis ponderarent, quam hæreticorum textus, quos esse erroneos dubia semper fide constaret, siquidem bonum & optimum sensum ipsi Hæresiarchæ contra damnationem latam affingere non difficile foret.

*Concilium* Constantiense pari zelo & fide procedit contra Vvicleffum, contra Joannem Hus & Hieronymum a Praga, eosque & quidquid contra Religionem Catholicam scripserunt, condemnat. Vix Martinus. V. S. Pontifex creatus est, ut sine mora eorum confirmaverit damnationem: *Omnes*, inquit, *& singulos*, *qui articulos*, *seu libros & doctrinas præfatorum Hæresiarcharum*, *Joannis Vvicleff*, *& Joannis Hus*, *& Hieronymi*, *per eamdem Constantiensem Synodum*, „*cum suis auctoribus damnatos*, *& damnatos tenere*, *credere & dogmatizare*, *ac vita finem ipsorum Hæresiarcharum*, *publice*, *vel occulte pertinaciter quomodolibet laudare*, *vel approbare præsumpserint* ..... *Nec non credentes*, *& adhærentes eisdem tamquam hæreticos judicetis*.

*Concilium* Basileense perpetua Traditione edoctum judicat sicut præcedentia Concilia de textibus. Tum vero sess. 22. notam inurit libello Augustini de Roma, Archiepiscopi Nazaræi...

*Tridentinum* cæterorum Conciliorum appendix, & eos etiam se irrefragabile censet in judicando Hæreticorum textus. Longo examine discutit volumina Lutheri & Calvini tum de gratia, & justificatione, tum de Sacramentis, maxime de Eucharistia, eaque velut impia & hæretica explodit, ipsosque Heresiarchas rebelles anathemate percutit; insuper sess. 22. Can. 6. textum Canonis Missæ, quamvis ab Ecclesia solum compositum, declarat pium, catholicum ac sanctum: quinimmo ipsum, aut abjicientes, aut tamquam erroneum habentes proscribit, his verbis: *Si quis dixerit Canonem Missæ errores continere*, *ideoque abrogandum esse*; *anathema sit*. Apage ergo omnes qui auctoritatem quinti Concilii Oecumenici circa

ea textus abjiciunt, cum hanc infallibilem de textibus judicandi potestatem, non hac tantum vice & in uno isto Concilio, verum etiam in cæteris, & quotiescumque aut necessitas, aut fidelium utilitas exegit, promissionibus Christi innixa & firmata Ecclesia merito sibi vindicaverit; hinc qui in hoc puncto ei resistunt, Dei ordinationi profecto resistunt.

*Quinto*: Ipsis non diffitentibus Novatoribus, Ecclesia est infallibilis pronuntiando super quæstionem juris: Igitur & consequenter pronuntiando super textus, alias Patres Ariminenses bene judicassent reticendo verbum *Homousion* subscribendo Formulæ Semi-Arianæ, quia sensum catholicum non solum in se retinebant, sed & verbis æquivalentibus exprimebant. Quis autem catholicus hæc umquam admittet?

*Sexto*: Denique Ecclesia judicavit quindecim Arianorum & Semi-Arianorum formulas: Item & viginti circiter Lutheranorum & Calvinistarum quæ apparuerunt in Confessione Vvitembergensi & Synodo Dordracena: porro omnes judicavit scriptis mandatas, & ipsis adhærentes, nisi ad meliorem frugem redirent, ut hæreticos abjecit. Igitur est infallibilis circa quæstionem facti dogmatici: sin minus non haberentur ut hæretici auctores, cujus tamen contrarium quotidiana probat experientia.

*Solvuntur objectiones Adversariorum.*

OPPONUNT: Patres Ephesini disputabant de jure non de facto, neque exegerunt Formularii obligationem, qualem nunc exigit Ecclesia: Igitur ex illo Concilio nihil concludi potest pro infallibilitate circa textus.

*Respondeo* negando antecedens: Joannes enim Antiochenus & sui conveniebant de jure, sed Nestorio Patrocinantes, & scripta & personam defendebant in suo Conciliabulo, unde a Patribus Ephesinis, in Spiritu sancto congregatis, proscripti sunt.

*Respondeo* II. Ecclesiam exegisse in Concilio Nicæno, ut Eusebius & alii Arium defendentes, ipsi & ejus scriptis anathema dicerent; hoc ipsum præstari voluit a Theodoreto respectu Nestorii & ejusdem Scriptorum, & cum anceps & titubans hæsitaret, clamaverunt Patres: *Clare dic anathema Nestorio & scriptis ejus; quibus humiliter parens dixit: Anathema Nestorio & scriptis ejus. Subscribo epist. Leonis & sic sapio.* Quo facto admissus est, & sedit judicaturus cum Patribus Synodicis, ex quo liquet Ecclesiam exigere aliquid supra silentium respectuosum, neque esse novum exigere ut fideles manu propria hæreticorum, eorumque librorum subscribant condemnationi.

*Objiciunt* II. In Concilio Chalcedonensi Asclepiades Diaconus Act. 5. protulit perversam fidei professionem, quæ quidem adjuvante Anatolio Episcopo CP. tamquam catholica conclamata est. Igitur Ecclesia non est infallibilis saltem circa textus. Ecce verba pag. 87. " Asclepiades
" Diaconus, magni nominis sanctissimæ
" Ecclesiæ Constantinopolis, recitavit de-
" finitionem, quam non placuit his gestis
" inserere. Et post lectionem dubitationi-
" bus aliquibus, Joannes Reverendissimus
" Episcopus Germaniciæ, transiens in me-
" dio dixit, Non bene habet definitio ...
" Anatolius Deo amantissimus, Archie-
" piscopus nominatissimæ CP. ad sanctam
" Synodum dixit: Placet vobis definitio?
" Omnes ... clamaverunt, Definitio om-
" nibus placet. "

*Respondeo* distinguendo antecedens: Illa professio fidei catholica conclamata est, invitis Sedis Apostolicæ Oratoribus, concedo: secus, nego. Sic enim habetur pag. 8. *Omnes Reverendissimi Episcopi præter Romanos & aliquos Orientales, clamaverunt, definitio omnibus placet, hæc fidei Patrum, qui præter ista sapit, hæreticus est.* Certe Concilium Acephalum non est infallibile; cum igitur Legati summi Pontificis & alii multi Orientales non solum restiterunt, verum etiam a cœtu Patrum magna ex parte discesserint, manifestum est Concilium tunc temporis fuisse Acephalum, adeoque nullius auctoritatis & infallibilitatis. Loquimur autem de Concilio omnibus numeris absoluto, cui adest præcipuorum Præsulum consensus, alias non repræsentaret Ecclesiam.

*Instant*: In eodem Concilio Act. 4. Tredecim Episcopi Ægyptii noluerunt subscribere epistolæ decretali S. Leonis: Igitur non apparet infallibilitas in isto Concilio

cilio circa textus, quandoquidem Patres hinc inde in diversas partes scissi manebant.

*Respondeo*, Episcopos Ægypti non denegasse absolute subscriptionem; petebant solum ut antequam subscriberent epistolæ S. Leonis, novus loco Dioscori exauctorati, Patriarcha eligeretur, qui prior subscriberet, & ipsi postea calculo suo & obsignatione rescriptum B. Pontificis comprobarent. Sed neque in hoc exauditi sunt, quin immo habetur: *Omnes Episcopi clamaverunt, manifeste anathematizate dogma* Eutychetis, *qui non subscribit epistolæ Leonis, cui sancta Synodus consentit, hæreticus*. Et infra *Reverendissimi Episcopi clamaverunt, & dixerunt, subscribant epistolæ Leonis.*

*Objiciunt* III. Quintum Concilium generale, non potuit damnare tria Capitula: Igitur cum ex illo præcipuum deducatur argumentum pro infallibilitate Ecclesiæ circa textus, diruto fundamento, non stat infallibilitas. Probatur antecedens: I. Ita censet Facundius Hermaniensis. II. Synodus hoc fecit, & adunata est, reclamante Vigilio & prohibente, unde quando Concilium damnavit Capitula, erat Acephalum, & Vigilius neque præsentia, neque sententia aderat cum Patribus Synodicis. III. Quia nec statim, sed, aliquo elapso tempore, confirmatum est Concilium. IV. Cardinalis Aquirinus tom. 1. Conciliorum Hispaniæ, dicit quasdam Hispaniarum Synodos, inter Concilia Oecumenica non numerare quintum, quia in eo non actitatum est de aliquo fidei dogmate, sed dumtaxat de facto non revelato, nempe de textibus Theodori, Theodoreti & Ibæ, additque Ecclesiam ejusmodi facta ultimato & completo non definire judicio: cui sententiæ concinit Cardinalis de Laurea. V. Quia Epistola Ibæ approbata fuit a sacro Concilio Chalcedonensi, quod autem approbatur ab uno Concilio Oecumenico, non debet ab altero proscribi, immo nec potest; quia par non habet potestatem in parem. VI. Denique ipse Vigilius in constitutione sua, qua tandem tria Capitula damnat, silet Concilium quintum: profecto si credidisset judicium Synodi irrefragabile, citasset istud Concilium ad roborandum & firmandum suum contra tria Capitula decretum: Igitur ex his omnibus constat Ecclesiam non habere infallibilitatem ad judicandum de auctorum textibus.

*Respondeo* I. Solutionem patere ex dictis; ostensum est enim sufficere consensum capitis & membrorum gradatim, & matura deliberatione prævia, dari.

*Respondeo* II. negando antecedens. Ad primam probationem, dico auctoritatem B. Gregorii præponderare auctoritati Facundii Hermaniensis; tum quia quintum Concilium fuit ab universali Ecclesia receptum; tum quia quæstio non solum facti sed & juris erat: siquidem quæstio movebatur, an textus trium Capitulorum forent Catholici, an non? Unde textus se habebant ut materia juris.

*Ad* secundum distinguo: Et postea Concilium fuit Oecumenicum, scilicet per consensum Episcoporum Latinorum, & maxime Vigilii, qui omnes tunc in magno numero Constantinopoli aderant, concedo: & non fuit approbatum, nego. Initio quidem Concilium quintum erat Episcoporum conventus, qui jubente Justiniano adunati erant, sed non invito Vigilio, qui rogatus a multis Orientalibus Episcopis, quatenus præsidere Concilio dignaretur, renuit quidem & se excusatus haberi voluit, sed non se opposuit. Quorsum vero non adfuerit? duæ sunt rationes. Prima, quia timebat ne Orientales propter majorem numerum aliquid in detrimentum jurium Ecclesiæ Romanæ concluderent. Secunda, quia etiam verebatur ne condemnando tria Capitula, infirmaretur auctoritas Synodi Oecumenicæ Chalcedonensis, quæ eadem intacta reliquerat: unde propter istas & alias œconomiæ rationes, nec voluit præsidere Concilio, nec illud protinus confirmare, immo nec mentionem in sua constitutione de eo facere, ne major Concilii erumpens auctoritas animos exacerbaret multorum, qui errore facti decepti, credebant tria Capitula a Concilio Chalcedonensi approbata: tum successu temporis accesserunt Vigilii confirmatio & Latinorum consensus, qui tunc Constantinopoli demorabantur; Concilium igitur habuit completam Oecumenicitatem & consequenter infallibilitatem.

*Ex* his solutio patet ad tertium;

prius

prius enim ponderare debuit Vigilius, utrum ratio fidei postularet damnare tria Capitula? Et utrum hoc fieri posset, salvo Concilio Chalcedonensi, ad quod examinandum certe requirebatur tempus?

*Ad* quartum, Hispani Episcopi errore facti detinebantur, credentes quæstionem trium Capitulorum in Chalcedonensi finitam; unde tamquam purum factum illud habebant momentum, quod in eo situm dumtaxat putabant, an Concilium Chalcedonense intacta reliquisset tria Capitula vel non? Præterea Synodi Hispaniarum loquuntur de Conciliis, quæ novas proscripserunt hæreses. Quintum autem generale non novam, sed veterem Nestorii hæresim in tribus Capitulis anathematizat. Denique potest etiam dici Synodos Hispaniæ vel scripsisse, quando Concilium quintum generale nondum erat approbatum, vel non attendisse ad ejus legitimationem.

*Ad* quintam probationem, nego Epistolam Ibæ fuisse approbatam, immo sanctus Leo qui confirmavit Concilium Chalcedonense exprese permisit de ea disputare, ut prævio & longo examine, Ecclesia decursu temporum definiret quid de ea absolute sentiendum foret. Ad ultimam probationem, eadem est solutio quæ ad primam data est.

*Instant*: Condemnatio æque appellat supra personas, ac super textus: Sed nec quintum Concilium, nec aliud est infallibile circa facta personalia; Igitur nec circa textus.

*Respondeo* I. Falsum esse definitiones quintæ Synodi Oecumenicæ æqualiter appellare supra personas ac supra textus, quandoquidem nullo modo cadebant super Theodoretum & Ibam, qui condemnantes Nestorium & ejus scripta, absoluti, immo & admissi fuerant in Concilio Chalcedonensi.

*Respondeo* II. distinguendo: Definitiones atque decreta Conciliorum æqualiter respiciunt personas & textus, si personæ præsentes sint, & suum pertinaciter defendant errorem, concedo: scriptum est enim Lucæ 22. 19. *De ore tuo te judico serve nequam*; secus, nego. Igitur tunc Ecclesia est infallibilis circa facta personalia, quando hæretici coram illa sistentes suum errorem defendunt, quia voces Hæresiarchorum & verba pro defensione sui erroris se habent ut textus: si vero absentes sint, non habet certudinem infallibilem, quod textus reprobandi, sint talis vel talis personæ, attamen de textu sibi oblato judicat infallibiliter, ut constat ex probationibus.

*Urgent*: Concilium quintum non dicit: Anathematizamus Theodorum & scripta: Igitur non absolute damnat tria Capitula.

*Respondeo* Concilium hæc æquivalenter dicere, quatenus declarat textus trium Capitulorum esse erroneos: Igitur damnat factum: tum quia damnat jus quod a textu non separat: tum quia damnat etiam eos qui blasphemias Nestorii propugnant, immo tamquam Ethnicos & Publicanos haberi vult, atque declarat.

*Replicant*: Multi Episcopi Africæ & Illyrii noluerunt recipere definitionem quinti Concilii generalis contra tria Capitula: Igitur non credebant Concilium infallibile circa textus.

*Respondeo* distinguendo antecedens: Et illi Episcopi errore facti detinebantur, concedo: secus, nego. Credebant Concilium Chalcedonense judicasse tria Capitula, cum tamen facta personalia Theodoreti & Ibæ solum absolvisset; hinc adhærentes supposititiæ definitioni Concilii Chalcedonensis, abnuebant quintum Oecumenicum.

*Instant*: Pelagius I. scripsit ad Episcopos Illyriæ, ut reciperent quintum Concilium generale: Igitur isti dubitabant de ejus infallibilitate.

*Respondeo* distinguendo: Scripsit ut certos eos faceret Concilium Chalcedonense tria Capitula non absolvisse, & hoc, ut definitionem quintæ Synodi reciperent, concedo: scripsit ut illis probaret Concilii infallibilitatem, nego. De hoc non dubitabant, sed de legitima condemnatione trium Capitulorum. Et vero si ab uno Concilio Oecumenico absoluta fuissent, non apparet quod alterum potuisset eadem proscribere. Et dato quod Episcopi Illyriæ dubitassent de legitima trium Capitulorum condemnatione, nihil inde concluderetur contra Concilii infallibilitatem, præsertim vero cum S. Leo sex dumtaxat primas Concilii Chalcedonensis actiones approbasset, permittendo

ce

de cæteris disputare: Igitur & de tribus Capitulis.

*Reponunt:* Pelagius I. scribens ad Chilpericum Francorum Regem, nullam facit mentionem de quinto Concilio generali. Igitur &c.

*Respondeo* distinguendo: Pelagius œconomiæ causa silet & omittit quintum Concilium, ne commoveret animos multorum qui errore facti detenti, credebant tria Capitula a Concilio Chalcedonensi fuisse absoluta, concedo: omittit, quia dubitabat de Synodi potestate, nego. Nonne scripsit ad Episcopos Illyriæ pro illo Concilio suscipiendo: Igitur paulatim & successive procedendum erat pro ejusmodi negotio, ne zelus acrior excitaret incendia, & novos moveret tumultus, & altercationes prioribus pejores.

*Instant:* Idem Pelagius dicit fidem esse causam specialem definitionis Conciliorum: sed facta trium Capitulorum non pertinebant ad fidem, utpote non revelata: Igitur Concilium non judicavit, saltem infallibiliter de eis. Confirmatur: Addit Pelagius: *Licitum esse examinare illam epistolam*, scilicet Ibæ, *licet verum esset Episcopos congregatos in Concilio Chalcedonensi eam suis approbasse subscriptionibus*. Sed si approbata fuit, igitur non debuit damnari.

*Respondeo* distinguendò majorem: Et Pelagius ibi solum distinguere intendit facta personalia & textus a rebus immediate revelatis in Scripturis sacris, concedo: & vult textus nullo modo pertinere ad fidem, nego. Loquitur summus Pontifex de factis personalibus, nempe de Theodoro Mopsuesteno, de Theodoreto & Iba, sicut & de factis textuum trium Capitulorum: unumque probare intendit Episcopis Illyriæ, quod demirari haud debeant, tria Capitula in Concilio Chalcedonensi non fuisse absoluta, sed de his disputandi B. Leonem fecisse licentiam, ut ejusmodi facta, utpote immediate non revelata, elucidarentur: alia vero specialiter ad fidem pertinentia, nempe naturæ divinæ & humanæ in Christo veritatem atque distinctionem de fide definivisse contra Eutychetem Patres Chalcedonenses, asserit. Unde distinguo minorem: facta trium Capitulorum non pertinent ad fidem specialiter & immediate, concedo: mediate, nego. Pertinent mediate, & quidem dupliciter. I. Eo ipso quo duæ naturæ Christi, humana scilicet & divina revelantur & notantur in Scriptura, consequenter opposita sententia est contra revelationem & Scripturam statuentem duas naturas: unde rejicitur sententia quæ easdem confundit. II. Pertinet textus ad revelationem alio modo, in quantum Scriptura dicit, Ecclesiam esse infallibilem, Christum cum ea esse usque ad consummationem sæculi, portas inferi adversus eam numquam prævalituras: Igitur Pelagius in dubium non revocat Concilii infallibilitatem in judicio trium Capitulorum, nisi quoad facta pura eaque personalia; quod ultro concedimus.

*Ad* confirmationem: Dico verba integra ab adversariis non afferri, & præcipua reticeri: Sic igitur habet Pelagius: *Scripto concesserat Leo I. illud examinari*. Dato igitur & non concesso, quosdam Patres Concilii Chalcedonensis approbasse epistolam Ibæ, non inde sequitur iterato examini & decreto subjici non posse, cum ea solum quæ actitata fuerant in sex primis actionibus, approbaverat S. Leo.

*Insistunt:* Pelagius I. ait: *Beato Leone scribente jus retractandi & dijudicandi conceditur, etiam si qua esse poterat eorum qui interfuerunt in privatis negotiis auctoritas evacuatur*. Censet igitur Patres in Concilio congregatos, quamvis judicandi textus potestate pollentes, nihilominus esse fallibiles, quæstionem iterum posse in novo judicio agitari & definiri: Ergo &c....

*Respondeo* distinguendo: Et Pelagius sermonem habet solum de factis personalibus, quæ Concilium Chalcedonense judicaverat, concedo: de textibus trium Capitulorum, nego: de his quippe non egit, sed tantummodo de personis Theodoreti & Ibæ. Immo & pertransivit Theodorum Mopsuestenum, quamobrem de ipsius persona actitatum est in quinto Concilio generali; quod autem Pelagius non loquatur de textibus, est sui ipsius interpres: ibidem enim sic loquitur: *Unde si Concilium Chalcedonense approbavit epistolam Iba, sibi contradicit*. Denique ad idem principium redit semper Pelagius, scilicet actitata a Patribus Concilii Chalcedonensis in actione septima & aliis, quamvis ab eis de-

finita, non esse infallibilia, quia nec a beato Leone approbata fuerant, quippe qui permiserit in utramque partem disputare; nec ab universa Ecclesia recepta esse constabat.

*Persistunt*: Pelagius exprobrat Episcopis Illyriæ quod ad schisma propter quæstiones superfluas declinare vellent: Igitur non credit Ecclesiam infallibilem circa textum definitionem, cum hanc quęstionem existimet inutilem: de ea quippe movebant tragœdias Episcopi Illyriæ.

*Respondeo* distinguendo: Propter quæstiones inutiles puri facti, concedo: juris & facti, qualis est quæstio textus, nego. Erat in controversia factum purum, an scilicet Concilium Chalcedonense absolvendo personas Theodoreti & Ibæ absolvisset & textus? Utrumque credebant Episcopi Illyriæ, & hoc errore detenti; hinc & quintum Concilium generale rejicere volebant: probat illis Pelagius Chalcedonense nihil movisse circa textus, & dato quod aliquid pro textu Ibæ definivisset, judicium esse reformabile, quia beatus Leo licentiam fecerat disputandi de tribus Capitulis, donec Ecclesia in pleniori judicio terminaret quæstionem: hanc adimplevisse Provinciam quintum Concilium a Vigilio approbatum asserit Pelagius; sane penitus superfluum erat amplius disputare de hoc momento, & declinare ad schisma rejiciendo quintæ Synodi definitionem auctoritate summi Pontificis obsignatam.

*Contra*: S. Gregorius, *inquiunt*, epist. sua ad Constantium Episcopum Mediolanensem eum collaudat quod non reddidisset Reginæ Longobardorum epistolam suam, in qua quidem de quinto Concilio generali mentionem faciebat. II. Alteram in qua solum de quatuor primis Conciliis generalibus loquitur, ad eamdem Reginam direxit. Igitur S. Gregorius non credebat infallibilitatem quinti Concilii circa textus, alias non debuisset illud Concilium riticere.

*Respondeo* distinguendo: Sic egit D. Gregorius œconomiæ causa, concedo: quia dubitabat de infallibilitate Ecclesiæ & Concilii, nego. Sciebat prudens ille & sapientissimus Pontifex animum Reginæ fucatis Schismaticorum ideis & rationibus contra Concilium quintum exasperatum; hinc maluit dissimulare, quam contristare Reginam, ne pertinacem & aperte reluctantem adinveniens, schisma exardesceret. Revera quidem, pro ut præviderat, evenit schisma, de quo dolens ac gemens, ait: *Talis scissura pro re nulla facta est*. Sed pace feliciter postea composita, sua approbatione, suoque applausu munivit Concilium, asserens pari honore cum quatuor primis Conciliis Oecumenicis illud habere. Cæterum constat Concilium a Vigilio & S. Gregorio celebratum & approbatum esse, constat ab Ecclesia universali receptum. Utinam & constet Novatores approbare definitiones contra textum Jansenii: Utinam illum, sicut decet Sanctos & Ecclesię filios amantissimos, vere & sincere condemnare satagant.

## §. VI.

Utrum constet ex Theologis Ecclesiam esse infallibilem circa juris & facti quęstionem?

*CONCLUSIO AFFIRMATIVA.*

PROBATUR isto ratiocinio: Ecclesia dicenda est circa utramque quæstionem infallibilis, si hanc prærogativam semper illi tribuerint Theologi omni exceptione majores: Atqui hujusmodi Theologi hanc Ecclesiæ tribuerunt, & quotidie in ea agnoscunt & defendunt prærogativam: Igitur Ecclesia est infallibilis secundum Theologos. Probatur minor variis multisque in medium adducendis auctoritatibus.

*Primo*: Omnes Europæ, nulla excepta, Universitates Orthodoxæ, propugnant Ecclesiam esse infallibilem in decretis contra libros erroneos, tum in canonizatione Sanctorum: Sed librorum examen est circa dogma & textus: sed canonizatio fit in scripto, & præviis processibus verbalibus, post longam & exquisitam tum morum tum miraculorum ab ipsis patratorum inquisitionem: Igitur Ecclesia, ipsis consentientibus ac propugnantibus Theologis, est infallibilis circa juris & facti quæstionem.

*Secundo*: Ab actu ad posse valet consequentia: Atqui Theologi omni exceptione majores, defenderunt in Conciliis Ecclesiæ infallibilitatem circa dogma et tex-

tus:

tus: defenderunt in Concilio Florentino Patres Dominicani, qui pro processione Spiritus sancti a Patre & Filio, decreta & scripta summorum Pontificum, scripta & textus Patrum, scripta & textus D. Thomæ pro hoc momento apertos & manifestos esse tam feliciter Græcis demonstrarunt, ut parta victoria, Schismaticos Græcos utraque applaudente Orientali & Occidentali Ecclesia, Christo & Matri Ecclesiæ Romanæ pepererint & defenderint. Defenderunt in Tridentino idem Theologi & alii e Societate Jesu percelebres Hispani, hanc Ecclesiæ infallibilitatem cum in variis disputationibus Lutheri & Calvini errores debellantes, & concluserunt sanctam Ecclesiam textus eorum erroribus variis & nefandis scatentes, fulmine anathematis & decreto proscribere debere. Defenderunt Imperii Romani Theologi infallibilitatem Ecclesię circa textus in Concilio Constantiensi & Basileensi, eorum quippe opera & consilio Vviclefi textus Ecclesia declaravit impios, hæreticos, & uti tales in perpetuum habendos. Quid plura referam? Quot Concilia tot Theologornm testimonia pro infallibilitate Ecclesiæ, circa utrumque momentum, quandoquidem in eis actitatum est & de jure & de factis dogmaticis. Hanc denique Ecclesiæ dotem defenderunt Theologi omnium Ordinum spectatissimi contra dogmata & textus Jansenii: Hanc defenderunt sacræ & eminentissimæ Domus Sorbonæ incliti Doctores. Hanc ex regia Navarra sapientissimi Doctores & Consultores: hanc ex Episcopatus fulgenti ordine in doctrina & zelo fidei nulli secundi Præsules: hanc ex purpureo cœtu multi Galli, plures Itali. Denique ex variis præclarisque ordinibus occulatissimi Romani Consultores, qui facto serio & diligenter examine, textus Jansenii esse erroneos asseruerunt, summum Pontificem insuper deprecantes, ut hanc fidei controversiam decreto dirimeret atque definiret, quod & applaudente universa Ecclesia fecit: Igitur Theologi agnoverunt & agnoscunt infallibilitatem Ecclesiæ circa jus & factum, alias nihil certum foret in Religione, nulla definitio ponderaret, & veritas inutilibus, scandalosis & perpetuis disputationibus nutaret, ac tandem triumpharet error, quod quidem fieri nequit, dicente Christo in gratiam Ecclesiæ, Matth. 16. *Et porta inferi non prævalebunt adversus eam.*

*Tertio*: Theologi non solum in Conciliis & Congregationibus steterunt pro infallibilitate Ecclesiæ circa jus & factum, verum etiam doctissimis scriptis hoc propugnarunt. Juvat ex singulis Ordinibus aliquos afferre, ut intelligant Fideles omnes Scholas esse quasi unius labii pro hac veritate tuenda contra impugnantes.

### *Ex ordine Eminentissimorum Cardinalium purpureo.*

CARDINALIS Rospigliosus in sua relat. art. 52. 53. 54. 55. mirum in modum enodat quæstionem, & probat Ecclesiæ judicium circa propositiones & textus Jansenii, esse irrefragabile; sic igitur loquitur, maxime cum huic accesserit Pastorum consensus, saltem tacitus, & ut plurimum expressus: *Ut probe animadverterunt Theologi qui a Sede Apostolica stabant, tres omnino quæstiones de Jansenii in quinque propositionibus sensu incidere poterant: Prima quænam illius occulta mens & cogitatio fuisset, quibusque signate verbis quinque propositiones illas expressisset .... Hæc quæstio intra facti se limites tenet, quam doctiores propterea negant definitionibus fidei divinæ subjectam .... Secunda quæstio esse posset, quid tandem nativa & sua vi & proprietate significarent verba Jansenii in suo Augustino, quæ licet ex infra dicendis, neque ipsa ad nostrum institutum pertineat, continet tamen controversiam, non de mero facto, at de jure, subjectamque ideo Ecclesiæ judicio: ad dignoscendum quippe utrum aliqua doctrina, sacris Litteris congruat, an pugnet, plenam utriusque partis notitiam Judex obtineat, necesse est, utrumque tum sacrarum Litterarum, tum doctrinæ propositæ sensum percipiat, alioquin nulla esset hæresis, quæ defendi, nulla in fidei divinæ articulis veritas, quæ oppugnari non posset; liceret enim jactare Pontificem, quamvis quod ad sacras Litteras pertinet, contra omnem falsi erroris que aleam consistat, posse decipi tamen in earum doctrinarum intellectu ..... Tertia quæstio est in qua cum de Janseniana doctrina sensu conveniat, disceptatur solum, hæretica ne illa, an catholica sit? quam qua-*

*quæstionem certo-certius constat non in facto, sed in jure versari.*

*Cardinalis* Norisius eodem prope modo loquitur in defensione Apologiæ Monachorum Scythiæ contra Anonymum cap. 1. asserit enim : *Ecclesiam in damnandis propositionibus in sensu ab auctore intento non errare, neque latum ab ea semel judicium posse retractari : siquidem oppositum affirmantes Apostolica Sedes damnavit, ut patet ex Epistolis Romanorum Pontificum, qui proxime Synodum quintam consecuti sunt.*

*Cardinalis* de Lauræa ex professo omnia distinguit & probat, ac perfecte hanc dirimit controversiam in art. 2. sextæ disputationis, ubi explicat quid sit quæstio juris, quid quæstio facti. Art. 3. docet canonizationem Sanctorum quæ non fit sine pluribus textibus, ad fidem pertinere. Art. vero 6. sic habet : *An propositiones doctrinales, includentes aliquid facti, possint esse objecta fidei ? Dico* I. *dum Ecclesia in Concilio, vel Romanus Pontifex extra Concilium damnat aliquam doctrinam cum expressione Auctoris, v. g. doctrinam Sabellii de unitate Personarum in Deo ... licet totum complexum includat aliquid facti, damnatio illa est objectum fidei, ideo absolute & sine distinctione facti a jure est recipienda ut fidei objectum*. Sciscitanti autem ubi sit facti revelatio ? respondet implicite esse in Scriptura sacra & colligi ex Matthæi 5. 24. cum Christus dicit : *Multi venient in nomine meo, dicentes ego sum Christus, & seducent multos*. Ex 2. Petri 2. *Erunt in vobis magistri mendaces qui introducent sectas perditionis*. His accedit Cardinalis Bellarminus, qui passim in suis controversiarum libris idem, ut infra dicetur, docet.

*Sed* inter omnes fulget iste Cardinalis, qui multis in locis eamdem profitetur doctrinam, ast de eo infra agemus. Sufficit impræsentiarum dicere Ecclesiam secundum opinionem eminentissimorum Theologorum judicare infallibiliter & de textibus, & de sensu ab auctore expresso in textibus, immo facta dogmatica esse facti simul & juris, & quodam modo pertinere ad fidem : Igitur Ecclesia infallibiliter judicare potuit, & de facto judicavit de falsis dogmatibus & textibus erroneis Hæreticorum.

*Ex Schola sacra Facultatis Parisiensis.*

SACRA hæc Facultas novum Jansenismi commentum etiam egregie & primo non semel debellavit : Ita refert Illustrissimus Episcopus Tullensis Carolus du Plessis d'Argentre Soc. Sorb. in Appendice posteriori ad Elementa Theologica pag. 86. *Anno*, inquit, 1656. *a sacra Facultate Parisiensi contra Antonium Arnaldum gestum fuit, & postremum a tribus annis contra famosam de aliquibus conscientiæ dubiis consultationem a* 40. *Doctoribus Facultatis Parisiensis subscriptam, deinde ab iisdem fere omnibus retractatam, id sententiæ nostræ prorsus favet.*

*Idem* in eodem opere pag. 36. dicit : *Anno* 1656. *censura Facultatis Parisiensis inusta est cuidam epistolæ Antonii Arnaldi gallice scriptæ, cujus doctrinam in duobus capitibus damnavit. Quorum unum ad quæstionem facti circa Jansenii sensum spectabat, nempe affirmaverat Arnaldus hæreticum sensum verbis Jansenii immerito tribui, aut certe unicuique fas esse ajebat, in dubium revocare, utrum talis sensus in libro Jansenii reperiretur ? Nec aliam præter religiosi silentii observantiam, Conciliorum etiam Oecumenicorum judicio in privatis hujusmodi factis, deberi. Alterum caput ad peculiarem juris quæstionem de mandatis homini juste possibilibus pertinebat*. Censura : *Decrevit sacra Facultas priorem illam quæstionem, sive propositionem quæ est facti, esse temerariam, injuriosam summo Pontifici, ac Episcopis Galliæ, atque etiam præbere occasionem renovandi ex integro post damnationem Jansenii doctrinam.*

*Rursus* in censura contra Lutherum ann. 1542. art. 18. sacra Facultas sic insurgit adversus illum, dicens : *Tenetur quilibet Christianus firmiter credere unam esse in terris universalem Ecclesiam visibilem quæ in fide & moribus errare non potest, cui omnes Fideles in his quæ sunt fidei & morum obedire astringuntur*. Rursus art. 19. *Quod si quid in Scripturis sacris controversiæ aut dubii oriatur, ad præfatam Ecclesiam definire & determinare spectat.*

*Mitto* Nauclerum, Bail, Duvallium, qui idem docent : postremus tom. 2. de summo Pontifice q. 7. totam quæstionem paucis sed efficacissimis verbis diri-

dirimit, & probat: *Neque enim*, inquit, *probabile est Spiritum sanctum, qui jugiter adest Ecclesiæ, sinere Pontificem labi in errorem qui in totam Ecclesiam redundaret, quod certe contingeret, si damnatos in inferis, omni dedecore notandos, honore afficeret, quamobrem merito docet noster Almainus cap. 1. de auctoritate Ecclesiæ sub finem, Pontificem a Spiritu sancto illustrari, in his quæ ad generalem Ecclesiæ statum spectant, non autem in quæstionibus facti particularibus, sed sinere interdum eum, si non culpabiliter, saltem ignoranter propter falsam testium relationem, in errorem labi*. Quibus verbis tria isti duo Doctores insinuant & propugnant; nempe, I. Ecclesiam esse infallibilem in canonizatione Sanctorum. II. Etiam in factis dogmaticis quæ religionem spectant, quia non potest errare in his quæ pertinent ad bonum universale Fidelium. III. Secus vero in factis puris; potest enim decipi aut propter falsam testium depositionem, aut propter textuum deflorationem.

*Ex Schola Angelica Thomistarum.*

DIVUS THOMAS egregie cum suæ Scholæ Alumnis fortiter propugnat Ecclesiæ infallibilitatem & pro quæstione juris & pro quæstione facti dogmatici; multus & perpetuus est pro hac veritate comprobanda, sed præcipue Quodlib. 9. art. 16. *In Ecclesia*, inquit, *non potest esse error damnabilis, sed hic esset error damnabilis, si veneraretur tamquam sanctum qui fuit peccator, ergo Ecclesia canonizando Sanctos non potest errare*. Idem in 4. dist. 13. q. 2. art. 5. ait: *Dicendum quod fides principaliter consistit in corde, & primo, sed secundario in ore: quia corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem ... unde Hieronymus dicit quod ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis; non quia hæresis per se in his consistat, sed quia sunt occasio & causa erroris*.

*Iterum* ibidem clarius se explicat pro textibus: *Ad fidem pertinent ad quam aliquid pertinet dupliciter ... Uno modo directe & principaliter sicut articuli fidei: Alio modo indirecte & secundario, sicut ea, ex quibus sequitur corruptio alicujus articuli, & cira utraque potest esse hæresis eo modo quo & fides*. Denique totum concludit & absolvit 2. 2. q. 11. art. 2. ad 3. his verbis: *Si ergo aliqui Doctores videntur dissensisse vel circa quorum nihil interest ad fidem pertinentibus quæ nondum erant per Ecclesiam determinata, postquam autem essent auctoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur*.

*Divus Thomas* in primo loco dicit Ecclesiam non posse errare circa canonizationem Sanctorum, quæ tamen non fit sine examine multorum Scriptorum. In secundo loco docet fidem non solum in corde, sed etiam in ore consistere, ita ut ex verbis inordinate prolatis vel scriptis sequatur corruptio fidei. Igitur ex ipso verba & texus erronei spectant fidem, non quidem primario & directe, sed indirecte & secundario ut loquitur. In tertio loco, in quantum sunt causa & occasio erroris, ex quo sequitur hæresis. Jam vero si pertinent ad fidem, potest Ecclesia de his infallibiliter judicare, unde postquam sunt ab Ecclesia universali determinata, si quis resisteret, *Hæreticus*, inquit sanctus Doctor, *censeretur*. Profecto non foret hæreticus, nisi inesset Ecclesię rem de fide vel contra fidem determinandi auctoritas.

*Bannez* subscribit D. Th. comment. in 2. 2. q. 11. art. 2. & sic effatur: *Ecclesia est infallibilis ad definiendum modum loquendi in rebus fidei, quia necessarium est quod habeat auctoritatem ad determinandum verba; ad hoc quod proponat recte verba fidei, Ecclesia debet scire quo modo oporteat nos loqui; ad hoc enim dona linguarum data sunt Apostolis*. Aperta mens est istius Theologi, qui summopere & quasi mire attendit ad textus, dicens: *Pertinere ad Ecclesiam determinare verba in rebus fidei*. Rursus q. 1. art. 10.

*Joannes* a S. Thoma iisdem vestigiis inhærens disp. 19. in secundam 2. pag. 147. hanc sibi proponit difficultatem: *Quomodo Ecclesia potest esse certa de Scriptura sacra, cum neque in lingua primigenia habeat, nec qui versionem fecit, infallibilitatem donabatur*. Cui argumento his verbis satisfacit: *Respondetur Ecclesiam ex auctoritate quam habet circa determinandas res fidei, & proponendas eas fidelibus, habere quoque auctoritatem determinandi in quo libro, & editione & tractatu inveniatur veritas*

*ritas fidei, & revelatio divina: & ita ex auctoritate illa deficiente certificatur Ecclesia sicut circa alias res fidei controversas certificatur per auctoritatem sua definitionis.*

*In* eadem sententia versantur Melchior Cano, Gonetus, & alii complures ejusdem Scholæ Theologi, ut Dominicus a S. Trinitate Carmelita Discalceatus in sua Bibliotheca Theologica Romæ typis edita anno 1668. cap. 18. tom. 3. pag. 560. D. Thomas omnium Princeps Quodlib. 9. art. 16. hanc addit rationem pro infallibilitate etiam circa textus: *Si vero consideretur divina Providentia qua Ecclesiam suam Spiritu sancto dirigit, ut non erret, sicut ipse promisit Joan. 14. quod spiritus adveniens docebit omnem veritatem, de necessariis scilicet ad salutem, certum est quod judicium Ecclesia universalis errare in his qua ad fidem pertinent, impossibile est.*

*Ex Schola doctissima Societatis Jesu.*

THEOLOGI hujus Scholæ certatim conspirant ad defendendam Ecclesiæ infallibilitatem circa jus & factum. Hanc propugnat Azorius in libris Moralium. Hanc Gregorius de Valentia, disp. 9. de fide sect. 9. cap. 3. Hanc de Rhodes disp. 2. de fide q. 2. sect. 5. 54. Hanc Suarez, Petavius, & alii non pauci, sed inter omnes Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in genere c. 25. *Si tollamus*, inquit, *auctoritatem præsentis Ecclesia, & præsentis Concilii, in dubium revocari poterunt omnium aliorum Conciliorum decreta, & tota fides christiana*. Rursus lib. 3. de Ecclesia militante cap. 14. sic loquitur: *Nostra igitur sententia est Ecclesiam absolute errare non posse, nec in rebus absolute necessariis, nec in aliis qua credenda vel facienda nobis proponit, sive habeantur expresse in Scripturis, sive non*. Quibus verbis ostendit se versari in ea opinione, quæ Ecclesiæ infallibilitatem extendit ad omnia quæ spectant Religionem, etiamsi scripta non sint. Tum in libris de verbo Dei, non semel dicit ad Ecclesiam pertinere judicare de textibus Scripturæ sacræ, & determinare quinam sint libri genuini, quinam vero apocryphi.

*Ex Juris peritis.*

QUID plura commemorem pro infallibilitate Ecclesiæ circa jus & textus? ubique habet Patronos & defensores, maxime apud eos qui scientia juris præpollent. Hanc enim defendit S. Antoninus 3. p. tit. 12. c. 8. & 9. sect. 2. hanc Soto & alii permulti. Unum omni exceptione majorem referam, nempe Joannem Turrecremata lib. 2. Summæ c. 112. qui affirmat Ecclesiam esse infallibilem judicando de textibus: *Alias*, inquit, *posset quis eadem facilitate dicere quod erratum sit in electione quatuor Evangeliorum & Epistolarum canonis, & in approbatione universalium Conciliorum, & aliorum librorum Doctorum approbando aliquos, & aliquos reprobando.*

*Fit satis objectionibus Heterodoxorum circa Textus.*

OBJICIUNT I. D. Thomas & sui, hanc negant infallibilitatem. II. Episcopi, Doctores, Baccalaueri, alii in scriptis, alii in thesibus; III. Licitum est ei non subscribere: Igitur incassum admittitur illa infallibilitas Ecclesiæ circa textus.

*Respondeo* distinguendo: D. Thomas & sui negant infallibilitatem Ecclesiæ pro factis personalibus, concedo: aliquis enim potest injuste accusari, & consequenter injuste damnari: in factis dogmaticis, nego. Ejusmodi facta sunt etiam juris. In propositionibus Jansenii v. g. duo distinguuntur; aliud in abstracto, utrum scilicet præcepta quædam sint impossibilia: Aliud in concreto & in textu complexum, an scilicet sensus primæ propositionis obvius hoc significet. Tertium potest addi, utrum scilicet auctor hunc & alium meliorem in mente retinuerit sensum; profecto Ecclesia utpote S. Spiritu edocta & gubernata, jus dicendi habet circa primum jus; & in secundum declarando hunc esse sensum libri auctoris, quippe qui sit verbis externis expressus. Utrum vero intus saniorem servaverit & habuerit? non judicat de internis.

*Ad* secundum oppono illis Theologis peræcellentiores: oppono Concilia, oppo-

no Stephanum. Cyprianus v. g. volebat Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes verbis evangelicis jam baptizatos iterum baptizari: Sed restitit ei Stephanus I.& prævaluit. Unde quando Vincentius Lirinensis dicit: *Quod est traditum, est illud quod ubique, quod ab omnibus, quod semper nobis non opponitur*: Sensus est, quod ab omnibus ordine, scientia, sanctitate conspicuis traditur. Hæc autem infallibilitas a Conciliis, hæc a Patribus, hæc ab usu & possessione perpetua comprobatur. Cyprianus & tria Concilia Africana, Firmilianus & duæ Synodi Orientales tenebant pro rebaptizatione Hæreticorum: & tamen unus Stephanus unico verbo subvertit omnia ab istis Conciliis decreta, dicendo: *Nihil innovetur nisi quod traditum est*. Habebat igitur, licet tot ac tantis viris adversantibus, pro se Traditionem & Ecclesiæ consensum & usum: unde Vincentius seipsum explicat 3. commonit. his verbis: *Si quis sit particularis qui contrarium teneat, licet doctus, licet sanctus Episcopus, Confessor, Martyr, relinqui debet*. Et D. Th. *Si quis tali ordinationi*, scilicet Ecclesiæ, *pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur*.

*Ad* tertium, nego licitum esse refragari infallibilitati Ecclesiæ circa textus, cum quæstio sit juris & facti; Ecclesia non semel suam declaravit infallibilitatem; & suis definitionibus rebelles habuit ut Ethnicos & Publicanos. Quid plura? Novatores ante Jansenii condemnationem neque disputabant de infallibilitate Ecclesiæ circa textus, neque de ea dubitabant; immo & ultro eam agnoscunt pro textibus D. Augustini, non in uno, sed in duodecim librorum tomis & voluminibus contentis. Qua de causa igitur, quave fatalitate pro uno volumine Jansenii illam agnoscere abnuunt?

*Reponunt*: Cardinalis Turrecremata asserit Sextum Concilium damnasse Honorium, non intellectis ejusdem Pontificis epistolis: Igitur credit Concilium errasse circa illos textus.

*Quidam* respondent istum Cardinalem solum hoc unum intendere, Concilium errasse circa epistolarum textus non in se spectatos, sed respective ad Honorium, cujus mentem non satis attigisse Patres Synodicos volunt, maxime cum non damnatus sit ut Hæreticus, sed solum ut Hæreticorum fautor; eo quod fortiter non se gessisset reticendo vocem duarum in Christo operationum. Sed frustra ad istam confugiunt solutionem, cum luce clarius constet legenti, & sine præoccupatione omnia ponderanti, acta Concilii fuisse deflorata, tum in sessione 13. in qua præcipitur epistolarum combustio, tum in sessione 18. in qua manifestam ostendimus contradictionem: & sic uno verbo absque labore diluuntur Novatorum sophismata ex illo momento inaniter deducta.

*Instant*: Baronius tomo 8. hist. dicit I. Ecclesiam non tanto rigore procedere circa personas & scripta, sicut contra res fidei. II. Eam esse fallibilem circa personas & scripta: Ergo &c.

*Respondeo* Baronium remittere Lectorem ad Bellarminum, quem docte & solide discussisse quæstionem affirmat: Igitur non est conclusioni contrarius.

*Ad* primum distinguo: Non tanto rigore Ecclesia insectatur personas ac scripta sicut res fidei, si scripta considerentur respective ad personam, concedo: fieri enim potest, quod scripta alias erronea, tribuantur alicui cujus non sunt fœtus. Unde in causa accusati possunt falli judices: si considerentur respective ad fidem cujus continent vel probationem & confirmationem, ut scripta Patrum, vel ad errorem, aliquod fidei punctum destruentem, nego. Quia ut jam dictum est, quæstio textus eo modo spectati, est quæstio juris simul & fidei: vult igitur dumtaxat Baronius Ecclesiam cum eodem rigore non procedere circa facta personalia, & circa textus comparative ad personas.

*Ad* secundum, eadem est solutio: Ecclesia non est infallibilis circa facta pura & personalia, bene vero circa textus reduplicative ut dogmaticos. Ecclesia ista duo secernit, & numquam confundit, nempe textum & talem auctorem.

*Dices*: Alexander VII. non separat textum ab auctore, & damnat propositiones in sensu Jansenii.

*Respondeo* ista duo, textus auctoris & textus talis auctoris distingui a summis Pontificibus. Enim vero qualificant propositiones in sensu ab assertore intento,

ficut exprimitur in textu, & in hoc Ecclesia est infallibilis, quia habet textus præsentes, unde & de doctrina in eis contenta judicare potest. Sed an auctor habuerit & retinuerit in mente alium sensum præter obvium, an talis numero persona sit auctor textus, de hoc non judicat infallibiliter, nisi auctor sit præsens & loquatur agnoscendo librum ut suum: quia vero Novatores defenderunt textum Jansenii ut Jansenii, Ecclesia judicando textus nominat Jansenium, sed cum clausula procedit Innocentius X. Sic enim loquitur: *Cum occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis*. Procul hinc igitur omnes istæ vanæ subtilitates, & speciosa, sed fucata effugia.

*Insistunt*: Cardinalis Palavicinus negat quintum Concilium hanc infallibilitatem habuisse pro negotio trium Capitulorum, & merito; quia sermonis congruitas & pura locutio, non est objectum satis grave, neque fidei, neque Concilii aliquid pro fide definientis.

*Respondeo* distinguendo: Et ille Cardinalis loquitur historice, & secundum quorumdam Occidentalium mentem, qui errore facti decepti, existimabant tria Capitula fuisse a Concilio Chalcedonensi absoluta, concedo: & loquitur mente propria, nego: nam lib. D. Hist. cap. 17. pag. 597. agnoscit infallibilitatem in Ecclesia pro textibus, dicitque quintum Concilium Spiritu sancto ductum & inspiratum tria condemnasse Capitula.

*Ad* confirmationem distinguo: Congruitas sermonis grammaticalis & quoad verba atque idioma non est fidei decisionis materia, concedo: quoad sensum verbis & terminis expressum, nego. Propositio ista v. g. *Præcepta Dei sunt impossibilia justis, etiam conantibus*, potest exprimi gallice vel græce. II. Aliis terminis æquivalentibus, ut si quis diceret, justi quantumvis satagant, non possunt adimplere Dei præcepta. III. Potest spectari secundum sensum quem præ se fert: Porro non est fidei & decisionis objectum primo & secundo modo spectata, bene vero formaliter & secundum sensum obvium ponderata, quia sic exprimit errorem contra fidem pugnantem, & prorsus condemnandum.

*Persistunt*: Doctissimus Petavius in doctrina Patrum & scientia versatissimus asserit: I. Quintum Concilium generale ad fidem non pertinere, Vigilium contra propriam sententiam, & solum ne schisma oriretur, illud suo calculo munivisse: II. Asserit utique Marcellum Ancyranum, relicto ejus sensu, absolutum fuisse, quæ quidem omnia & similia infallibilitatem circa textus minime sapiunt.

*Respondeo* I. Opponendo Petavium Petavio; ipse siquidem lib. 6. Teolog. dogm. cap. 17. dicit Ecclesiam anathemate percussisse erronea Theodoreti dogmata, utpote sanæ & catholicæ Cyrilli Alexandrini doctrinæ de Verbo incarnato, opposita. Item stat pro infallibilitate Ecclesiæ circa textus tom. 2. lib. 1. de Trin. cap. 4. II. Dato & non concesso Petavium impugnare auctoritatem quinti Concilii generalis, magis adhærendum est sententiæ D. Gregorii illud tamquam quatuor prima Concilia venerantis, præsertim vero quia ad Theologum particularem non spectat pronuntiare circa morem quem gerit Ecclesia tum adunando Concilia, tum definiendo circa materiam agitatam.

*Ad* Vigilium dico, prima quidem fronte hæsitasse approbare Concilium, sed discussione facta, postea libenter approbasse, cujus rei argumentum est, quod Pelagius I. ejus successor fategerit, ut ab omnibus reciperetur.

*Ad* aliud momentum dico, Petavium non satis ponderasse Marcelli factum, omnes, paucis exceptis, nunc ab Arianismo immunem agnoscunt & defendunt: quis enim rerum indagator æquus non sciat, ideo Marcellum absolutum fuisse, quia sanam & omnibus numeris absolutam fidei professionem summo Pontifici exhibuerat?

*Replicant*: Illust. D. Bossuetius Meldensium Præsul tenet revelationem non esse necessariam, ut Ecclesia definiat & qualificet textus, sed sufficere unum istud scire, numquam eam errasse in hoc, ut credamus numquam circa istud momentum in errorem fore lapsuram: Ergo si revelatio nullum hic habeat locum, nullus tenetur credere textus proscriptos erroneos esse, sed sufficit silentium, & nihil contra Ecclesiam moliri, quia quisque ex

ex obedientia tenetur ejus venerari decreta.

*Respondeo* distinguendo: Bossuetius numquam credidit infallibilitatem Ecclesiæ circa textus esse quid immediate revelatum, concedo: non enim legitur in Scriptura textum Jansenii esse hæreticum, siquidem ante Jansenium extabat Scriptura: non esse mediate revelatum, in quantum Christus suæ promisit Ecclesiæ quod foret cum ipsa usque ad consummationem sæculi, nego.

## §. VI.

*Utrum ex ratione constet Ecclesiam esse infallibilem circa juris & facti dogmatici quæstionem.*

## CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

*Probatur rationibus Theologicis.*

PRIMA hæc est: Quod Scriptura, Traditio, usus, & omnes, tum Theologi, tum Summistæ docent, non licet revocari in dubium; non enim aliqui præter hæterodoxos insanientes dicent omnes viros pietate, scientia & sanctitate perillustres, se solis exceptis, cæcutire: Atqui ex momentis supra laudatis liquet Ecclesiam infallibilitate circa jus & factum gaudere. Ergo &c.

*Altera*: Citra dubium est definitiones Conciliorum generalium approbatorum esse recta judicia: Sed si hujusmodi Concilia forent circa dogma & factum fallibilia, nihil certi in judiciis haberetur pro Religione, quia teste Bellarmino lib. 2. de Concil. auctoritate cap. 4. *Nihil est majus generali Concilio, legitimo & approbato*, Ergo &c.

*Tertia*: Ecclesia est essentialiter una, ut habetur in Symbolo, & teste Apostolo una est fides, unum Baptisma, unum Caput Christus in cœlis, & summus Pontifex ejus in terris Vicarius: Sed si Ecclesia non esset circa utrumque momentum jamjam sæpius laudatum, infallibilis, tot essent religiones, quot forent capita, ut liquet in variis sectis; eo enim ipso quo Ecclesia infallibilis non existeret in jure & facto, nullus finis controversiarum daretur: quod & compertum habemus in Novatoribus, qui hac de causa semper disputant, & disputando ac male rixando in veritate non stant. Ergo &c.

*Quarta*: Ut primum infallibilitas laudata Ecclesiæ denegatur, jam omnis vera religio exsufflatur: Sed horrendum consequens: Ergo & Antecedens. Proabatur sequela majoris. Vera Religio habetur ex sacris Scripturis: Sed si Ecclesia non est infallibilis, nutant omnes Scripturæ, cum sacrorum textuum genuinitatem & mysteriorum dogmata in eis conclusa habeamus & proposita, & determinata ab Ecclesia in Conciliis adunata; Ergo &c.

*Quinta*: Si Ecclesia in decretis suis circa dogmata & textus illa continentes posset errare, nulla ei reverentia, nullumque obsequium eis deberetur, cum honor & observantia erga Conciliorum & Ecclesiæ canones in ejus infallibilitate potissimum fundetur: Sed impium esset dicere hujusmodi canones cum contemptu abjiciendos esse: Ergo &c. Ista ratio est doctissimi Bellarmini ibidem pag. 73. col. 1. his verbis: " Si omnia Concilia, *ait*, „ possent errare, illud certe sequitur, ut „ omnia intolerabilem errorem admiserint, ac proinde nullo honore digna „ sint; nam error intolerabilis est, proponere aliquid credendum, tamquam „ articulum fidei, de quo non constet, an „ sit verum, vel falsum; at Concilia precipua, ut Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense ediderunt nova Symbola fidei, aut certe novas sententias quas voluerunt haberi tamquam articulos fidei. Quis autem dicere audebit, illa Concilia quatuor intolerabilem errorem continere, „ nulloque honore digna esse, cum ea videamus etiam ab adversariis cum honore suscipi, & non raro in testimonium „ veræ doctrinæ adduci? Restat igitur ut „ firma, & infallibilia esse credamus eorum judicia. „

*Ex* his sequitur Concilia particularia approbata & ab Ecclesia recepta circa fidei dogmata esse irrefragabilia, ut Concilium secundum Arausicanum, quod viginti quinque canonibus doctrinam de gratiæ necessitate, de libero arbitrio sub dominio gratiæ, de merito & fortitudine Christiana, de dilectione Dei, & perseveran-

verantia finali expressit, dixit & statuit. Hanc sequelam ex professo propugnat & docet Bellarminus lib. 2. de auctoritate Concil. cap. 5. quia eo ipso quo approbata & recepta sunt, jam est ipsa Ecclesia loquens: Sed Ecclesia, ut nunc probatum est, infallibilis est circa juris & facti dogmatici quæstionem: Igitur & Concilia particularia.

*Diluuntur Heterodoxorum objecta.*

OPPONUNT: Si Concilia Oecumenica essent in decretis dogmaticis irretragabilia, eorum canones inter fidei articulos annumerarentur, & ut Scriptura sacra se haberent, maxime cum eorum statuta a Spiritu sancto nedum assistente, sed & afflante procederent; sicut enim Petrus in Concilio Jerosolymitano Act. 15. dicit: *Visum est Spiritui sancto & nobis &c.* Sic & & quædam Conciliorum Oecumenicorum Patres locuti sunt: vel ipsum Concilium Chalcedonense audita Theodoreti fidei confessione, in pristinum gradum illum restituit, dicens Christum illum restituere, quia orthodoxus est. Sed nemo dixerit Concilii generalis approbati canones esse Scripturam sacram, & ejusdem cum illa auctoritatis & divinitatis: Igitur ex hac ratione liquet Ecclesiam non esse infallibilem circa juris & facti dogmatici quæstionem.

*Respondeo* I. negando sequelam majoris. Canones Conciliorum sunt quidem articulorum fidei propositiones & explicationes, sed non ipsum Dei verbum immediate revelatum. Neque vero solum illud intercedit inter Scripturam & Conciliorum decreta discrimen; specialiori siquidem modo Spiritus sanctus assistebat Scriptoribus canonicis quam Conciliis, cum eis, ut multi contendunt, & verba, & sensum mysteriorum in Scripturis contentorum nedum revelaret, sed & dictaret: At vero assistit Conciliis tantummodo, ut verbum Dei in Scripturis expressum proponant, & contra obstrepentes defendant.

*Ad* id vero quod dicitur Concilia quandoque eodem modo loqui ac S. Petrus, dicendo: *Visum est nobis*, dico comparationem non esse adæquatam, quandoquidem S. Petrus erat Scriptor canonicus, e contra vero Concilium: quia tamen ipsi inest Spiritus sancti assistentia ne erret, potuit uti eadem phrasi & loquendi formula, dicens, *visum est &c.* Quod autem hæc juxta eamdem efficaciam a Conciliis non dicantur, patet ex sermone Concilii Chalcedonensis dicentis Christum Theodoretum Catholicum in pristinum gradum restituere, tum quia ad potestatem humanam Ecclesiasticam spectat exauctoratos Episcopos pœnitentes absolvere: tum quia dubio procul non erat certum certitudine fidei Theodoretum esse Catholicum & perfecte conversum, ut liquet ex ejus capitulo in quinta Synodo generali proscripto.

*Solutio* objectionis colligitur ex Bellarmino, qui lib. 2. de Concil. auct. cap. 12. ait quintuplex esse inter Scripturam & canones discrimen: " Primum est, ait „ pag. 108. & 109. quod Scriptura est „ verbum Dei immediate revelatum, & „ scriptum quodam modo Deo dictante, „ juxta illud 2. Petr. 1. *Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines* ... „ . At vero Concilia non habent, neque „ scribunt immediatas revelationes, aut „ verba Dei, sed tantum declarant, quod „ sit verbum Dei scriptum vel traditum, & quomodo intelligi debeat, & „ præterea ex eo per ratiocinationem „ deducunt conclusines. „ Sicque definitio Concilii se habet ut conclusio Theologica, quæ revelatione solum virtuali eatenus innititur, quatenus ex verbo Dei scripto, vel tradito suos deducit & efformat canones.

*Pergit* Bellarminus: " Alterum discrimen ex hoc primo oritur, & est quod „ Scriptores sacri non debuerunt multum „ laborare in suis libris edendis; satis „ enim erat, si laborarent scribendo, vel „ dictando, si edebant vaticinia: vel ad „ summum revocando ad memoriam, quæ „ viderant, vel audierant, & cogitarent „ verba quibus ea scriberent, si scribebant historias, vel epistolas, vel aliquid „ simile. At Patres in Conciliis debent „ rem ipsam quærere, id est, conclusiones investigare, disputando, legendo, „ cogitando. Unde Act. 15. legimus in „ primo Concilio magnam conquisitionem fuisse factam. Idem testatur de „ Nicæno Concilio Ruffinus lib. 10.

Ff 4 Hist.

„ Hist. cap. 5. „ Hinc graves Theologi propugnant hanc sententiam Concilii Apost. *Visum est nobis*, historicè quidem esse D. Lucæ immediate revelatam, sed initium canonis non esse ipsam Scripturam sacram.

*Prosequitur* pag. 110. dicens: " Tertium est, quod in Scriptura nullus potest „ esse error, sive agatur de fide, sive „ de moribus, & sive aliquid affirmetur „ generale, & toti Ecclesiæ commune, „ sive aliquid particulare, & ad unum „ tantum hominem pertinente ... At Concilia in particularibus judiciis errare „ possunt. „

*Rursus* ibidem: Quartum est, quod in „ Scriptura non solum sententiæ, sed „ etiam verba omnia, & singula ad fidem pertinent ... In ipsis *Conciliorum* „ decretis de fide, non verba, sed sensus tantum ad fidem pertinet; non enim „ est hæreticum dicere, in canonibus „ Conciliorum aliquod verbum esse supervacaneum. „

*Rursus* ibidem: " Quintum est, quod „ Scriptura non eget approbatione Pontificis, ut sit authentica, sed tantum „ ut innotescat ejus auctoritas: at Concilia etiam legitima & generalia non „ sunt rata, nisi a Pontifice confirmentur. „

*Instant*: Atqui posita infallibilitate Ecclesiæ, canones Conciliorum æque Scriptura sacra forent saltem ac libri historiales Bibliæ: Ergo &c. Probatur subsumptum: Scriptores Canonici non nisi assistentiam meram Spiritus sancti, ne facta referendo errarent, habebant, non enim v. g. prælia Machabæorum erant revelata, cum omnibus Judæis innotescerent: Sed in hypothesi infallibilitatis Ecclesiæ Concilia hujusmodi assistentia donantur: Igitur par utrobique ratio.

*Respondeo* negando subsumptum: Ad probationem distinguo minorem: Concilia habent utique Spiritus sancti assistentiam, sed ab assistentia Scriptorum canonicorum diversam, concedo: prorsus eamdem, nego. Equidem secundum quid assistentia Spiritus sancti in Conciliis convenit cum priori, in eo quod sicut Spiritus sanctus impedivit ne Scriptores sacri in texendis historiis errarent, sic & protegit Patres Synodicos ne falsa pro veris, & mala pro bonis credenda proponant; sed assistentia specialissima est pro prioribus, & vocatur assistentia non meræ protectionis, sed & revelationis, quod quidem multa probant momenta. I. Quia Scriptores sacri præterita quidem quandoque annuntiabant, sed iis pro quibus scribebant incognita, ut Moyses qui scripsit historiam creationis; hinc & in hoc vere fuit Propheta: vel etiam quædam præsentia pandebant, sed utique incognita iis quibus loquebantur: Sic S. Joannes Baptista digito discipulis Christum præsentem, sed quem ipsi ignorabant, monstrabat, & in hoc utique prophetavit. Pari & non absimili modo viri Dei scripserunt historias temporum, sed vel præteritas, quas ipsi ignorabant, vel etiam præsentes, sed in multis abstrusas, quocirca ipsis omnia a Deo revelata sunt; hinc sine studio & factorum inquisitione & discussione, ait Bellarminus modo citatus, cuncta vel referebant, vel ammanuensibus dictabant, ut Jeremias qui Baruch Scribæ cuncta narrabat & dicebat: hinc omnes Scriptores sacri a Synagoga Prophetæ nominabantur. Cæterum non desunt doctissimi Theologi qui teneant omnes Scripturas nedum quoad sensum, verum etiam & quoad verba a Spiritu sancto fuisse dictatas.

*Insistunt*: Magis præponderat canon dogmaticus Concilii Oecumenici, quam conclusio a simplici Theologo deducta: Sed si laudata assistentia Spiritus sancti solum tribuatur Concilio œcumenico, canon ejus pro fide & religione emissus, non erit majoris efficaciæ & ponderis, quam Conclusio Theologica, cum non nisi revelatione virtuali sicut conclusio ista, innitetur, maxime cum Theologus in sua demonstratione explicet, & proponat fidem sicut Concilium in sua definitione; sicque talis definitio non erit infallibilis, sicut de facto non est Conclusio Theologica: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem & paritatem: Ratio discriminis est, quod ex promissione a Christo facta Ecclesiæ Concilium Oecumenicum canonem pro fidei expositione vel defensione irrefragabilem condat; quia vero talis promissio non est Theologo particulari facta, nec ipse habet eamdem assistentiam, nec ita certo concludit, tametsi ex una vel duabus

præ-

præmissis de fide sui syllogismi eruat conclusionem; hinc & in hoc falli potest, quod quidem eventus non semel probavit: nam & Ariani ex Scriptura in pravum sensum detorta concludebant Verbum esse meram creaturam, similiter & alii Hæretici ex Scriptura & ipsa Traditione male intellectis pro suis per fas & nefas erroribus concludere non erubuerunt.

*Reponunt*: Atqui non est absoluta certitudo Concilia Oecumenica certius concludere pro fide in suis canonibus, quam Theologi in suis vicissim conclusionibus: Ergo &c. Probatur antecedens multis momentis. I. Episcopi sunt puri homines qui falli possunt, nec compertum habemus ipsos esse vere ordinatos, aut habere intentionem Ecclesiæ inter condendos fidei canones, vel etiam materiam motam & propositam sufficienter discussisse antequam pronuntient, sicque ignotum est num Concilium sit legitimum: II. Canon ex pluralitate suffragiorum coalescit, & tamen fieri potest majorem Episcoporum numerum male sentire, immo & definire, ut in Concilio Ariminensi & in secundo Ephesino videre est. III. Ecclesia non videtur infallibilis in multis quæ Religionem & mores spectant; nemo quippe tenetur credere istum hominem canonizatum esse sanctum, & visione Dei in cœlis donari; necessarium esse ad salutem jejunium quadragesimale observare IV. Neque satis constat infallibilitatem Ecclesiæ in Scripturis sufficienter esse fundatam, cum genuinitatem Scripturarum ab ipsa Ecclesia habeamus, ex quo sequitur circulus vitiosus a Theologis universim abjectus. Talis enim esset: " Ecclesia est infallibilis quia Scriptura hoc „ annuntiat, ipsa vero Scriptura alterna„ ta vice infallibilis est & genuina, hoc „ quippe Ecclesia definivit. „ Ergo &c.

*Respondeo* negando subsumptum: Ad primam probationem respondeo distinguendo: Patres Synodici sunt homines fallibiles ex se, concedo: adunati legitime in Concilio, nego. Assistit quippe Spiritus sanctus ne errent, & licet quidam interius forent a fide alieni, non ordinati, & absque manuum impositione, immo & sola externa professione Catholici: " Tamen certi sumus, *ait Bellarminus lib.* 2. *de Conc. auct. cap.* 9. *pag.* 100. *&* 101. „ Deum numquam permissurum ut ejus„ modi Concilium in decretis suis for„ mandis erraret; assistit enim Concilio „ Spiritus sanctus non tam propter ipsum „ Concilium, quam propter Ecclesiam „ universam, quæ divino præcepto tene„ tur, Episcoporum sententiam non dis„ cutere, sed venerari. „ Eodem modo respondet ad difficultatem Melchior Cano lib. 5. de locis Theol. cap. 5. q. 3.

*Ad* alteram probationem distinguo: Et in hypothesi quod major numerus Præsulum pro falsitate staret, Deus non permittet Concilium ab Ecclesia suscipi, concedo: secus, nego. Sic solvit istam instantiam Bellarminus ibidem his verbis: " Non est, quod tale aliquid timeatur; „ nam etsi major pars resistat meliori, ut „ factum est in Concilio Ariminensi, & „ Ephesino II. tamen numquam vincit; „ mox enim irritantur ejusmodi Conci„ liorum acta. „

*Ad* ulteriorem probationem similiter distinguo: Ecclesia non est infallibilis, circa disciplinam, concedo: circa ea quæ absolute sunt ad salutem necessaria, nego: sin minus prævalerent adversus eam portæ inferi, quod quidem fieri non potest propter Christi promissionem: Quia vero canonizatio Sanctorum spectat mores & cultum Dei, qui in Sanctis suis mirabilis est, ideo præviis magnis inquisitionibus & ad Deum fusis precibus & suffragiis, juxta Theologos omni exceptione majores, in decreto canonizationis Sanctorum evadit infallibilis; grande quippe foret scandalum, si hominem nequam uti sanctum colendum proponere contingeret. Cæterum momentum de jejunio disciplinam spectat, & in eo justis de causis Ecclesia dispensat.

*Ad* quartum nego dari circulum vitiosum inter istas fidei regulas, Ecclesiam scilicet & Scripturam, eo enim ipso quo veritas Scripturarum, & miraculis, & Patrum Traditione consignata est, semel admissa Scriptura ut vera, spectat ad Ecclesiam credenda proponere: unde vera est ista propositio: Christus Matth. 16. ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: quia Ecclesia sic credere jubet: nec ultra pro-

grediendum est. Ista utique altera certa est, Ecclesia est infallibilis circa juris & facti dogmatici quæstionem, quia de Ecclesia Christus ait: *Et porta inferi non prævalebunt adversus eam*.

*Dices*: Ecclesia est libera: Igitur errare potest.

*Respondeo* distinguendo: Est libera libertate contradictionis, quatenus aliquod bonum facere, vel ad aliud tempus differre potest, concedo: libertate contrarietatis, ita ut errare queat, nego.

## SYNOPSIS TOTIUS ARTICULI.

*Ecclesia est infallibilis pronuntiando circa juris & facti dogmatici quæstionem*.

Primo: Hoc annuntiat Scriptura Matth. 16. *Et porta inferi non prævalebunt adversus eam*. Hoc Patrum Traditio: Irenæus lib. 3. adversus hær. cap. 2. Tertullianus lib. de præsc. cap. 20. & 21. Augustinus lib. contra epist. Fund. cap. 5. hoc conclamaverunt summi Pontifices quoties approbavere Concilia, quæ circa jus & factum pronuntiaverant.

*Secundo*: Usus sic obtinuit; Ecclesia quippe judicavit in Concilio I. Nicæno Arii, in Ephesino Nestorii, in Quinto generali impia dogmata & erronea in textibus conclusa.

*Tertio*: Ut primum sic judicavit Ecclesia, tamquam Hæretici habiti sunt contradicentes: Et vero nisi Ecclesia in his momentis foret infallibilis, nihil certi pro Religione haberemus, & unusquisque in suum abiret sensum, nullæ profligatæ manerent hæreses, cum sensum aliquem bonum possent Hæretici suis libris tribuere & applicare.

## SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

Primo: Esto quod quædam Concilia sint partim approbata, partim etiam reprobata, nullum tamen Oecumenicum est, quod pro fide non sit receptum: neque vero difficultas quæ pro acceptatione Quinti apparuit, aliquod facessit negotium, cum hoc contigerit ex errore quo multi erant detenti, videlicet credendo Concilium Chalcedonense absolvisse tria Capitula; re enim maturius discussa, ubique ea qua par erat observantia agnita & recepta fuit illa Synodus.

*Secundo*: Neque vero mirandum, si S. Gregorius Naz. dicat exitum Conciliorum sæpius infelicem esse, quippe qui loquatur de Conciliis Arianorum, qui fidem Nicænam temerabant: Non feliciores illi, qui ut pro mala in libris contenta doctrina declinent anathemata, reponunt Ecclesiam non habere revelationem; textus esse erroribus refertos: tametsi enim non judicet de internis sensibus quos Hæretici in mente retinere potuerunt, bene tamen de sensu obvio quem textus, ut sonant, exhibent.

*Tertio*: Allucinantur Heterodoxi Conciliis generalibus abnegando infallibilitatem, eo quod homines illa componant; tametsi in se sint fallibiles, Deus tamen non permittet quod adunati in spiritu suo, errent; cum Christus juxta promissionem sit in medio eorum, juxta Matth. ult. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Et ante cap. 18. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illuc sum in medio eorum*.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

*Num Ecclesia militans sit visibilis, & quænam sint ejus membra*

Ecclesia triplex distinguitur, alia patiens & continet animas in purgatorio detentas; alia triumphans, & est cœtus Angelorum & Sanctorum qui e vita migrarunt: Tertia militans, quæ in terris Deo famulatur oblatione tum sacrificiorum, tum precum, tum etiam Sacerdotum usu & ministerio: de ista quæstio procedit. Protestantes negant esse visibilem, adduntque solis constare Electis: quocirca duo discutienda occurrunt: alterum de visibilitate Ecclesiæ; alterum vero de ejus membris, hoc est, quinam inter homines eam componant; quinam vero ab eadem excludantur. Unde fit

§. I.

## §. I.

Num sit de fide Ecclesiam militantem esse visibilem?

*CONCLUSIO AFFIRMATIVA.*

PROBATUR isto argumento Theologico: Ecclesia militans est cœtus Fidelium Deo in terris famulantium sub uno invisibili in cœlis Christo capite, visibili in terris, ejus Vicario summo Pontifice canonice electo cum successione Pastorum: Atqui Ecclesia sic delineata est visibilis: Igitur est de fide Ecclesiam militantem esse visibilem; Major patet, nec ipsi Protestantes eam negare audent: Tota igitur difficultas in minore continetur: Et probatur omni argumentorum genere.

*Primo, ex veteri Testamento.*

LEGITUR Num. 20. *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem.* Rursus 3. Reg. 8. *Convertitque Rex faciem suam & benedixit omni Ecclesiæ Israel:* Omnis enim Ecclesia Israel stabat: In his & similibus sententiis sermo dirigitur ad Ecclesiam visibilem, videlicet ad cœtum Hebræorum præsentium: In toto Libro Levitico se prodit, tum unctione Aaron summi Sacerdotis & consecratione Levitarum, tum in sacrificiis quæ & Principes, & utriusque sexus Laici pro cujuscumque generis peccatis, & etiam ad laudandum Deum ministerio Sacerdotum offerebant. Insignia sunt pro isto momento multa loca. Hanc visibilitatem non modicum indigitat Psalmista Regius Psal. 18. his verbis: *In sole posuit Tabernaculum suum;* quæ verba exponit Augustinus de Ecclesia, quæ omnium patet oculis: Ita tract. 2. in epist. Joann. Isa. 2. Daniel. 2. & Micheæ 4. comparatur Ecclesia monti magno, qui nullo modo potest latere; sic exponit S. Hieronymus comm. in eo loco, cui concinit illud Matth. 5. *Non potest civitas abscondi, supra montem posita.*

*Non* omittendum splendidum testimonium quod habetur lib. 2. Paralip. cap. 7. *Nec poterant Sacerdotes ingredi Templum Domini, eo quod implesset majestas Domini Templum Domini. Sed & omnes filii Israel videbant descendentem ignem, & corruentes pron in terram supra pavimentum stratum lapide adoraverunt & laudaverunt Dominum quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Rex autem & omnis populus immolabant victimas coram Domino... Fecit ergo Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus, & omnis Israel cum eo, Ecclesia magna valde, ab introitu Emath usque ad torrentem Ægypti.*

*Secundo, ex novo Testamento.*

HABETUR Matth. 16. *Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Rursus ibid. cap. 18. Christus præcipit, eum qui correptionem a fratre factam audire renuit, ad Ecclesiæ judicium tamquam contumacem remitti, his verbis: *Si autem te non audierit, dic Ecclesiæ.* Rursus Act. 15. *Illi quidem deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœnicem.* Et ibidem: *Cum venissent Hierosolymam suscepti sunt ab Ecclesia;* hoc est, ab omnibus Fidelibus in unum congregatis. Rursus Act. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quibus positis sic argumentamur. Illa Ecclesia est visibilis quæ præ oculis est, quæ honore prævenit filios suos, quam ipsi Episcopi regunt & gubernant, non enim aliquod invisibile regunt: Atqui ex Scriptura Ecclesia objicitur oculis, suos variis prosequitur honoribus & bonis officiis filios, & ipsa ab Episcopis regitur: Igitur est visibilis. Hanc veritatem non uno loco prædicat Apostolus, videlicet 1. Corinth. 15. ad Gal. 1. & Phil. 3. ubi Paulus dicit se pati persecutionem propter Ecclesiam Dei: Ultro etiam fatetur se zelo Legis non secundum scientiam abreptum, Ecclesiam Christi exagitasse. Denique 1. Timoth. 3. ait: *Hæc tibi scribo, fili Timothee, ut scias quomodo te oporteat conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi:* Ergo &c.

*Tertio, ex Traditione Patrum.*

ORIGENES homil. 30. in Matth. ait: " Ecclesia plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem, &c. "

*S. Cyprianus* suum addit calculum lib. de unitate Eccl. pag. 181. his verbis: " Ecclesia Domini, luce perfusa, radios suos per orbem terrarum spargit. "

*Chry-*

*Chrysostomus* homil. 4. in cap. 6. Isaiæ: " „ Facilius est, *inquit*, edit. Paris. 1621. „ *deleri*, & solem extingui, quam Eccle„ siam obscurari. „

*S. Augustinus* lib. 3. contra epistolam Parmeniani cap. 5. nulla est securitas unitatis, nisi ex promissis Dei Ecclesiæ declarata, quæ supra montem, ut dictum est, constituta abscondi non potest. Tum tract. 1. in epistolam Joannis: " Numquid „ digito ostendimus Ecclesiam fratres mei? „ Nonne aperta est? „ Et iterum tract. 2. " Quid amplius dicturus sim, quam „ cæcos, qui tam magnum montem non „ vident? Qui contra lucernam, in can„ delabris positam, oculos claudunt. „

Ex Origene Ecclesia est ab Oriente usque ad Occidentem plena fulgoribus; ex Cypriano, per omnem locum suos emittit radios; ex Chrysostomo, nullis est objecta involucris; ex Augustino, est supra montem posita, & ita omnium patet oculis, ut ipso digito ostendatur: Igitur Ecclesia est visibilis.

*Quarto, ex ratione, eaque multiplici.*

Prima: Talis est Ecclesia, qualis fuit a Christo instituta: Atqui instituta est a Christo visibilis, quandoquidem in prima sui institutione ipso Christo præsente tamquam capite, Beata Virgine, Apostolis & Discipulis, constabat: Igitur essentialiter est visibilis, essentiæ quippe rerum sunt immutabiles; hinc & ipse Christus quoties aliquam de Ecclesia instituit comparationem, toties recurrit ad res sensibiles: Modo enim illam comparat terræ Regno, modo Virginibus fatuis, & sapientibus, modo sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congregante: Ergo &c.

*Altera:* Quod ipsa perpetua astruit Traditio, tale esse citra errorem negari non potest: Atqui Traditio perpetua docet Ecclesiam esse visibilem, & uti talem a Christo fuisse institutam; ita Tertullianus lib. de præscript. & Augustinus in libris 7. contra Donatistas: isti quippe Patres perstringunt Hæreticos, ostendendo Ecclesiam Romanam solam esse veram Ecclesiam, eo quod a Christo Domino perpetuam habuerit legitimorum Pastorum successionem: eodem sane argumento subvertimus fundamenta Protestantium, ostendendo omnes Ecclesias particulares, puta Lugdunensem, Bituricensem, Senonensem, Rothomagensem, &c. cum Romana perpetuam servasse unitatem, & perpetuam illa mediante habuisse Pastorum successionem sensibilem & visibilem: Romana vero a Petro per omnes Pontifices canonice electos ad nostra usque tempora: quæ quidem sancta Mater Ecclesia a Christo nato se prodiit infinitis prope Martyribus, Confessoribus, Virginibus quos Christo peperit, & usque ad consummationem sæculorum indefessa, & indefectibilis pariet: Ergo &c.

*Tertia:* Ecclesia sic est a Christo instituta, ut in ea perpetuum offeratur sacrificium, conficiantur absque interruptione Sacramenta, quæ quidem sicut nostrum sacrificium, rebus constant sensibilibus, & in eadem Deus perpetuo interiori, tum exteriori coleretur cultu ab hominibus: Sed hæc omnia manifeste declarant Ecclesiam visibilem: Ergo &c.

*Quarta:* Apostolus vult Verbum Dei in Ecclesia prædicari, inquietos corrigi, rebelles puniri, pertinaces ab Ecclesia dejici, & hoc per excommunicationem, sicut ipse contra Corinthum incestuosum pronuntiaverat; mandata Dei manifestari, prohibitiones malis perpetuo fieri; ordinem Hierarchicum Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum & cæterorum ministrorum servari: de hoc momento ex professo tractat Dionysius in toto libro Hierarch. Eccles. Sed hæc & similia in Ecclesia invisibili fieri non valent: Igitur Ecclesia est visibilis, & hoc ipsum insuper probant veteri Canones, qui pœnitentia publica famosos puniebant peccatores; immo iniquitas mentitur sibi; sicut enim Judæi contumaces e Synagoga ejiciebant, sic & scandalosos pertinaces a communione Cœnæ rescindere gloriantur & Lutherani & Calvinistæ. Ergo &c.

*Quinta:* Ecclesia essentialiter est visibilis, cui uniri & adjungi omnis homo tenetur; namque si esset invisibilis, cessat obligatio; ubi enim foret Ecclesia, nulli pateret: Sed omnis homo tenetur se se uniri & adjungi Ecclesiæ, illam audire, eique obedire, juxta illud Christi: *Si autem Ecclesiam, &c.* Quocirca Clerus Gallicanus tom. 1. tit. 1. novæ Edit. de rebus Relig. decla-

declarat novos conversos teneri ea qua par est reverentia Ecclesiæ obedire, & debitum summo Pontifici in iis quæ religionem spectant obsequium præstare.

*Objectiones Protestantium solvuntur.*

OPPONUNT istud Christi Joann. 4. ubi loquens de veris adoratoribus, ait: *Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare*. Igitur, inquiunt, Ecclesia est tota interior; quod confirmant isto cap. 12. 22. ad Hebr. loco: *Accessistis ad Sion montem & civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem*. Ergo &c.

*Respondeo* concesso antecedente distinguo consequens: Ecclesia est tota interior, si consideretur penes fidem & gratiarum charismata, concedo: si secundum suas partes & membra, nego. Ecclesia est omnium fidelium congregatio sub uno capite visibili in terris, qui quidem in eadem fide, in eodem sacrificio, in iisdem Sacramentis, & eodem cultu sicut communicant, ita adinvicem conjunguntur. Non movetur igitur quæstio de pulchritudine & sanctitate Ecclesiæ, quæ quidem in exteriori simul & interiori cultu sita est; seu de virtutibus interioribus fidelium, sed de congregatione eorum, quatenus extrinsece unam profitentur fidem: & sub hoc respectu Ecclesia est essentialiter visibilis, honor vero ejus ab intus maxime desumitur. Igitur allucinantur hæretici, dum ab actibus interioribus totam desumunt Ecclesiæ essentiam & naturam. Christus Joan. 4. non evacuat Ecclesiæ visibilitatem, sed ostendit mulieri Judæos & Samaritanos, qui cultui exteriori potissimum incumbebant, quod ad interiorem, qui præcipuus est, debeant vacare. Sic explicat locum D. Thomas comm. in cap. 4. Joan. 2. locus vero Apostoli, ut ipsa indicant verba, de Ecclesia triumphante procedit: sic propugnat idem sanctus Doctor comm. in epist. ad Hebr.

*Reponunt*: Ecclesia non erat visibilis tempore Christi ante ejus passionem, neque post eiusdem Resurrectionem, saltem usque ad Ascensionem. Ergo &c.

*Respondeo* negando utramque propositionem. Primam quidem, Ecclesia enim vivente Christo, ipso constabat, beata Virgine, & S. Joseph, aliisque justis, qui Christum & ut puerum, & ut ætate provectum adoraverunt: immo ipse habebat discipulos, ut Nicodemum & Turbas; si de tempore passionis agamus, quo quidem momento cessavit Synagoga: a fortiori post resurrectionem, cum prædicatione Apostolorum totus ferme terrarum orbis Christianus evaserit.

*Instant*: Sunt quidem hodie multi justi: Sed uti tales non cognoscuntur: Igitur Ecclesia est invisibilis.

*Respondeo* distinguendo minorem: Justi non cognoscuntur secundum interiores virtutum actus quos eliciunt, concedo; secundum fidei professionem, nego. Namque Sacramentorum & Sacrificii participatione suam fidem, & cum Ecclesia consociationem manifestant.

*Urgent*: Si Ecclesia est visibilis utique Caput visibile habere debet, quod sit summus Pontifex: Sed multi etiam inter Christianos illum non agnoscunt, quandoquidem ejus non obediunt decretis circa Religionem, ait Minister Basnage Calvinista: Ergo &c.

*Respondeo* negando minorem: Ad probationem, distinguo: Multi sed pauciores non obediunt diplomatibus Pontificis dogmaticis, & male faciunt, ac peccant, concedo: major pars, nego. Accessit semper consensus & applausus Ecclesiarum particularium ejusmodi decretis: hinc Ministri argumentum in objectione propositum vacuum & prorsus inane evadit.

## SYNOPSIS PROBATIONUM.

*Ecclesia est visibilis.*

PRIMO: Sic fuit ab initio, ut liquet ex libro Levit. & 2. Paralip. cap. 7. ubi fit splendida de Ecclesia mentio.

*Secundo*: Idem probat pro novo Testamento Hierarchia Ecclesiastica, maxime illud Christi oraculum, Matth. 18. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*.

*Tertio*: Ecclesiam visibilem annuntiant Martyres, Confessores, & consecratæ Virgines, eamdem proclamant omnis populus Christianus, qui in cultu exteriori simul & interiori Deo exhibendo in templis quotidie adunatur.

SY-

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tametsi Deus Joann. 4. dicat mulieri Samaritanæ veros adoratores Deum in spiritu adorare, non tamen excludit cultum externum & publicam fidei professionem, cum, ipso Deo ordinante, populus in templo Jerusalem congregaretur ad offerendum illi sacrificium; sed vult cultum externum, secluso interiori parum prodesse. Eo enim loci corrigit errorem Samaritanorum & Judæorum, qui magis Legis litteræ, quam spiritui serviebant.

*Secundo*: Citra fundamentum dicitur Ecclesiam tempore passionis Christi, fuisse invisibilem, cum esset in Christo, Beatissima Virgine & Apostolis præsens; tametsi enim discipuli timore perterriti, relicto Christo, fugerint; non tamen fidem amiserunt. Quid plura? S. Joannes & piæ mulieres aderant prope crucem, & Christum patientem sequentes lamentabantur: apparuit ibi Joseph ab Arimathea nobilis decurio, qui audacter petiit a Pilato corpus Jesu, quod, adjuvante Nicodemo, sepelivit: multo plures alii qui non consenserant morti Christi, ipsi & ejus Ecclesiæ adhærebant.

*Tertio*: Nusquam a summo Pontifice legitimo pro rebus Religionis & fidei veri Fideles discesserunt, sed soli Heterodoxi.

## §. II.

### *Quinam sint Ecclesiæ membra?*

QUÆRES I. An soli prædestinati sint Ecclesiæ membra?

*Respondeo* I. Prædestinatos non esse semper actu de Ecclesia, & hoc patet ex Gentilibus, qui ante ad suam ad Christum conversionem erant lupi rapaces; tum vero conversi, fidem suam proprii sanguinis effusione consignantes, vicerunt regna, & adepti sunt Dei repromissiones. Nec mirum, prædestinatio non est formalis ratio aliquem in Ecclesia constituens, cum magis in gratia & actibus virtutum interioribus, quibus ad Deum acceditur, sita sit; est enim, teste Augustino lib. de prædest. SS. cap. 1. præparatio mediorum quibus certissime liberantur, quicumque liberantur, sed in adunatione fidelium unum verum Deum colentium. Ista resolutio est ejusdem Aug. Tract. 45. in Joan. ubi ait: "Secundum præscientiam Dei & „ prædestinationem, quam multæ oves „ foris, quam multi lupi intus: & quam „ multæ oves intus, & quam multi lupi „ foris. „

*Respondeo* II. Non solos prædestinatos esse de Ecclesia, sed alios bene multos inter ejus membra annumerari; & hoc sequitur ex prima responsione, quod vel ipse Christus inculcat. Modo enim, ait Matth. 3. se paleas a tritico quondam separaturum, hoc est, impios a justis: *Permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum; paleas autem comburet igni inexstinguibili*. Modo ibid. 22. dicit: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*.

*Respondeo* III. Contra Pelagianos & Anabaptistas, imperfectos Christianos esse membra Ecclesiæ, sin minus vix foret in terris Ecclesia, cum vel ipsi justi ferventiores in multa venialia peccata prolabantur, juxta illud Proverb. 24. *Septies in die cadet justus, & resurget*. Sic propugnat S. Cyprianus serm. de eleemos. dicens: " „ Quisquis se inculpatum dixerit, aut „ superbus, aut stultus est. „ Ratio est: illi Ecclesiæ membra censentur, qui Christo fide & charitate ac cultu publico adunantur: Atqui tales sunt justi imperfecti, quandoquidem peccatum veniale, nec fidem, nec charitatem extinguit. Ergo &c.

*Respondeo* IV. Impios Christianos etiam esse de Ecclesia, quod Parabolæ non levius subindigitant; Ecclesia quippe comparatur arcæ Noe, in qua animalia & munda, & immunda concludebantur: Virginibus, quarum aliæ prudentes, aliæ etiam fatuæ erant. Hoc ipsum definivit Christus Matth. 18. ubi loquens de corrigendo contumaci, ait: *Sic autem te non audierit .... dic Ecclesiæ ..... Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Hoc Apostolus innuit 1. Cor. 5. dicens: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*. Quia vero ad Ecclesiam pessimus ille pertinebat, traditus est, jubente Paulo, satanæ, ut castigatus in corpore, salvus fieret in mente, *ut Spiritus* ait, *salvus sit in die Domini*.

*mini*. Hoc omnes Canones pœnitentiales dicunt: nec mirum, si homicidæ, adulteri, libellatici, idolis immolantes, & alii magni peccatores non fuissent de Ecclesia, Præsules eos aut excommunicare, aut pœnitentiam publicam eis imponere non potuissent, cum Ecclesia nullam habuisset in eos jurisdictionem: nec scandalosos etiam inpræsentiarum censuris, ut ad meliorem redeant frugem insectari licitum ei foret.

*S. Hieronymus* Dial. contra Luciferianos hoc paucis concludit, his verbis: " Arca „ Noe, Ecclesiæ Typus fuit; ut in illa „ omnium animalium genera, ita & in „ hac universarum, & Gentium, & mo„ rum homines sunt: ut ibi pardus, he„ di, lupus & agni, ita & hic justi, & „ peccatores, id est, vasa aurea & argen„ tea cum ligneis & fictilibus commoren„ tur. „

*Non* diffitemur tamen impios & a Scriptura, & a sanctis Patribus, quandoque extraneos ab Ecclesia dici, sed hoc intelligitur vel de Ecclesia triumphante, vel de militante immaculata; hoc est, non sunt membra viva, sed putrida. Equidem S. Cyprianus epist. 6. ad Magnum, ait: " „ In Ecclesia Dei nonnisi concordes atque „ unanimes habitabant. „ Sed eum loqui de concordia quæ opponitur schismati & hæresi liquet; cum ibi agat contra Novatianos schismaticos. Quam responsionem confirmat S. Augustinus Tract. 3. in epistolam Joannis, dicens, malos esse quidem in Ecclesiæ corpore, sed ut humores corruptos.

*Quæres* II. Utrum Catechumeni, Hæretici, Apostatæ, Schismatici, & excommunicati sint de Ecclesia?

*Respondeo* I. Catechumenos non esse actu de Ecclesia, quippe qui nondum sint baptizati; nam Baptismus est janua omnium Sacramentorum, & per ipsum homo Christo incorporatur, ut definivit Concilium Florentinum in decreto unionis. Hanc responsionem indicat Apostolus 2. Cor. 5. dicens: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Hoc ipsum astruit S. Gregorius Naz. orat. in S. Lavacrum, ubi ait Catechumenum esse in vestibulo pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem: hoc & Chrysostomus ait hom. 24. in Joan.

*Respondeo* II. Hæreticos, & a fide Apostatas non esse de Ecclesia, juxta illud Christi 1. Joann. 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*. Si exierunt, jam non sunt amplius de Ecclesia: quare vero exierunt? assignat rationem Dominus, quia vi electionis & prædestinationis non erant, ut interpretatur S. Augustinus lib. de bono persl. capit. 8. Apostolus ad Tit. 3. vult hæreticos vitari: Igitur non sunt de Ecclesia, quæ est multorum in fide & cultu Deo exhibendo congregatio & adunatio. Sic docent communiter S. Doctores, inprimis vero Patres Nicæni, qui Can. 8. & 9. statuunt & præscribunt quomodo Hæretici sint Ecclesiæ reconciliandi.

*Respondeo* II. Schismaticos non esse membra Ecclesiæ: & hoc patet ex eo quod Christus Matth. 18. velit, rebellem Ecclesiæ, ut Ethnicum & Publicanum haberi. Tum ex ejusdem verbis Joan. 10. ubi ait: *Unum ovile, & unus Pastor*. Apostolus vero Rom. 12. *Unum corpus vocat Ecclesiam*. Cant. 6. eadem sic celebratur: *Pulchra es amica mea: Una est columba mea*. Sic docet S. Irenæus lib. 4. cap. 62. " judica„ bit, *inquit*, omnes eos, qui sunt extra „ veritatem, id est, extra Ecclesiam. „ Sic S. Cyprianus lib. 4. epist. 9. his verbis: " Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata. „ Sic S. Chrysostomus hom. 3. in epist. 1. ad Cor. " Schismatis significantia satis eos „ arguit, vel potius satis ejus appellatio, „ quæ vehementer eos tangat. Non enim „ plures integræ partes factæ sunt, sed „ una periit. Siquidem integris Eccle„ siis multas eos constituerunt. „ Sic Hieronymus in cap. 1. Amos: " Schisma„ tici separant quidem deceptam multi„ tudinem ab Ecclesia Dei: tamen hoc „ non faciunt crudelitate qua hæretici. „ Sic S. Augustinus lib. de fide & Symb. " „ Credimus & sanctam Ecclesiam, utique „ Catholicam: nam & hæretici, & schi„ smatici congregationes suas Ecclesias vo„ cant: Sed hæretici de Deo falsa sen„ tiendo ipsam fidem violant, schismatici „ autem discissionibus iniquis a fraterna „ charitate dissiliunt, quamvis ea credant, „ quæ credimus. Quapropter, nec hære„ ticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, „ quoniam diligat Deum; nec Schismati„ cus quoniam diligat proximum. „

*Respondeo* III. Ex Scripturis & Patribus laudatis claret excommunicatos non esse

de

de corpore Ecclesiæ, cum excommunicatio major in eo potissimum sita sit, ut contumacem peccatorem rescindat a corpore Ecclesiæ, illum omnibus ejus bonis privando, videlicet, participatione Sacramentorum, suffragiis Fidelium, & ipsorum societate, ita ut nec *Ave* excommunicato denuutiato liceat alicui dicere. Sic statuunt jura, & habetur 11. quæst. 3. Can. Canonica, his verbis: *Canonica instituta & Sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores auctoritate Dei & judicio sancti Spiritus, a gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & a consortio totius christianitatis eliminamus.*

*Synopsis contentorum.*

PRIMO: Catechumeni non sunt de Ecclesia, cum per Baptismum quisque incorporetur.

*Secundo:* Peccatores impii, sunt Ecclesiæ membra, & manent illi per fidem, & cultum publicum adunati, quippe qui non contradicant: hoc indicat, teste Hieronymo, arca Noe, quæ fuit Ecclesiæ Typus, quatenus omne animal cujuscumque generis continebat.

*Tertio:* Nec hæretici, nec Schismatici sunt de corpore Ecclesiæ; cum enim illi non obediant, sed potius resistant, juxta Christi sententiam Matth. 18. habendi sunt ut Ethnici & Publicani. Idem eadem ratione dicendum de excommunicatis. Observes tamen Christianum interius posse in hæresim vel schisma, vel etiam excommunicationem prolabi, & tamen nec Ecclesiæ extrinsecus resistere, nec abstinere a cultu Dei & societate fidelium; hunc autem nondum a corpore Ecclesiæ rescindi docent Theologi; inter recentiores D. Tournely art. 3. de Eccles. membr. quia Ecclesia non judicat de internis, hinc dicit hæreticum occultum esse imperfecte de Ecclesiæ corpore.

## ARTICULUS QUARTUS.

*De notis Ecclesiæ, & utrum conveniant soli Ecclesiæ Romanæ?*

NOMINE notæ, seu notionis intelligunt Theologi quamdam proprietatem alicui ita propriam, ut per eam & ipsa cognoscatur, & a quolibet alio distinguatur: sic Paternitas in divinis primæ Personæ & soli convenit; hinc illam designat, & ab aliis Personis secernit.

*Duplex* distinguitur hujusmodi nota. Altera nimirum physica, quæ necessariam habet & evidentem cum re significata connexionem: sic fumus est ignis nota: altera vero quæ moralem tantum, & juxta viri prudentis judicium, necessitudinem habet cum significato; talia sunt credibilitatis motiva; si enim, ait Bellarminus hic lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 3. haberent Mathematicam seu Arithmeticam evidentiam a nullo rejicerentur, cum tamen contrarium non semel apparuerit. Subdit vero notam Ecclesiæ, non aliam præter moralem habere evidentiam. Ibidem quindecim annumerat a capite primo usque ad decimum octavum inclusive Ecclesiæ veræ notas; quia vero quam plures ad credibilitatis motiva reducuntur, quæ jam iam in tractatu de attributis, ubi de existentia Dei, commemoravimus, sufficit evidentiores hic breviter percurrere.

*Quatuor* sunt potissimum Ecclesiæ notæ, videlicet Unitas, Sanctitas, Catholicitas, & Apostolicitas; sic habetur in professione fidei, seu in Symbolo Nicæno, ubi legitur: *Credo..... Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.*

### §. I.

*De prima Ecclesiæ nota, quæ est Unitas.*

PRIMO: Ecclesia est una, juxta illud 1. Cor. 12. 20. *Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.* Illa autem unitas attenditur penes unitatem capitis, Sacrificii, Sacramentorum & fidei, ut habetur Act. 4. 32. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Rursus Ephes. 4. 12. *Alios dedit..... Pastores & Doctores ad consum-*

*summationem Sanctorum in opus ministerii, donec occurramus omnes in unitatem fidei*. Ibidem 5. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium*.

*Secundo:* Ista unitas reperitur in Ecclesia Romana: Non alium habet caput invisibile præter Christum in cœlis, & visibile in terris summum Pontificem, qui a beato Petro per successionem non interruptam, ut supra ex Irenæo & Tertulliano probavimus, velut a primo duce emanavit: habet eadem & entitate, & efficacia, & numero Sacramenta, idem incruentum sacrificium, ut suo loco, etiam non dissentientibus Ecclesiis Orientalibus, ostendimus: Inest ei pro his omnibus momentis eadem fides, & quidem sic eminens, ut a suo resciderit corpore omnes promiscue hæreticos, qui Mysteria Trinitatis, Incarnationis, Sacrificii, Sacramentorum, tentare ausi fuut: Quid plura? Schismaticos, juxta Christi præceptum ut Ethnicos & Publicanos habet. Hanc Ecclesiæ Romanæ unitatem prædicant ubique Patres: in primis Irenæus lib. 3. cap. 3. Cyprianus lib. 1. Epist. 3. Hieronymus epist. ad Damasum de hypostasis nomine, Augustinus epist. 162. & in Psalm. contra partem Donati, ubi sic alloquitur hæreticos: " Venite fratres, si vultis, ut inseramini in vite: dolor est, cum vos videamus præcisos ita jacere. Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, in ordine illo Patrum quis, cui successerit, videte: ipsa est petra, quam non vincunt inferorum portæ. "

*Tertio:* Hæc unitas in nullis reperitur sectis, cum nulla sit Pastorum successio, alii Arium, alii Nestorium, alii Dioscorum, & sic de cæteris, duces habent. Pauca aut temerata Sacramenta inter Protestantes, nullum verum sacrificium, omnes ferme nunc Sociniani, & *lege Tolerantiæ*, cæteras inanes, excepta vera Ecclesia, in suam admittunt communionem Religiones. Cæterum quod isti in veritate non steterint, liquet ex infinitis prope eorum vel in dogmate variationibus, ut eleganter & lato calamo ostendit Illustr. Bossuetius in libris Variat. Unam aut alteram in probationem afferam: Calvinus posuit ut fidei articulum Christum esse solum figurative in Eucharistia, Synodus vero Carentonica contrarium propugnavit, & in suam suscepit communionem Lutheranos confessionis Augustanæ: Tum in Synodo Dordracena prædestinationem necessitantem juxta Gomarem esse fundamentalem fidei articulum, definitum est. Postea vero licitum fuit adherere Arminio partim Semi-Pelagiano.

## §. II.

*Sanctitas, altera Ecclesiæ nota.*

PRIMO: Religionem Christianam præ cæteris impuris sectis hac dote donari ostendimus Tract. de attrib. dist. 1. de existentia Dei: & hæc prærogativa ex ejus auctore Christo, ex efficacia Sacramentorum ad delenda omnia peccata institutorum, ex mandatis quibus præcipitur declinare a malo & facere bonum, maxime ex consiliis quibus ad supremum sanctitatis apicem invitat filios, deducitur. Hoc ipsum declarat Apostolus Eph. 5. 26. *Pro ea enim, Ecclesia seipsum tradidit Christus, ut illam sanctificaret*. Rursus 1. Petr. 2. 9. Fideles Christianos vocat Apostolus *genus electum, gentem sanctam, populum acquisitionis*.

*Secundo:* Mirum in modum affulget ista nota in Ecclesia Romana, quæ habuit infinitos prope Martyres, innumeros Confessores, & a primis temporibus ad nostram usque ætatem utriusque sexus consecratas Virgines.

*Tertio:* Hæc sanctitas in aliis sectis non invenitur; nam ut diximus in Analysi Ecclesiæ triumphorum, vel testes habent mendaces, vel flagitiosos auctores, & moralem aut prorsus impuram, qualis est Gnosticorum, Mahumetanorum, aut mollem, quæ viam omnibus vitiis pandit, qualis annotatur in Protestantibus, qui de medio abstulerunt abstinentiam, jejunium & Sacramentum pœnitentiæ, quibus caro adversus Spiritum obstrepens castigatur, usura propellitur, elatio compescitur, & omnia veteris hominis desideria nunc extinguntur, nunc saltem ad justam virtutis metam adducuntur.

§. III.

*Catholicitas seu universalitas est tertia vera Ecclesiæ nota.*

PRIMO: Ecclesia a Christo instituta vere Catholica est, cum Deus velit omnes homines salvos fieri, Christus suum pro omnibus & singulis hominibus fuderit sanguinem, & miserit Discipulos in omnem terram ad prædicandam captivis indulgentiam; sic enim habetur Matth. ult. *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Quod & Propheta Regius jam jam ex prænotione Spiritus Psal. 8. annuntiaverat, dicens: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quæ quidem oracula S. Paulus Rom. 18. de prædicatione Apostolorum interpretatur. Hanc universalitatem non levius indicat homo, qui Luc. 14. fecit cœnam magnam, ad quam omnes sic invitavit, ut voluerit per vias pauperes, claudos & omne personarum genus compelli intrare in convivii domum.

*Secundo:* Ecclesia Romana est vere Catholica, sua ubique extendit tentoria. Et vero habet Missionariorum opera templa in vastissimo Turcarum imperio: habet vel intra palatii Sinarum Imperatoris mœnia: habet in Germania & Batavia etiam in civitatibus Protestantium principum ditioni addictis; hinc ait Cyrillus Hierosolymitanus Cath. 18. " Catholica vocatur „ Ecclesia, quia per universum sit orbem „ terrarum diffusa, a finibus terræ usque „ ad extrema. „ Idem expresse dicit S. Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 38. Rursus epist. 52. alias 170.

*Tertio:* Hoc privilegium non competit aliis sectis; neque enim in Oriente invenies Calvinistarum & Lutheranorum Ecclesias, nec vicissim in Gallia, Germania, Anglia, Polonia, Italia, Hispania, Belgio, Arianorum, & Nestorianorum templa.

§. IV.

*Quarta Ecclesiæ nota, est Apostolicitas.*

PRIMO: Hoc ipsum innuit Apostolus Eph. 2. dicens: *Fratres jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Vel ipsi Protestantes de hoc conveniunt; de hoc, omnes schismatici Orientales; de hoc, Sabelliani, Ariani, & omnes sectæ, si Paganos, & Judæorum Synagogam excipias.

*Secundo:* Inesse Ecclesiæ Romanæ hanc dotem probat ex professo Irænaeus lib. 3. adversus hæreses jam sæpius laudato: probat ex professo Tertullianus in toto libro de Præsc. tum & Cyprianus epist. 27. in qua quidem sic loquitur de Ecclesia Romana: " Inde per temporum & successionum dies, Episcoporum ordinatio, „ & Ecclesiæ ratio decurrit. „

*Tertio:* Aliæ sectæ ista dote privantur, cum eis deficiat antiquitas, & sint novæ. Et vero Sabellianorum secta a Sabellio; Arianorum, ab Ario; Nestorianorum, a Nestorio; Eutychianorum seu Monophysitarum, ab Eutychete; Iconomachorum, a Leone Isaurio; Lutheranorum, a Luthero; Calvinistarum, a Calvino; Socinianorum, a Socino ortum ducit: Porro juxta Augusti regulam sæpius celebratam, illud solum Apostolicum censetur, quod initium non habet donec ad Apostolos usque gressus fiat.

*His* Notis allatis additur Antiquitas; cum enim, teste Tertulliano, mendacium sit quid novum & veritate posterius, citra dubium est inter Religiones illam esse veraciorem, quæ est omnium antiquior. Ultro fatemur Ecclesiam Christi esse novam, hoc est, ab Ecclesia Synagogæ diversam, sed ut primum a Christo stabilita est, nihil novi reperies in sex punctis essentialibus, videlicet I. In auctore, solum Christum Caput & Apostolos in Ecclesia fundanda Magistros habet. II. In dogmate: eadem quippe numero Sacramenta, idem sacrificium, eadem mysteria, eamdem moralitatem, eumdem Ducem & Pastorem supremum, qui non solum nihil in his immutavit, quin potius hæreticos addentes, vel detrahentes, & nova docentes absque misericordia, vel ab ipso Ecclesiæ aditu, districto anathematatis gladio propulit. III. In tempore, a Christo nato, idem est Ecclesiæ status, idem quoad substantiam regiminis modus, ubi-

ubique Ecclesia ætati & ævo Apostolorum suppar est. IV. In loco: Romæ primum stabilita a Petro, eadem perseverat. V. Impugnata quidem primum a Judæis, deinde a Gentilibus, postremo ab hæreticis fuit, sed indefessa permansit. Demum initio quidem parvula, & in solis Apostolis & discipulis subsistens, tum prædicatione Apostolorum crevit in magnam arborem.

*Non* sic in aliis sectis, ut ab enumeratione partium constat.

*Primo:* Ebionitæ habent pro auctore non Christum, sed Ebionem; Manichæi, Manem & Marcionem; Sabelliani, Sabellium; Ariani, Arium; Nestoriani, Nestorium; Eutychiani, Eutychetem; Monothelitæ, Sergium Patriarcham CP. & sic de cæteris, ut supra ostensum est.

*Secundo:* Nova utique in aliis sectis dogmata: Alii Christum ut purum hominem habent, sicut Cerdonistæ; quidam confundunt in Deo personas, ut Sabelliani; nonnulli divinitatem nunc a Filio, ut Ariani, nunc a Spiritu sancto, ut Macedoniani, subripiunt. Lutherani tentant sacrificium; Calvinistæ numerum Sacramentorum temerant &c.

*Tertio:* Scimus sectarum tempora. Cœpit Arianismus ann. 324. Nestorianismus 431. Lutheranismus 1517.

*Quarto:* Neque vero ignotus est locus ubi ortum cœperunt hæreses. Ariana heresis primum in Ægypto grassata est; pestifera Nestorianismi lues in Thracia &c.

*Quinto:* Arianos ut Novatores absque mora insectatus est S. Sylvester in Concilio I. Nicæno: tum Athanasius scriptis & dictis: deinde Hilarius, Hieronymus, & alii bene multi.

*Sexto:* Pauciores semper Heterodoxi fuerunt, quam Catholici, ut diximus de Catholicitate Ecclesiæ.

*Istud* Egregium & irrefragabile argumentum omnes ferme primorum sæculorum Patres urgent contra Hæreticos. Tertullianus lib. de Præs. ait: " Qui estis vos, " unde, & quando venistis? Ubi tamdiu " latuistis? " Concinit Optatus lib. 2. contra Parmen. " Vestræ Cathedræ originem " ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. " Suffragatur Hilarius lib. 6. de Trin. ante medium: " Tarde mihi, hos piissimos Doctores ætas " nunc hujus sæculi protulit, sero hos " habuit fides mea, quam tu erudisti, " Magistros, inauditis ego his omnibus " in te credidi. " Tum Hieronymus epistola ad Pammachium & Oceanum: " Quisquis assertor es novorum dogmatum, " quæso te, ut parcas Romanis auribus, " parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos " docere nos niteris, quod ante nescivimus. Usque in hanc diem sine vestra " ista doctrina Christianus mundus fuit. " Quid plura adjiciam? S. August. lib. contra epist. Fund. cap. 4. inter certissimas veræ Ecclesiæ notas antiquitatem annumerat.

## SYNOPSIS ARTICULI.

QUATUOR Notis Ecclesia designatur: Primo est Una, quippe quæ habeat unum caput, in quo cætera adunantur membra, aut ex his unum coalescat corpus; ut dicit Apost. 1. Cor. 1. II. Est Sancta, tum ratione auctoris, qui est Christus, tum ratione Sacrificii & Sacramentorum, quia per ea peccata delentur. III. Est Catholica, in omnem quippe terram exivit sonus, & prædicatio Apostolorum. IV. Est Apostolica, quatenus a Christo per Apostolos fidem habemus. Quæ Notæ dubio-procul soli Ecclesiæ Romanæ competunt, ut consideranti patebit.

*Finis Tomi Quarti.*









